





X1 File 115

Primum ego officium scriptoris existimo, ut titulum suum legat, atque identidem interroget se, quid coeperit scribere, sciatque, si materiae immoratur, non esse longum; longissimum, si aliquid arcessit atque adtrahit.

PLIN. Epist. v. 6.

M. ATTII PLAUTI
AULULARIA

ad recentiores editiones exegit
animadversionibus auxit
et scholasticis praelectionibus accommodavit

THOMAS VALLAURIUS

DOCTOR REGURIALIS LATINAE ELOQUENTIAE TRADENDAE
IN R. TAURINENSI ATHENAEO
CURATOR STUDIIS HISTORIAE PATRIAE
PROVEHENDIS



AUGUSTAE TAURINORUM
EX OFFICINA REGIA
AN. M. DCCC. LIII.

D. PROB. ROM. & L.

1945

THOMAS VALLAURIUS

L. S.

Pluries equidem sum miratus, in tanta doctissimorum hominum copia, qui ad romanos scriptores illustrandos animum adpulerunt, omnino perpauca enumerari, qui in opere suscepto sic elaborarint, ut adolescentum studiis cumulatissime satisfacerent. Alii enim eo potissimum spectarunt, ut menda expungerent, quae librariorum ignorantia in vetustissimos codices irrepsissent; et minutissima quaeque diligenter persecuti, variis lectionibus pene libros obruerent. Alii interiorum artis rationem penitus inspecturi, in subtiles adeo disceptationes abiere, ut suis se acuminibus ipsi compungentes, quasi tenebras quasdam rebus offunderent. Alii extimam stili partem tantummodo respicientes, in verbis et locutionibus expendendis ferme consueverunt. Plerique vero obscurioribus locis praetermissis, in quos identidem offenderent, minimum momentum ad planiorem viam tironibus muniendam attulisse videntur. Quod quidem cum generatim de latinorum scriptorum scholiastis, tum vero praesertim de fabularum Plautinarum enarratoribus licet affirmare. Quapropter ut huic studiosorum incommodo pro virili parte mederer, statui comoedias M. Attii Plauti, quotquot hodieque exstant, evulgare, iis animadversionibus auctas,

quae adolescentibus nostris, ad politiores litteras contendentibus, lumen quodammodo praeferant. Huius consilii mei rationem paucis habeto, candide lector.

Primum omnium nonnulla praefatus de fabulae argumento, si quae voces aut dictiones occurrant a communi loquendi usu paullulum abhorrentes, eas ita explicandas atque excutiendas aggredior, ut illarum sensum studiosi penitus assequantur. Etiam discrimen diligentissime notandum existimavi, quod inter verba saepe intercedit, quae primo statim adpectu unum atque idem videntur significare. Quo facto lectores verborum proprietati, nihil ferme sentientes, adsuescent. Ad haec, quaecumque ad veterum mores, instituta, leges et religionem pertinent, pro re nata in medium adtuli, atque arrepta occasione, de singulis theatri partibus, et de praecipuis, ad quae comoedia est exigenda, breviter disserui. Item studiosos identidem iubeo animadvertere, quam apte, quam festive, quam graphice, quamque ad veritatem accommodate diversorum hominum mores et ingenia depingat poeta. Postremo ne quid legenti desiderandum restaret, Plautinas comoedias cum recentiorum fabulis comparavi, qui ad Sarsinatem poetam, tamquam ad absolutissimum exemplar, respicere non dubitarunt.

Harum rerum specimen habes in *Aulularia*, quam si tibi probatam sensero, candide lector, alacriori animo ad propositum opus perficiendum enitar. Vale.

Dabam Augustae Taurinorum ul nonas februarias
An. M. DCCC. LIII.

DE M. ATTIO PLAUTO (*)

M. ATTICUS PLAUTUS, Sarsinae natus in Umbria anno urbis conditae d. xxvii, vix tertium et quadragesimum aetatis annum ingressus decessit. Hic quum admodum adolescens ad comoedias scribendas animum adiunxisset, mox divitiarum studio ductus ad mercaturam se contulit. Sed adversa usus fortuna, pauper Romam rediit; ibique ut quotidianum sibi victum pararet, ad circumagendas molas manuaris seu trusatiles, quas vocabant, pistori operam suam locare coactus fuit. Quumque molam in pistrino versaret, horis subsecivis, quibus ab eo labore otium erat, ad intermissum comici poetae officium dicitur se revocasse.

De numero fabularum, quas Plautus exaravit, mirum quantum dissentiant critici inter se. Alii enim unam et viginti enumerant, alii quinque et viginti, pars quinque et triginta, vel quadraginta; nec desunt qui centenas et triginta. Quum autem in tanta opinionum discrepantia nihil omnino certi possimus affirmare, satis sit dicere, aetate nostra viginti superesse fabulas, quae omnium consensu a Plauti ingenio profectae fuisse creduntur. In singulis enim eadem ratio apparet. Harum vero tituli sunt: *Amphitruo*, *Asinaria*, *Aulularia*, *Bacchides*, *Captivi*, *Casina*, *Cistellaria*, *Curculio*, *Epidicus*, *Menaechmi*, *Mercator*, *Miles gloriosus*, *Mostellaria*, *Persa*, *Poemulus*, *Pseudolus*, *Rudens*, *Stichus*, *Trinummus*, *Truculentus*.

Festivissimi ingenii vir fuit Plautus, et totius latinae comoediae parens iure a doctissimis semper habitus est. Quamquam vero pleraque comoediarum argumenta graeco fonte derivavit, ita tamen Philemonem, Diphilum, Apollodorum, Epicharmum aliosque est imitatus, ut ab eorum vestigiis pro opportunitate recederet. Quod sane Umbro poetae haud difficile fuit, qui singulari excogitandi vi atque acumine

(*) Ex *Historia critica Litterarum Latinarum Thomae Vallaurii*. Augustae Taurinorum, ex Officina Regia, an. M. DCCC. lxi, in-8°.

esset donatus. In nodi solutione interdum claudicat noster; at spectatores dialogi lepore, atque insolitis quibusdam casibus afficit, quos coniectura nondum prospexerat. Praeterea hominum ingenia et mores graphice depingit, omniaque venustissimis iocis adspersit.

Ad illius dictionem quod attinet, adeo pura et elegans visa est, ut Marcus Varro scribere non dubitaverit, Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si latine loqui voluissent. Quamvis autem eae locutiones apud Sarsinatem nostrum occurrant, quas ἀρχαϊσμούςς Graeci appellant, natus tamen ille sermonis candor in eius fabulis elucet, quem alibi nequicquam quaeras.

Nec facit quod Horatius Plautinos numeros et sales improbaverit. Horatiana haec reprehensio aetati magis consentanea dicenda est quam vera. Quum enim tunc temporis « per otia pacis graeca elegantia animadverti coepta fuisset, mirum quantum immutati civitatis mores in linguam influxerint. Quum autem quidpiam summe expositum in poetis requireretur, quod recentioris aetatis cultum referret, Plautinae comoediae in calumniam inciderunt. »

AULULARIA.

DRAMATIS PERSONAE

— 158 —

LAR, prologus
EUCLIO, senex
STAPHYLA, anus
EUNOMIA, mulier
MEGADORUS, senex
STROBILUS, geminus servus
ANTHRAX } coci
CONGRIO }
PYTHODICUS, servus
LYCONIDES, adolescens
PHAEDRA, puella

ARGUMENTUM.

Senex avarus, sibi vix credens, Euclio
 Defossam multis cum opibus domi suae
 Aulam invenit, rursumque penitus conditam,
 Exsanguis, amens, servat. Eius filiam
 Lyconides vitiat. Interea senex
 Megadorus, a sorore suasus ducere
 Uxorem, avari gnatam deprecatur sibi.
 Senex durus vix promittit, atque, aulae timens,
 Domo sublatam variis abstrudit locis.
 Insidias servus huius facit Lyconidis,
 Qui virginem vitiat; atque ipse obsecrat
 Avunculum Megadorum sibimet cedere
 Uxorem amanti. Per dolum mox Euclio
 Quam perdidisset aulam, insperato invenit,
 Laetusque natam collocat Lyconidi.

ALIUD ARGUMENTUM.

Euclio quidam, civis Atheniensis, utpote avarissimus, thesaurum
 sibi a lae familiari indicatum non eruit, sed altius defodit, atque
 omnibus intolerandus fit; veritus videlicet ne thesaurus sibi sub-
 ripiatur. Post varios tandem casus thesaurus cedit in dotem
 Phaedrae, Euclionis filiae, quae a Lyconide quodam adolescente
 compressa, ei tandem nubit. Haec fusius narrat lae familiaris in
Prologo, quem primum enucleandum suscipimus.

Antequam venio ad prologum, dicendum breviter, huic fabulae nomen ex re ipsa inditum fuisse; ex *olla* videlicet, in qua thesaurus contineretur, quaeque a veteribus Romanis *aula* fuit appellata, eadem ratione qua *plaustrum* dixerunt vel *plostrum*, *caudex* vel *codex*, immutata diphthongo *au* in *o* longum. Ex *aula* (italice *pentola*) factum est diminutum nomen *Aulularia*.

Caeterum ex argumento satis patet, commode posse hanc fabulam inscribi: *Avarus*. Et revera ad hanc identidem respexit Moliærius quum comoediam suam conderet, cui titulus: *L'Avare*. Gallus hic poëta, non secus ac Plautus, avarum depingit; hoc tamen discrimine, quod apud Sarsinatem avarus amore tantum thesauri sui afflicatur; e contrario apud Moliærium insano etiam puellae amore tenetur. Uterque profecto se ridendum praebebat spectatoribus. Namque, haud aliter atque avarus semper anxius, semper thesauro suo timens, ridetur senex, qui juvenum ritu feminam depereat. Animadvertendum tamen, romanam comoediam; magis quam gallicam, ad mores hominum emendandos conferre. Namque ponamus, uti scribit Schlegelius (*Cours de littér. dram. Lec. xii*), Moliærii comoediam pariter spectari a senex ob amorem deliro, atque ab homine avaro. Neuter se a poëta vellicari arbitrabitur. Avarus enim; me quidem, ait, vexat avaritia; sed insanus amor non agitat, qui adeo spectantium risus expromit. E contrario senex amator: equidem amo, inquiet, sed turpi avaritia non laboro, ob quam sordidus hic senex in scena ridetur. Quum igitur uterque quidpiam habeat, quo se tueatur, poëta fine suo frustrabitur, neque spectantium mores ridendo castigabit.

Hoc discrimen praesertim erat notandum, quod inter hasce fabulas intercedit. Deinceps quosdam Plauti et Moliærii locos inter se comparando, videbimus, utrius comoedia propius ad veritatem accedere videatur.

PROLOGUS



LAR FAMILIARIS.

Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.
 Ego lar sum familiaris ex hac familia,
 Unde exeuntem me adspexistis. Hanc domum
 iam multos annos est quom possideo et colo

Prologus, prima est ex quatuor partibus, in quas dividitur comoedia romana. Definitor autem praefatio ab auctore praemissa ad aemulorum confusionem, atque ad captandam benevolentiam auditorum. In hoc prologo loquens inducitur *lar familiaris*, cuius nomine intellige, lector, genitalem Deum, familiae praesidem ac custodem, cui Romani sacrificabant quotidie domi, vel in trivis in festo compitaliorum.

Ne quis miretur. Verbum *miror* in hoc loco idem valet atque *ignoro*. Ne quis ignoret qui sim. Ita Terentius Eun. 1. 2. 50: *Miror*, quid ex Piraeo abierit: Nos: *Non so, come sia partito dal Pireo*.

Lar sum familiaris ex hac familia. Pro vulgari: lar sum familiaris huius familiae. Lar sum familiaris, qui huius familiae custodiam gero.

Unde exeuntem me adspexistis. Haec quidem *δευταῖς*; a lare dicuntur, hoc est digito commonstrando aedes Eucleonis.

Hanc domum... possideo et colo. Inter caetera commoda, quae a Plautina loctione in studiosos maxime redundant, hoc silentio non est praetermittendum, germanam inde latini sermonis indolem et proprietatem hauriri. Quum enim exardescente bello punico secundo floruerit Plautus; ea videlicet tempestate, qua Romanorum mores nondum fuissent ab exterorum commercia immutati, quidpiam magis expressum et nativum in ipso occurrit, quod in posterioris aetatis scriptoribus desideramus; in quibus maior profecto est elegantia, at non eadem antiqui sermonis vis ac proprietas.

Patrique avoque iam huius, qui nunc hic habet.
 Sed avos mihi huius obsecrans concredidit
 Auri thesaurum clam omnis; in medio foco
 Defodit, venerans me, ut id servarem sibi.
 Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit,

Quantopere autem intersit romanae sapientiae studioso prima haec latinarum litterarum, pene dixerim, incunabula otiam atque otiam cognoscere, nemo est quin sciat. Quod quidem passim confirmatum videbimus, quotiescumque de verborum proprietate disseremus. Iamque sit exemplo haec dictio: *Hanc domum possideo et colo*. Duo hic coniungit noster, quae prima fronte unum atque idem videntur significare: *possideo et colo*. Quae tamen differunt inter se. Siquidem *possideo* idem sonat ac *teneo, habito*. Dii vero, urbes et loca dicuntur possidere, in quibus praecipua religione coluntur. Sic apud Ovidium, Fast. iv. 431:

Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor
 Trinacris: a posito nomen adepta loci.
 Grata domus Cereri: multas ibi possidet urbes,
 In quibus est culto fertilis Henna solo.

Colere autem interdum eleganter et proprio dicuntur qui inferiorum curam habent, eorumque commodis prospiciunt. Sic Virgilius, Ecl. ii. 60: *Iovis omnia plena; ille colit terras*; hoc est: ille curam habet terrarum. Neque id solum apud poetas. Sed Tullius, Att. x. 8: *Nihil, ait, mihi unquam gratius accidit, quam quod meam Tulliam suavissimo diligentissimequo coluisti*; id est: Tulliae meo diligentem curam habuisti. Quare lar familiaris hoc voluit significare: iam post multos annos ego color in hac domo, oisneque curam gero.

Patrique avoque. Nempe curam habeo pro patre et avo. Hic usurpatur dandi casus ad significandum favorem, veluti quum scribimus: *Peto tibi veniam*; hoc est: *peto pro te veniam*. Fuere qui existimarent, ita hunc locum esse omendandum: *Possideo et color patrique avoque*; hoc est: *color ab avo et patre*. Quae quidem omendatio absurda non est dicenda, sed tamen non necessaria. Namque probabilis omnino sensus erulter ex verbis Plautinis: *colo patrique avoque*. Idem dicendum de alia lectione, quam nonnulli excogitarunt: *Patrique avoque amicus qui nunc hic habet*.

Qui nunc hic habet. Saepe apud optimae notae scriptores latinos *habeo* pro verbo frequentativo *habito*.

Thesaurum auri omnis. Proprie thesaurus significat acervum et collectionem rerum, quae reconduntur in futurum usum; et ponitur praesertim de acervo pecuniae. *Thesaurum auri omnis*, italico: *la raccolta di tutto l'oro*.

In medio foco. Focus a fovendo dictus, est locus ubi ignis servatur. Italis: *il focolare*.

Venerans. Colens, honorans; namque lari in foco sacrificabant.

Is quoniam moritur. - *Quoniam et postquam* promiscue usurpant Latini.

Ita avido ingenio fuit. Vetustiores quidem codices habent: *avio*, id est

Nunquam indicare id filio voluit suo, 10
 Inopemque optavit potius eum relinquere,
 Quam eum thesaurum commonstraret filio.
 Agri reliquit eii non magnum modum,
 Qui cum labore magno et misere viveret.
 Ubi is obiit mortem, qui id mihi aurum credidit, 15
 Coepi observare, ecqui maiorem filius
 Mi honorem haberet, quam eius habuisset pater.
 Atque ille vero minus minusque impendio
 Curare, minusque me inpartire honoribus.
 Item a me contra factum est. Nam item obiit diem. Is 20
 Ex se hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
 Pariter moratum, ut pater avosque huius fuit.
 Huic filia una est; ea mihi cotidie
 Aut ture, aut vino, aut aliqui semper supplicat;

stolido. Utraque lectio respondet sententiae Plautinae. Nimirum hic senex fuit tam avido vel stolido ingenio, ut aurum defossum moriens filio non commonstravit.

Agri non magnum modum. Elegans dictio. Agri modus parvus vel magnus. Ital. *piccolo o grande campo*. Modus enim est mensura, quantitas. Hac etiam dictione utitur Horatius, Satyr. II. 6. 1: Hoc erat in votis: *modus agri non ita magnus*.

Eii. Ἀγγεῖος. Ei.

Ecqui vel ecquid maiorem. Pronomen *ecquis*; *ecquae*, *ecquod* usurpatur interdum pro *num*, *numquid*, *an*.

Maiorem honorem. Honor hic dicitur de sacrificiis, aliisque rebus, quibus honos Diis habetur. Virg. Aen. III. 118: Meritos aris mactavit honores.

Minusque impendio. Impendio est casus ablativus vocis *impedium* (*spesa*), qui adverbii more ponitur, idemque sonat ac *multo*. Iungitur interdum cum verbis, sed fere semper cum comparativis. Neque habendus est tamquam archaismus Plautinus; occurrit enim etiam apud Tullium, qui ad Atticum (x. 4.) scribens: At ille, ait, *impedio* nunc magis odit senatum.

Item a me contra factum est. Par pari ei retuli.

Pariter moratum. Iisdem praeditum moribus, aequae avarum, quique sacrificiis parcat.

Supplicat. Supplicare, dictum a plicandis, seu floctendis genibus, proprie est *adorare*, *venerari*, *orare*. Interdum etiam significat *sacrificare*, *rem divinam facere*. Ita apud Catonem, RR. 143: *Villica lari familiari pro copia supplicet*, hoc est rem divinam faciat. Quare *supplicat ture aut vino*, idem est ac sacrificat ture aut vino. Laribus autem sacra fiebant ture, vino, floribus, mola salsa, horna fruge, porca, vitula.

Dat mihi coronas. Eius honoris gratia 25
 Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
 Quo illam facilius nuptum, si vellet, daret:
 Namque eam compressit de summo adolescens loco;
 Is scit adolescens, quae sit quam compresserit;
 Illa illum nescit, neque compressam autem pater. 30
 Eam ego hodie faciam, ut hic senex de proximo
 Sibi uxorem poscat: id ea faciam gratia,
 Quo ille eam facilius ducat, qui compresserat.
 Etenim qui poscet eam sibi uxorem, senex
 Is adolescentis illius est avonculus, 35
 Qui illanc stupravit noctu, Cereris vigiliis.

Dat mihi coronas. Coronas ex floribus vel capiti meo imponit, vel in focum inicit. Docent archaeologi, mirae magnitudinis fuisse coronas, quae Laribus offerebantur.

Quo illam facilius nuptum... daret. Hic animadvertant studiosi, verbum *nubo* (unde nuptiae dictae sunt) tantummodo usurpari de sponsa, nunquam vero apud auroos scriptores de sponso. Quum enim apud veteres solerent sponsae, quum viro tradebantur, flammeo caput nubere, hoc est velamiue quodam crocei coloris caput tegere, ne proderetur virginis pudor, factum est, ut *nubere* ponatur pro eo quod est virginem in matrimonium collocari. Quapropter dicimus, mulierem *nubere* vel *nuptum dari* viro; e contrario, virum *uxorem ducere*.

Illam illum nescit. Namque illam in tenebris compressit adolescens.

Cereris vigiliis. Atbeis, ubi poeta fingit banc fabulam doceri, quotannis sacra celebrabantur in honorem Cereris, quae graeca voce *Thesmophoria* appellabantur. Haec sacra ab Erechtheo, Athenarum rege, primum instituta, fiebant per novem noctes perpetuas; propterea quod Ceres nocturno tempore Proserpinam filiam sibi surreptam quaesisset. Ad haec innumera mulierum turba confluebat, Cererem adoratura. Itaque noctis opportunitate usus Lyconides adolescens, Phaedram, Euclionis filiam, vitaverat. Cerealia haec sacra, quae et *mysteria* et *initia* a Romanis dicebantur, Plautus appellat *vigilias*, quod Cererem colentes per novem noctes vigilent. Ob eandem causam *pervigilia* etiam dicta sunt. Hunc morem vigiliandi iis uocibus, quae festa quaedam praecedebant, habuerunt etiam antiquissimi Christiani. Iude, ortae sunt apud nos *le vigilie dei Santi*. Quos tamen dies, si latine et eleganter loqui velimus, non *vigilias* appellabimus, uti vulgo fit, sed *praeludia*. Ex. gr. *Praeludium diei natalis Iesu Christi: La vigilia del SS. Natale*. Tuuc vero *praeludium* significat *preparazione*. Si vero *vigilia* idem sit ac *digiuno*, tunc scribimus latine *ieiunium*. Ex. gr. *Il Sommo Pontefice stabilì la vigilia della natività di Maria Vergine. Pontifex Maximus ieiunium Mariae Virgini ante eius nativitatem instituendum censuit*.

Sed hic senex iam clamat intus, ut solet;
 Anum foras extrudit, nē sit conscia.
 Credo, aurum inspicere volt, ne subreptum siet.

Anum foras extrudit. Intellige Staphylam, ancillam. *Extrudere* vim quamdam significat, quae in aliquem inferatur. Et translate usurpatur de mercatoribus, qui cupidius, et quasi invitis emtoribus merces suas vendunt. Horat. Ep. 11. 2. 10: Plenus aequo Laudat venales, qui vult *extrudere*, merces.

Ne subreptum siet. Pro vulgari: surreptum siet.



ACTUS I.

SCENA 4.

EUCLIO, STAPHYLA.

EUCLIO.

Exi, inquam! age, exi! exeundum hercle hiuc tibi est foras.
Circumspectatrix cum oculis emissitiis!

STAPHYLA.

Nam cur me miseram verberas?

Exi, inquam, age? Poëta fabulam suam exorditur a diverbio, seu colloquio senis avari et Staphylæ ancillæ, quam pluries in diem aedibus extrudit, veritus ne ab ipsa conspiciatur, dum thesaurum suum invisit.

Exi, inquam, age. Imperativum verbi *ago* usurpatur adverbii modo a Latinis. Quamvis autem sit numeri singularis, attamen coniungitur etiam cum verbis numeri multitudinis, uti apud Graecos *ἔξω*. Sic Liv. XXXVIII. 47: *Mittite aegedum legatos circa omnes Aslae urbes.* Val. Flacc. III. 311: *Vos age funereas ad litora volvite silvas.*

Heracle. Fuit formula irraudi virorum romanorum, qua nunquam utebantur feminae.

Exi, exi, exeundum. Huiusmodi repetitiones suspiciosum et auxium avari ingenium graphice depingunt.

Cum oculis emissitiis. Intellige, lector, oculos extra eductos et foras porrectos, quales illorum esse consueverunt, qui omnia diligentissime circumspiciunt. Itali: *Con questi occhi spalancati, indagatori. Con questi occhi da spia.*

Nam cur. Interrogatio, quae ex animo irato proficiscitur, significantior fit per particulam *nam*. Haec vero a comicis et reliquis poëtis fere praemittitur. Sic Virg. Georg. IV. 445: *Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras iussit adire domos?*

Verberas? Nimirum quum lentius ancillam videret Euclio ab aedibus recedentem, pugnis illam extrudit.

EUCLIO.

Ut misera sis,

Atque ut te dignam, mala, malam aetatem exigas.

STAPHYLA.

Nam qua me nunc causa extrusisti ex aedibus?

EUCLIO.

Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?

Illuc regredere ab ostio! illuc, sis! Vide, ut

Incedit! At scin', quomodo tibi res se habet?

Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in manum,

Testudineum istum tibi grandibo gradum!

STAPHYLA.

Utinam me divi adaxint ad spendium

Potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam!

Malam aetatem. Infelicem aetatem. Saepe tamen a Plauto *mala aetas* dicitur senectus, ut *bona aetas* pro iuventa.

Stimulorum seges. Hoc convicio saepe utebantur Romani in malos servos. *Seges* dicitur terra arata, et semini recipiendo parata. Quare per translationem corpus ancillae appellat noster terram, in qua stimuli commode seri et deligi queant. Stimulus vero est italice: *pungolo*, vel *staffile*. Nos: *Spalle da bastone*, *faccia da schiaffi*.

Regredere ab ostio. Proprie ostium de foribus internis, ab obstando dictis. *Illuc regredere... illuc sis!* Haec verba gestu adjuvantur ab actore, ut saepe fit in scena.

Illuc, sis! Si vis. Formula imperantis: ital. *là, se ti piace*.

Incedit! Progreditur lento! *Incedo* dicitur de iis, qui lente et cum dignitate procedunt. Virg. Aen. 1. 46. de Iunone: Ast ego quae divom *incedo* regina, Iovisque Et soror et coniux.

At scin' quomodo? Haec formula indignationem quandam significat, et minis et convicio inservit. Cf. Plaut. Bacch. v. 2. 59; Amph. 1. t. 900; Mil. iv. 4. 26.

Scin'. Syncope. Scisne?

Quomodo tibi res se habet? In quonam periculo verseris? quod tibi infortunium impendat?

Testudineum gradum. Lentum gradum. Nos: *passo da tartaruga*.

Grandibo. Archaismus. Grandire gradum, *far accelerare il passo*. Effliciam, ut maiora, gradiendo, spatia facias.

Adaxint pro eo quod est adigant, vel adegerint. Archaismus. Veteres enim usurparunt interdum *axint* pro *egerint*. *Utinam me divi adaxint ad spendium!* Itali: *Mi possa io impendere per la gola!*

EUCLIO.

At ut scelestas sola secum murmurat!
 Oculos hercle istos, improba, effodiam tibi,
 Ne me observare possis, quid rerum geram.
 Abscede! — Etiam nunc! — etiam nunc!

15

STAPHYLA.

Etiamne?

EUCLIO.

Obe.

Istic adstato! Si hercle tu ex istoc loco
 Digitum transvorsum, aut unguem latum excesseris,
 Aut si respexis, donecum ego te iussero,
 Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.

20

At ut scelestas...murmurat! Quum Staphyla, demissa voce, uti fit, proferret haec verba: *utinam me divi adaxint ad suspendium*; Euclio, *Vide*, ait, *ut scelestas sola secum murmurat*. Particula *at* usurpatur interdum ad significandam iram, aegritudinem, aut admirationem. Cf. Plaut. Mil. II. 1. 46; Tull. Fam. IX. 90; Id. Verr. II. 45; Stat. Silv. II. 4. 11.

Oculos effodiam tibi. — *Effodiam* pro *effodiam*. Hinc patet, serius apud Romanos invecum fuisse morem litteras geminandum. Si quis autem forte miretur, Plautum facilius et salibus interdum audacioribus uti; is, quaeso, meminerit, poetam nostrum populares mores expressisse, qua tempestate Romani nondum fuissent graeca elegantia expoliti. Tunc etiam mirari desinet dictiones quasdam, quae, si mores nostros consulamus, ab urbanitate aliquantulum abhorrere videntur. Cuiusmodi sunt: *stimulorum seges* — *oculos hercle effodiam tibi*, aliaeque huiuscemodi, quibus avarus noster Staphylam ancillam saepius vexat.

Abscede. Subaudiendum *ex aedibus*. Quum autem id invito animo et lenitius faceret Staphyla, usque respiciendo, Euclio iratus exclamat: *Etiam nunc!* quod idem est atque *adhuc*.

Ohe. Hac particula utimur quum aliquem monemus, ne vel cundo vel agendo pergat. *Ohe, istic adstato!* Ital.: *Basta, fermati là*. Haud aliter Noster: Asin. II. 3. 4: *Quis nostras sic frangit foris? Ohe, inquam, si quid audis! hoc est: ne pulla amplius, inquam, si quid audis!*

Digitum transvor. aut unguem lat. excesseris. Proverbialis dictio pro eo quod est: Si minimo spatio hinc discesseris. *Digitus transvorsus* est crassitudo digiti, *la spessore di un dito*. Nos: *se ti scosti quanto è grosso un dito, o larga un' unghia*.

Respexis. Syncope pro *respexeris*.

Dedam discipulam cruci. Crux fuit apud Romanos supplicium fere servorum acerrimum et infame. *Dedam discip. cruci* idem valet ac: *Faciam ut crux sit tibi magistra, et doceat te, non esse respiciendum, neque*



Scelestiorem me hac anu certe scio
 Vidisse nunquam, nimisque ego hanc metuo male,
 Ne mi ex insidiis verba imprudenti duit,
 Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum,
 Quae in occipiti quoque habet oculos, pessuma.
 Nunc ibo uti visam, estne ita aurum, ut condidi.
 Quod me sollicitat plurimis miserum modis.

STAPHYLA.

Ne nunc mecastor, quid hero ego dicam meo
 Malae rei evenisse, quamve insaniam,
 Quo comminisci: ita me miseram ad hunc modum
 Decies die uno saepe extrudit aedibus.
 Nescio pol, quae illunc hominem intemperiae tenent:
 Pervigilat noctis totas; tum autem interdius,

discedendum e loco tibi constituto. Nimirum agam te in crucem, a qua discas, non esse respiciendum.

Nimis male metuo. Interdum *male* idem valet ac *multum*. Etiam Terentius, *Heccyr.* II. 2. 2: *Male metuo ne morbus aggravescat.* Haec autem secum loquitur Euclio domum ingrediens, unde Staphylam extrusit.

Ex insidiis. Per insidias.

Duit. Archaismus pro *dederit*. Verba dare, idest decipere.

Ne nunc mecastor. Verba sunt Staphylae anus, exclusae a foribus, et mirantis heri sui insaniam, qui decies in diem ipsam aedibus extruderet.

Mecastor. Est particula iurantis per deum Castorem, quemadmodum *mehercule* per deum Herculem. Illud *me* est syllaba praefixa, quae idem significat quod *e*. Veteres grammatici originem ignorabant vocabuli *mecastor*, *mehercule*, et analogiam graecae dictionis non respicientes, opinabantur, *me* esse pronomen, ac propterea orationem complere solebant his verbis: *ita me Hercules adiuvet; ita me Castor amet*. Quo nihil ineptius dici potest.

Quid malae rei. Hoc est quam calamitatem, quod infortunium.

Hero meo. Servi generalim herum potiusquam dominum appellabant *il padrone di casa*. Nimirum sibi invicem respondent haec duo verba: *herus, servus*. Pater familias dicebatur *herus maior*; filius, *herus minor* vel *herilis filius*. Caeterum quum herus graeco sit *δασνός*; *herile imperium* diveris eleganter ad significandum *un impero dispotico, assoluto*.

Intemperiae. Proprie sunt malae tempestates, italice: *le stravaganze delle stagioni*. Cato, *RB.* 141, in prece ad Martem: Calamitates, ait, *intemperiasque* prohibessis. Translate vero *intemperiae* sunt insaniam, furor, vel etiam furiae: *le stravaganze dell'animo*.

Pervigilat noctis totas. - *Veglia le intere notti*: Hic notandum discrimen, quod intercedit inter *omnis* et *totus*. *Omnis* refertur ad quantita-

Quasi claudus sutor, domi sedet totos dies.
 Neque iam, quo pacto celem herilis filiae
 Probrum, propinqua partitudo cui adpetit,
 Queo comminisci; neque quidquam est melius mihi,
 Ut opinor, quam ex me ut unam faciam literam
 Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.

35

tem discretam, hoc est ad numerum; *totus* ad quantitatem continuam, et significat integrum aliquod corpus, cui nulla pars desit. Quare quum dicimus: *omnes noctes vigilare*, significatur numerus noctium; erit autem *vegliare tutte le notti*; *vigilare totas noctes* est vigilare omnes partes noctis, *le intere notti*.

Quasi claudus sutor. Proverbium ad hominem significandum, qui domo nunquam egrediatnr. *Claudos* appellat *sutores*, quod perpetuo sedentes minus alacres fiant, minusque apti ambulando. Siquidem corporis partes exercitio vigeat, inertia torpescunt.

Probrum. Incestum, stuprum.

Adpetit. Impersonaliter idem valet atque *appropinquat, instat, imminet*. Adpetente vere, *allo approssimarsi della primavera*.

Quo pacto celem. Quum Enclio nunquam domo exiret, nesciebat quomodo posset imminetentem Phaedrae partum illum celare.

Unam faciam literam longam. Me suspendam, ut me a domini ira liberem, quod male Phaedrae virginitatem servarim. Notanda est Plautina haec dicendi ratio pro vulgari: *me ad suspendium adigam*. Siquidem littera longa dicebatur a veteribus littera I, quod sola haec inter grandes et romanas illas supra caeteras eminent, et forma ipsa hominem pensilem, hoc est suspensum et porrectum exhibet; quales videlicet spectantium oculis exhibentur qui suspensio vitam finiunt.

Plautinae huc scenae subtendam arbitror partem priorem scenae tertiae actus primi, quae legitur apud Mollerium in comoedia *l'Avare*, quam supra memoravi. Ex hac enim comparatione facile intelligent studiosi, quam commode Plautinam imitationem in rem suam converterit gallus poeta. Hic autem loquens inducitur *Harpagon avarus*, et *La-Fleche* servus Cleanthis, Harpagonis filii.

HARPAGON.

• *Hors d'ici tout-à-l'heure, et qu'on ne réplique pas. Allons, quo l'on détale de chez moi, maître juré filou, vrai gibier de potence.*

LA-FLECHE, à part.

• *Je n'ai jamais rien vu de si méchant que ce maudit vicillard, et je pense, sauf correction, qu'il a le diable au corps.*

HARPAGON.

• *Tu murmures entre tes dents?*

LA-FLECHE.

• *Pourquoi me chassez-vous?*

HARPAGON.

• *C'est bien à toi, pendard, à me demander des raisons! Sors vite; que je ne t'assomme.*

ACTUS I. - SCENA II.

EUCLIO, STAPHYLA.

EUCLIO.

Nunc defaecato demum animo egredior domo,
 Postquam perspexi, salva esse intus omnia.
 Redi nunc iam intro, atque intus serva.

LA-FLÈCHE.

• *Qu'est-ce que je vous ai fait?*

HARPAGON.

• *Tu m'as fait, que je veux que tu sortes.*

LA-FLÈCHE.

• *Mon maître, votre fils, m'a donné ordre de l'attendre.*

HARPAGON.

• *Va-t-en l'attendre dans la rue, et ne sois point dans ma maison planté
 • tout droit comme un piquet, à observer ce qui se passe, et faire ton profit
 • de tout. Je ne veux point voir sans cesse devant moi un espion de mes
 • affaires, un traître dont les yeux maudits assiègent toutes mes actions,
 • dévorent ce que je possède, et furent de tous côtés pour voir s'il n'y
 • a rien à voler.*

LA-FLÈCHE.

• *Comment diantre voulez-vous qu'on fasse pour vous voler? Êtes-vous
 • un homme volable, quand vous renfermez toutes choses, et faites sen-
 • tinelle jour et nuit?*

HARPAGON.

• *Je veux renfermer ce que bon me semble, et faire sentinelle comme
 • il me plaît. Ne voilà pas de mes mouchards, qui prennent garde à ce
 • qu'on fait: (bas à part) Je tremble qu'il n'ait soupçonné quelque chose
 • de mon argent. (haut) No serais-tu point homme à faire courir le bruit,
 • que j'ai chez-moi de l'argent caché?*

Animo defaecato. Defaecare est a faece purgare. Translate *defaecatus* dicitur animus a timore vacuus, tranquillus, sedatus. Haec autem Euclio in scenam rediens secum ait, laetus quod thesaurum intactum viderit.

Redi nunc iam intro. Haec verba convertit Euclio ad Staphylam, quae est extra ianuam; iubet autem illam rursus domum ingredi, et omnia custodire.

Intus serva. Servare est sollicite et diligenter observare. *Servare domum* inquit Latini pro eo quod est: domesticae rei curam sedulam habere. *Intro, intus* differunt inter se. Siquidem *intro* coniungitur cum verbis significantibus motum ad locum; *intus* vero cum verbis quietem significantibus.

STAPHYLA.

Quippe nil

Ego intus servem! An, ne quis aedis auferat?
 Nam hic apud nos nihil est iam quaesti furibus;
 Ita inaniis sunt oppletae atque araneis.

EUCLEO.

Mirum, quin tua me causa faciat Iupiter
 Philippum regem aut Darium, trivenefica!
 Araneas mihi ego illas servari volo.

Quippe nil. Quippe hoc est certe, et inservit ironiae, quemadmodum apud Virgilium, Aeneid. I. 37. seqq.: Mene incocepto desistere victam, Nec posse Italia Teuerorum avertere gentem? *Quippe vector fatis.* Nos: *certainement per custodir dentro un bel niente.*

An, ne quis etc. Subintellige: An servabo, ne quis aedes auferat?

Quaesti. Archaismus pro quaestus.

Ita inaniis sunt oppletae. Avari Euclionis aedes appellat, lepida sane et comica dictione, *oppletas inaniis (riptene di vanità)*, quod videlicet nulla ibi supellex esset, quemadmodum pauperum aut avarorum domus esse consueverunt. Hac locutione commode uti possemus ad quorundam mentes significandas, qui ieiuni et vacui doctrina ad scribendum accedunt; quippe scriptores *inaniis oppletos* iure eos dixeris, in quorum scriptionibus nihil occurrit praeter sonantia quaedam verba et argutiolas sententiarum.

Mirum quin tua causa etc. Cum indignatione quadam haec dicuntur ab Euclione, qui id praesertim studet, ut se pauperem exhibeat, ne forte Staphyla quidpiam suspicetur de thesauro.

Philippum regem aut Darium. Intellige, Iector, Philippum Macedonum regem, Alexandri patrem, et Darium Persarum regem, quorum uterque maximis divitiis abundabat. Tres autem fuerunt Darii Persarum reges. Primus videlicet Hystaspis filius, pater Xerxis; alter Longimani filius; tertius Arsami filius, quem Alexander regno spoliavit. Ad tertium, utpote omnium ditissimum, videtur Plautus respexisse. Itaque proverbii loco haec dicuntur ab avaro pro eo quod esset: Mirum ni Jupiter, ut tibi satisfaciat, me opibus cumulet!

Trivenefica! Convicium in improbam mulierem. *Trivenefica*, hoc est mul-
 tierum venefica. Siquidem particula *tri* in compositione rem auget, uti in voce *trifurcifer*. Veneficae dicuntur praesertim a Latinis mulieres, quae incantationibus, aut malis medicamentis utuntur: *le maliarde, le streghe*. Recte igitur nos *trivenefica* interpretabimur: *maledetta strega*.

Araneas mihi ego etc. Festiva sane avari verba, qui thesauro suo usque timens, paupertatem magis magisque simulat. *Aranea* et animal significat, et animalis opus. *Araneas* vero dixerunt Latini ab Arachne, puella Lydia, quae ausa cum Minerva de lanificio certare, a Dea victrice in araneam fuit conversa.

Pauper sum, fateor; patior. Quod dī dant, fero. 10
 Abi intro! Occlude ianuam! Iam ego hic ero.
 Cave quemquam alienum in aedis intromiseris.
 Quod quispiam ignem quaerat, extingui volo,
 Ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet.
 Nam si ignis vivet, tu extinguere extempulo. 15
 Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
 Cultrum, securim, pistillum aut mortarium,
 Quae utenda vasa semper vicini rogant,
 Fures venisse, atque abstulisse dicito.
 Profecto in aedis meas, me absente, neminem 20
 Volo intromitti, atque etiam (hoc praedico tibi)
 Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris.

Occlude ianuam. Proprie de foribus, per quas e via domum ingredimur.
Iam ego hic ero. Iam interdum celeritatem significat. Cito, brevi hic ero.
Quod quispiam ignem quaerat. Animadvertet, lector, dictionis brevitatem.
 Quod posset fieri, ut quisquam ignem quaereret.

Si ignis vivet, tu exting. extemp. Si ignis a te non extinguetur, tu vita
 extingueris. Verba quae pertinent ad ignem atque ad vitam hominum,
 promiscue usurpantur a Latinis. Sic *extinguere ignem* inquit, et *inter-*
ficere torrem, spegnere un tizzo. Mori ignem, vivere ignem. Extem-
pulo. Ob epenthesin u adiectum est: *extemplo, statim.* Vox ab auguriis
 fortasse derivata, in quibus augures, auspicio impetrato, statim ex templo
 egrediebantur, Deorum voluntatem nunciaturi.

Aquam aufugisse dicito. Perridicula dictio, avari ingenio aptissima.

Quae utenda vasa etc. Vasorum nomine donatur quodlibet suppellectilis
 genus, *ogni sorta di arredi.* Ita culter, pistillum, *vasa* appellantur.
 In re rustica aratrum, ligones, falces, *vasa* etiam dicuntur. In re militari
vasa sunt omnis generis impedimenta, *il bagaglio.* Hinc dictiones illae
 Latinae, quae saepe apud historicos occurrunt: *conclamare vasa*, hoc est
 tuba signum dare militibus, ut impedimenta colligant. Caes. B. C. I. 66:
 Signum dari iubet, et *vasa* militari more conclamari.

Profecto. Omnino.

Hoc praedico tibi. Verbum *praedico* proprie usurpatur pro eo quod est
 serio monere de re, quae facienda sit. Nam quae serio volumus, multo
 ante quam flaut praedicere solemus. Nep. Them. 7: Collegas iussit profi-
 cisci, eisque *praedixit*, ut ne prius legatos dimitterent, quam ipse esset
 remissus.

Si bona Fortuna veniat. Haec, quibus Plautus suspiciosum et anxium
 avari animum depingit, omnino sunt ex hominis natura deprompta. Atque
 haud scio, an alia possint excogitari, quae ad veritatem magis accedere
 videantur. Haec nimirum est summa comici poetae virtus, qua Plautus

STAPHYLA.

Pol eapse, credo, ne intronittatur, cavet:
Nam ad aedis nostras nunquam adit quaquam prope.

EUCLIO.

Tace, atque abi intro!

STAPHYLA.

Taceo atque abeo.

EUCLIO.

Occlude, sis, 25

Foris ambobus pessulis. Iam ego hic ero. —

Discrucior animi, quia ab domo abeundum est mihi.

Nimis hercle invitus abeo; sed quid agam scio:

Nam noster nostrae qui est magister curiae,

Dividere argenti dixit numos in viros: 30

noster excellit, personarum mores ita exhibere, ut sentiant spectatores, nihil aptius aut dici aut fingi potuisse.

Nunquam adit quaquam prope. In hoc loco enucleando mire se torse-
runt interpretes. Alii legunt *quamquam*, subintelligentes verbum *est*. Ni-
mirum bona Fortuna *quamquam* prope est, videlicet in domo proxima
Megadori, hominis divitis; nunquam tamen ad aedos nostras venit. Alii
vero arbitrantur, legendum esse *quaquam*; quae particula idem sonat at-
que *ulla ex parte, omnino*; ita ut sensus sit: Bona Fortuna omnino nun-
quam venit ad aedos nostras.

Occlude, sis, foris ambobus pessulis. Hisce verbis supremiam, pene di-
xerim, manum addit poeta egregiae avari picturae. *Pessuli* nomine intel-
ligendus est vectis ferreus aut ligneus, quo fores clausae obfirmantur intus.
Euclio, qui tutior esse vellet, duos pessulos foribus obdiderat.

Iam ego hic ero. Haec verba repetit Euclio, ratus, Staphylam diligentius
esse servaturam, si crederet herum mox esse reversurum.

Invitus abeo. Ait secum Euclio, se invitum domo egredi ob nimiam aulae
curam; sed tamen non sine causa hoc facere. *Sed quid agam scio.* Nos:
Ma ho le mie buone ragioni di farlo.

Magister curiae. Magister curiae idem est qui alio vocabulo *curio* ap-
pellatur. Ex Romuli instituto urbs Roma in triginta curias fuerat divisa;
quibus singulis praeerat sacerdos qui sacra publica curaret. Itunc *curio-
nem* appellabant. Iam vero certis quibusdam diebus huiusmodi curiones
pecuniam curialibus suis, qui pauperes essent, virilim distribuebant. Euclio
timens, ne quis suspicaretur de thesauro recondito, ait, se vello una cum
reliquis curialibus pecuniam petere. Qua in re graeci mores (comoedia
enim est palliata) ad Romanos fuerunt traducti a poeta.

In viros. Virilim. Nos: *per testa.*

Id si relinquo ac non peto, omnes eloco
 Me suspicentur, credo, habere aurum domi:
 Nam verisimile non est, hominem pauperem
 Pauillum parvi facere quin numum petat:
 Nam nunc, quom celo sedulo omnis, ne sciant, 35
 Omnes videntur scire, et me benignius
 Omnes salutant, quam salutabant prius;
 Adeunt, consistunt, copulantur dexteras;
 Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram.
 Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum 40
 Me rursus, quantum potero, tantum recipiam.

Eloco. Illico, statim.

Pauillum parvi fac. quin petat. Parvi aestimare nummum pauillum, ita ut non petat.

Consistunt. Euntem in via me sistunt et compellunt. Italice: *mi arrestano per via.*

Copulantur dexteras. Itali: *mi stringono la mano.*

Rogitant. Hic animadvertenda vis comica Plauti, qui vel minimis rerum adiunctis sapienter utitur, ut ex vero avarum et suspiciosum hominem effingat.

Nunc quo profectus sum. Quo iter cepi, quo ire intenderam. Italicè: *doce mi sono avviato.*

Quantum potero, tantum recipiam. Quo citius fieri poterit, me recipiam

ACTUS II.

SCENA I.

EUNOMIA, MEGADORUS.

EUNOMIA.

Velim te arbitrari, med haec verba, frater.
 Meae fidei tuaeque hic rei causa facere,
 Ut aequom est germanam sororem.
 Quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi:
 Nam multum loquaces merito omnes habemur,
 Nec mutam profecto repertam ullam dicunt

5

Velim te arbitrari. Postquam poeta Euclionem exhibuit domo digredientem, ut se ad magistrum curiae conferret, pecuniam petiturus, Eunomiam et Megadorum colloquentes inducit in vico, qui medius erat inter domum Euclionis et Megadori. Megadorus hic, senex ille est de proximo et dilissimus, quem memorat Ear familiaris in prologo. Eunomia vero eius est soror. Sed antequam singula expendenda suscipio, velim, lectores notare longiorem verborum ambitum, quo utitur Eunomia antequam ad rem veniat, de qua potissimum est dictura. Quo facto loquacium feminarum morem commode expressit Plautus.

Meae fidei, tuaeque rei causa. Sincere, candide, ex animo, et pro tua utilitate. Nimum *res* saepe idem est latine, ac *commodum, usus, utilitas*. Ter. Phorm. II. 4. 9: Ego quae in *rem* tuam sint, ea velim facias. Tull. Fam. XIII. 44: Tanta mihi cum eo necessitudo est, ut, si mea *res* esset, non magis laborarem.

Germanam sororem. Germanus dicitur praesertim de iis, qui eodem patre eademque matre; interdum vero etiam de illis, qui eodem tantum patre, vel eadem matre sunt geniti.

Haud falsa sum. Haud ignoro.

Nam multum loquaces. Notandum poetae artificium, qui Eunomiam ita loquentem facit, ut, dum se a vitio loquacitatis vult purgare, haec scilicet se laborantem exhibeat.

Hodie mulierem ullo esse in seculo.
 Verum hoc, frater, unum tamen cogitato,
 Tibi proxumam me, mihi que esse item te:
 Ita aequom est, quod in rem esse utrique arbitremur, 10
 Et mihi te, et tibi me, consulere et monere,
 Neque occultum id haberi, neque per metum mussari,
 Quiu participem pariter ego te, et tu me facias.
 Eo nunc ego secreto ted huc foras seduxi,
 Uti tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem. 15

MEGADORUS.

Da mihi, optima femina, manum.

EUNOMIA.

Ubi est ea? quis ea est nam optima?

MEGADORUS.

Tu.

EUNOMIA.

Tunc ais?

MEGADORUS.

Si negas, nego.

EUNOMIA.

Decet quidem vera proloqui.

In rem esse utrique. Utile esse utrique.

Per metum mussari. Proprie mussare est submissa voce loqui; sed usurpatur etiam eleganter de dubitantibus, itemque de his qui timent, neque rem aperte dicere audent.

Eo nunc. Hac de causa nunc.

Da mihi, opt. fem., manum. En depictum senis morem, vix suis se viribus sustententem. Itinc vero ridiculum enascitur senis nupturientis.

Quis ea est? Apud veteres Romanos quis utrique generi inserviebat.

Ubi est ea? Animadvertite, lector, hanc Ennomiae interrogationem, exhibendarum scenae aptissimam. Nimirum quum Megadortus dixisset: Da mihi, optima femina, manum; Eunomia sui conscia, dubitat, utrum haec fratris verba ad se ipsam pertineant necne; ac propterea circumspiciens: ubi est, aii, quatenam est haec optima femina?

Decet quidem vera proloqui. In quibusdam editionibus legitur: *Decet te quidem etc.* Sed falso. Siquidem Eunomia in primo versu affirmaret quod negat in versu insequenti. Huc nimirum reciderent eius verba: *Tu verum profers, frater, quum ais, me esse optimam feminam; nulla enim optima potest inveniri.* Quod quidem, plane esset absurdum. E contrario, demto pronomine *te*, hic erit sensus: *Omnino dicendum est verum. Nulla optima*

Nam optima nulla eligi potest; alia alia peior, frater, est.

MEGADORUS.

Idem ego arbitror, nec tibi advorsari
Certum est de istac re, soror, unquam. Quid vis?

20

EUNOMIA.

Da mi operam, amabo.

MEGADORUS.

Tua est, utere, atque impera, si quid vis.

EUNOMIA.

Id, quod in rem tuam optimum arbitro esse, ted adinovitum advento.

MEGADORUS.

Soror, more tuo faci.

EUNOMIA.

Facta volo.

MEGADORUS.

Quid est id, soror?

EUNOMIA.

Quod tibi sempiternum

Salutare sit liberis procreandis! Ita di faxint! volo te uxorem
Domum ducere.

25

femina potest inveniri; alia est alia prior. Ital.: *Bisogna pur confessare la verità. Non si trova una buona femmina. L'una è peggiore dell'altra.* Hinc vero manat ridiculus locus, qui inest in affirmatione Megadori dicentis, se hac de re omnino assentiri sorori suae. *Idem ego arbitror etc.*

Da mi operam. In hoc loco idem valet atque *audire, auscultare.* Ital.: *badare, ascoltare.* Tull. Leg. II. 1: *Sermoni reliquo demus operam sedentes.* Nos: *Il restante del discorso ascoltiamo sedendo.*

Tua est. Te audio.

Soror, more tuo faci. Tu facis humaniter, ut soles. Ital.: *Bontà vostra, o sorella.*

Facta volo. Dictio affirmantis, a comicis frequentata, pro eo quod est *certe, profecto.* Itali: *Conosco il mio dovere.*

Quod tibi sempiternum. Hic sempiternum usurpatur adverbii more.

Ita di faxint! Perperam in optimis etiam editionibus, ut in taurinensis an. M. DCCC. XXI, haec verba tribuuntur Megadoro. Si enim Megadorus abhorret a re uxoria, uti ex verbis insequentibus patet, quomodonam Plantus illum sic potuit inducere loquentem, quasi liceat liberos ex alia re procreare, quam ex feminis? Quare haec verba sunt tribuenda Eunomia, quae per parenthesis exclamat: Ita dii faxint; atque omnino sensus

MEGADORUS.

Eheu occidi!

EUNOMIA.

Quid ita?

MEGADORUS.

Quia mihi misero cerebrum excutiunt

Tua dicta, soror: lapides loqueris.

EUNOMIA.

Heia, hoc face, quod te iubet soror.

MEGADORUS.

Si lubeat, faciam.

EUNOMIA.

In rem hoc tuam est.

MEGADORUS.

Ut emorar quidem, priusquam ducam. 30

Quae cras venat, perendie foras; soror, feratur;

His legibus siquam vis dare, cedo, nuptias adorna.

EUNOMIA.

Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote.

hic erit: *Volo quod tibi sit utile procreandis liberis (utinam id fiat), volo te uxorem ducere.*

Mihi misero cerebrum excutiunt. De sana mente me excutunt. Nos: *Mi fanno uscir di cervello.*

Lapides loqueris. Dictio proverbialis pro eo quod est: Durus et asper hic tuus est sermo, qui me quasi lapidibus impetit. E contrario Graeci, quum vellent significare, aliquem sibi sermonem placere: *ῥόδα, αἰεβαν, ῥ' εἰρημῆς*; hoc est: *rosas mihi locutus es.*

Ut emorar. - Ut interdum est particula optandi: utinam.

Emorar. Ἀρχαϊσμός. Emoriar.

Venat. Archaismus. Veniat.

Foras feratur. - Ferre et efferre usurpantur a Latinis pro eo quod est extra domum vel urbem ferre sepeliendi causa. Nep. Arist. 3: In tanta paupertate decessit, ut, *qui efferretur*, vix reliquerit. Nimirum hoc sibi vult Megadorus: Dummodo sponsa postridie nuptiarum moriatur, assentior nuptiis.

His legibus. Hisce conditionibus.

Cedo. Assentior. Nos: *mi arrendo.*

Nuptias adorna. Nuptias para. Megadorum ab uxore abhorrentem spectatoribus exhibet noster. Quo facto personae morem servat. Ha enim fieri videmus, ut qui diu caelibes libertate usi sunt, aegre omnino matrimonii iugum subeant.

MEGADORUS.

Sed grandior est natu?

EUNOMIA.

Media est mulieri aetas.

Eam si iubes, frater, tibi me poscere, poscam.

33

MEGADORUS.

Num nunc vis me interrogare te?

EUNOMIA.

Imo, si quid vis, roga.

MEGADORUS.

Post mediam aetatem qui media ducit uxorem domum,
 Si eam senex anum praegnantem fortuito fecerit,
 Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?
 Nunc istum ego, soror, laborem degam et deminuum tibi.
 Ego virtute Deum et maiorum nostrum dives sum satis:
 Istas magnas factiones, animos, dotes dapsilis,
 Clamores, imperia, eburata vehicla, pallas, purpuram,

30

Qui media ducit uxorem. Qui ducit mediae aetatis uxorem.

Anum praegnantem. Data opera ad exhilarandam scenam anum appellat Megadorus mediae aetatis mulierem. Hoc nimirum debuit displicere Eunomia, idque vultu etiam prodere. Namque vero Ariostus:

A donna non si fa maggior dispetto,

Che quando brutta o vecchia le vien detto.

Sit paratum nomen puero Postumus. Puer ille nascatur post patris mortem, ac propterea sit postremus filiorum.

Virtute Deum. Ope, auxilio Deorum. Itali: *per grazia degli Dei.*

Factiones. Societates divitum et nobilium. Nos: *aderenze, seguito.*

Animos. Animus in numero multitudinis saepe significat superbiam, fastum, elationem quandam animi. Ital. *fasto.*

Dotes dapsilis. Dotes copiosas, abundantes, a graeca voce *δαπνός*, largus.

Imperia. Usurpatur haec vox in malam partem a poeta. Ita *Mantiana imperia* apud Romanos in proverbium abierunt ad significanda imperia acerbiora et saeva. Hinc *imperiosus* dicitur arrogans, qui imperio et auctoritate sua abollitur.

Eburata vehicla. Carrus ebore exornati. Itali: *Carrozze guernite di avorio.*

Pallas. Est palla vestis exterior talaris, ampla et fluens, propria honestarum feminarum. Nos: *vesti a strascico.*

3

Nil moror, quae in servitute sumtibus redigunt viros.

EUNOMIA.

Dic mihi, sodes, quis ea est, quam vis ducere uxorem?

MEGADORUS.

Eloquar. 45

Nostin' hunc senem Euclionem ex proximo pauperulum?

EUNOMIA.

Novi, hominem haud malum mecastor.

MEGADORUS.

Eius cupio filiam

Virginem mihi desponderi. Verba ne facias, soror.

Scio, quid dictura es: hanc esse pauperem. Haec pauper placet.

EUNOMIA.

Di bene vortant!

MEGADORUS.

Idem ego spero.

EUNOMIA.

Quidni? Numquid vis?

MEGADORUS.

Vale. 50

EUNOMIA.

Et tu, frater.

MEGADORUS.

Ergo conveniam Euclionem, si domi

Est. Sed eccum nescio unde se se homo recipit domum.

Nil moror. Nihili aestimo.

In servitute sumtibus redigunt viros. Vitos miseros reddunt ob sumptus, ab iis tolerandos.

Sodes. Si audes. Ital. di grazia.

Haud malum. Probum.

Filium virginem. De industria hanc vocem virginem addit Plautus, ut videlicet risum excutiat spectatorum, qui iam noverant, ipsam a Lyconide compressam, brevi esse parituram.

Quidni? Cur non?

Sed eccum etc. Hiscet postremis verbis concinne haec scena coniungitur cum insequenti; ita ut nihil sit longius petatum aut ineptum, nihil quod a natura non fuisse profectum videatur

ACTUS II. - SCENA II.

EUCLIO, MEGADORUS.

EUCLIO.

Praesagibat mi animus, frustra me ire, quom exhibam domo:
Itaque abibam invitus: nam neque quisquam curialium.
Venit, neque magister, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet sum hic, animus
domi est.

MEGADORUS.

Salvos atque fortunatus, Euclio, semper sies!

EUCLIO.

Di te ament, Megadore!

MEGADORUS.

Quid tu? recten' atque ut vis, vales?

EUCLIO.

Non temerarium est, ubi dives blande adpellat pauperem:
Iam illic homo aurum scit me habere: eo me salutat blandius.

In hac scena Euclio domum rediens, spe frustratus accipiendae pecuniae, secum ipso solus loquitur. Huic obvius fit Megadorus senex, ut filiam sibi poscat uxorem.

Praesagibat mi animus. - *Praesagire* est praedivinare, metaphora ducta a canibus. Nimirum *sagire*, uti ait Tullius, *Divin.* I. 31, est acute sentire; ex quo sagaces dicti canes. Is igitur qui ante sagit quam oblata res est, dicitur *praesagire*, idest futura ante sentire.

Quisquam curialium. Nemo ex his qui erant eiusdem curiae atque Euclio.
Egomet sum hic, etc. En avari imaginem, qui aliud agens, animo semper ad thesaurum revolvitur.

Salvos atque fortunatus semper sies! Formula salutationi respondens nostrae: *Il cielo ti dia ogni prosperità.*

Di te ament. Di tibi sint propitii. Nos: *Buon giorno.*

Quid tu? Loquendi modus, quo utimur quum aliquem interrogamus, vel sermonem cum aliquo volumus ordiri; subintelligitur autem *agis*. Itali: *Come va?*

Non temerarium est. Non est sine causa.

Iam illic homo. Haec secum ipse loquitur Euclio suspiciosus, qui quidquid audiat, ad thesaurum refert. *Illic* pro illo.

MEGADORUS.

Ain' tu, te valere?

EUCLIO.

Pol ego haud perbene a pecunia.

MEGADORUS.

Pol si est animus aequos tibi, habes sat, qui bene vitam colas. 10

EUCLIO.

Anus hercle huic indicium fecit de auro; perspicue palam est;
Quoi ego iam linguam praecidam, atque oculos ecfodiam domi!

MEGADORUS.

Quid tu solus tecum loquere?

EUCLIO:

Meam pauperiem conqueror:

Virginem habeo grandem, dote cassam atque inlocabilem;

Neque eam quo locare quoquam

MEGADORUS.

Tace; bonum habe animum, Euclio: 15

Dabitur: adiuvabere a me. Dic, si quid opust; impera.

EUCLIO.

Nunc petit, quom pollicetur! inhiat aurum, ut devoret!

Pol ego haud perbene a pecunia. Non multum bene valeo ad pecuniam quod attinet. Itali: *Non istò molto bene di danaro.* Quae responsio dum avarum hominem prodit, pertinet ad avertendam Megadori suspicionem de thesauro.

Si animus aequos. Nos: *Se sei d'animo discreto.* Huc respexit Moliarius (Avare, acte I, sc. V), quum ita Cleonthem Harpagoni patri loquentem inducit: *« Mon Dieu! mon père, vous n'avez pas lieu de vous plaindre, et l'on sait que vous avez assez de bien. »*

Anus hercle etc. Euclio Megadori verba ad thesaurum transfert, ratus, hunc quidpiam rescivisse a Staphyla de thesauro abscondito.

Perspicue palam est. Itali: *La cosa è chiara.*

Quid tu solus etc.? Admiratus Megadorus; Euclionem secum mussitare: Quid, ait, tu solus tecum loqueris?

Virginem grandem. Iam aetate provecam.

Dote cassam. Dote carentem.

Inlocabilem. Quae ob inopiam virum non potest invenire, cui nubat.

Quo locare. Per crasin. Quo locare.

Inhiat aurum. Aurum vehementer cupit. Dictio a belluis translata, quae aperto ore cibum appetunt.

Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera!

Nemini credo, qui large blandust dives pauperi:

Ubi manum iniicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam. 20

Polypos ego istos novi, qui, ubi quid tetigerunt, tenent.

MEGADORUS.

Da mi operam parumper: paucis, Euclio, est quod te volo

De communi re adpellare mea et tua.

EUCLIO.

Hei misero mihi!

Aurum mi intus harpagatum est: nunc hic eam rem volt, scio,

Mecum adire ad pactionem: verum intervisam domum. 25

MEGADORUS.

Quo abis?

EUCLIO.

Iamiam ad te revertar: namque est, quod visam domum.

MEGADORUS.

Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,

Altera manu fert lapidem, etc. Proverbialis locutio, ducta ab hominibus, qui panem cani ostentant, quo facilius admoto lapidem impingant. Satis sit semel notasse, proverbia apud comicos praesertim abundare. Haec enim ratione familiarem loquendi rationem imitantur, qua populus uti consuevit.

Manum iniicit. Manum cum manu copulat. Nos: *stringe la mano*.

Onerat aliquam zamiam. Infert aliquod damnum. Zamia a graeca voce ζαμία, iactura.

Polypos ego istos novi. Polypos (a graecis verbis πολλός, *multus*, ποίς, *pes*) est piscis marinus, qui scopulis et petris tam firmiter adhaeret, ut inde avelli non possit. Hinc usurpatur a Latinis pro homine rapaci.

Aurum harpagatum est. Raptum est. A graeca voce ἀρπαγή, *rapio*.

Eam rem. Ob eam rem.

Adire ad pactionem. Inire pactionem. Ital: *venire a patti*.

Intervisam domum. Haec submissa voce secum loquitur Euclio, potiusquam Megadoro respondeat.

Edepol. Certe. Formula iurisiurandi per deum Pollucem, viris et feminis communis. Hic vero animadvertendum est, *Pol* usurpari tamquam casum vocativum pro eo quod esset *o deus Pollux*, et litteram *e* illi praepositam, vocis significationem intendere. Quum autem veteres pro *epol* scriberent etiam *cepol*, lapsu temporis, littera *d* interposita, fecerunt *edepol*: Caeterum nemo sane probabit absurdam explicationem *per aedem Pollucis*, quae a veteribus grammaticis excogitata, Forcellinio etiam nostro perplacuit.

Ubi mentionem fecero de filia. Mentionem facere erat apud Romanos

Mi ut despondeat, se se a me derideri rebitur;
Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior.

EUCLIO.

Di me servant: salva res est: salvom est si quid non perit. 30
Nimis male timui, priusquam intro redii! exanimatus fui!
Redeo ad te, Megadore, si quid me vis.

MEGADORUS.

Habeo gratiam.

Quaeso, quod te percontabor, ne il te pigeat proloqui.

EUCLIO.

Dum quidem ne quid perconteris, quod non lubeat proloqui.

MEGADORUS.

Dic mihi: quali me arbitrare genere prognatum?

EUCLIO.

Bona. 35

MEGADORUS.

Quid fide?

EUCLIO.

Bona.

solemnis formula sponsaliorum, qua utebatur qui puellam vel sibi vel alii in matrimonium posceret. Item *despondere* erat vox, qua utebatur pater quum filiam alicui uxorem promitteret, vel quum pater adolescentis propositam conditionem acciperet, sponderetque pro filio, puellam ab eo ductam iri.

Neque quisquam hodie ex paupertate parcior. Hic versus prima fronte subobscurus legenti videbitur. Sed difficultas tota posita est in significatione dictionis *ex paupertate*, quae hic usurpatur a poeta pro eo quod esset *ex ordine, ex numero pauperum, ex pauperibus*. Ital.: *tra la po-veraglia*. Ita etiam aetas saepe ponitur a Latinis pro hominibus ipsis qui eius aetatis sunt: *senectus* pro *senibus*, *iuventus* pro *juventibus*.

Parcior. Tam in bonam partem de homine, qui sumtibus moderetur, tum in malam de homine tenaci, avaro.

Di me servant; salva res est. Ita Mollerius (Avar. act. I. scen. 11.): *Ce n'est rien, Dieu merci.*

Salvom est si quid non perit. Avarus auro suo semper timens, etiamsi nunc salvum invenerit, metuit tamen in futurum, quasi diceret: si salvum est quod non perit, sed potest aliquando perire.

Habeo gratiam. Ital.: *Te ne sono obbligato.*

Genere prognatum. *Prognatus* dicitur de nepotibus; *natus* de filiis.

MEGADORUS.

Quid factis?

EUCLIO,

Neque malis, neque improbis.

MEGADORUS.

Scis meam aetatem?

EUCLIO,

Scio esse grandem, itidem ut pecuniam,

MEGADORUS.

Certe edopol equidem te civem sine mala omni malitia

Semper sum arbitratus, et nunc arbitror.

EUCLIO,

Aurum huic olet.

Quid nunc me vis?

MEGADORUS.

Quoniam tu me, et ego te, qualis sis, scio: 40

Quae res recte vortat mihi que tibi que tuaeque filiae,

Filiam tuam mi uxorem posco. Promitte, hoc fore.

EUCLIO.

Heia, Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,

Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me inrideas:

Nam de te neque re, neque verbis merui, ut faceres, quod facis. 45

Mala malitia. Apud veteres *malitia* habebatur tamquam vocabulum medium, uti *dolus*, *facinus* aliaque id genus, quae in bonam iuxta atque in malam partem usurpantur. Hinc dictio: *mala malitia*.

Aurum huic olet. Haec secum avarus. Nos: *Costui sente l'odor del'oro*.

Quid nunc me vis? Subaudi *facere*.

Quae res recte vortat. Solemnis praefatio apud Latinos bene ominandi causa.

Innoxium abs te etc. Innoxium, quod pertinet ad te. Haud aliter in *Curc. I. 1. 51*: Tam a me pudica est, quasi soror mea sit.

Abs te. Ante vocabula, quorum prima littera est *g* aut *t*, fere semper ponunt *abs* optimi quique scriptores.

Facinus facis ut inrideas. Facinus facis me irridendo.

Inrideas. Ad rem Iuvenalis, *Sat. III. 153*: Nil habet infelix paupertas durius in se, Quam quod ridiculos homines facit.

MEGADORUS.

Neque edepol ego te derisum venio neque derideo,
Neque dignum arbitror.

EUCLIO.

Cur igitur poscis meam gnatam tibi?

MEGADORUS.

Ut me propter tibi sit melius, mibique propter te et tuos.

EUCLIO.

Venit hoc mihi, Megadore, iu mentem, ted esse hominem divitem,
Factiosum; me item esse hominem pauperum pauperrimum: 50
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem esse, et med asellum: ubi tecum coniunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto;
Tu me bos magis haud respicias; gnatus quasi nunquam siem;
Et ted utar iniquiore, et meus med ordo inrideat; 55
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuit:
Asini me mordicibus scindant, cornibus insurgent boves.
Hoc magnum est periculum, ab asinis me ad boves transcendere.

Factiosum. Qui multis gaudet clientelis. Nos: *Chi ha molte aderenze.*

Med asellum. Latini veteres, qui concursum vocalium respuerent, saepe vocibus in vocalem desinentibus addebant litteram *d*, tum maxime quum subsequenteris vocis prima littera vocalis esset. Hoc quidem notum est ex Quintiliano, ex fragmento columnae rostratae, C. Duillio positae, atque ex aliis vetustioris latini sermonis monumentis.

Iaceam... respicias. Eleganter pro futuro. *Iacebo... respicies.*

Magis haud... quasi etc. Non magis quam si.

Gnatus quasi nunquam siem. Proverbialis dicendi modus, qui idem valet ac: Tu me omnino non respicies.

Meus ordo. Homines mei ordinis, seu meae conditionis.

Stabile stabulum. Sedem certam, in qua morari possim.

Si quid divortii fuit. Si a te discessero; si qua exstiterit discordia. Divortium proprie usurpat de loco, ubi aquae in diversas partes defluant; translate de discessione coniugum et de qualibet discordia.

Mordicibus. Fuero qui *mordicus*, nonnulli qui *morsibus* aut *mordicitus* legendum esse existimarent. Sed plerique, iidemque elegantissimi, maluerunt *mordicibus*; rati, *mordices* a Plauto *dentes* appellari.

Cornibus insurgent. Cornibus aggredientur.

Ab asinis me ad boves transcendere. Me pauperem coniungere necessitudine cum divite.

MEGADORUS.

Quam ab probos propinquitate proxime te adiunxeris,
 Tam optimum est. Tu conditionem hanc accipe (ausculta mihi), 60
 Atque eam mihi desponde.

EUCLIO.

At nihil est dotis quod dem.

MEGADORUS.

Ne duas :

Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.

EUCLIO.

Eo dico, ut ne me thesauros reperisse censeas.

MEGADORUS.

Novi: ne doceas. Desponde.

EUCLIO.

Fiat. — Sed proh Iupiter!

Num ego disperii?

MEGADORUS.

Quid tibi est?

EUCLIO.

Quid crepuit quasi ferrum modo? 65

Quam proxime... tam optimum est. Quo proplus... eo melius.

Conditionem accipe. Conditio, quam agitur de re nuptiali, est quod Italii: partito.

Desponde. Vox sollemnis in nuptiis. Hinc sponsalia, sponsus.

Ne duas. Ne des.

Ne me thesauros reperisse censeas. En quemadmodum homo suspiciosus et avarus se ipsum vel invitus prodat.

Novi: ne doceas. Hac loquendi formula utimur, quum aliquod colloquium finiri volumus. Itali: So tutto: alle corte.

Quid crepuit quasi ferrum modo? Egregius sane Plautinus locus hic est, qui suspiciosam avari naturam depingit. Nimirum vel perlevis strepitus coram avaro affert, verito ne thesaurus suus forte effodiatur. Quare fingit poeta, Euclionem, audito crepitu, quem forte ediderat qui hortum Megadori confodiebat, quasi exanimatum, relictio Megadoro, domum advolasse, visurum num quis thesaurum suum defoderet. Qui locus ita Mollerio adrisit, ut ipsum imitari non dubitaverit. Fingit enim gallus poeta (Avar. act. I. scen. viL.), Harpagonem, audito forto canis latratu, statim thesauro suo timuisse, quem in horto absconderat: « Ouais! il me semble, que j'entends un chien qui aboie. N'est-ce point, qu'on en voudrait à mon argent? Ne bougez, je reviens tout-à-l'heure. »

MEGADORUS.

Hic apud me hortum confodere iussi. Sed ubi hinc est homo?

Abiit, neque me certiozem fecit: fastidit mei.

Quia videt, me suam amicitiam velle, more hominum facit:

Nam si opulentus it petitem pauperioris gratiam,

Pauper metuit congregari; per metum male rem gerit; 70

Idem, quando occasio illaec periit, post sero cupit.

EUCLIO.

Si hercle ego te non elinguendam dederò usque ab radicibus,

Imperoque auctorque sum, ut me quoivis castrandum loces.

MEGADORUS.

Video hercle ego te arbitrari me, Euclio, hominem idoneum,

Quem senectæ aetate ludos facias, haud merito meo. 75

EUCLIO.

Neque edepol, Megadore, facio, neque, si cupiam, copia est.

MEGADORUS.

Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?

Sed ubi hinc est homo? Anadvertit Megadorus Euclionem aufugisse; secum ipse queritur, et pauperum mores accusat.

Congregari. Archaismus pro *congregari*. Ital.: *abboccarsi*.

Si hercle etc. Dum Megadorus haec secum, audinntur ex altera scenæ parte Euclionis clamores, qui more suo iurgia in Staphylam iactat propterea quod suspicatur, ipsam de thesauro cum vicinis esse collocutam.

Impero auctorque sum, ut me etc. Italice: *Son contento, che tu ecc.*

Castrandum loces. En dictionem, quae pullatam tantummodo plebem decet; en iocum in turpiculis positum, unum videlicet ex iis, quos Horatius eiusque aequales in Plauto improbant. Verum ita proprius est tunicati popelli, ut hodieque haec dicendi formula aures nostras interdum offundat. *Castrandum loces*, hoc est, *mercede pacta me tradas castrandum*.

Hominem idoneum, quem etc. Hominem dignum, quem tu irrideas.

Senectæ aetate. Veteres usurparunt etiam tamquam adiectivum *senectus*, a, um pro *senilis*. Sic Lucretius, lib. 774: *Membris senectis*.

Neque, si cupiam, copia est. Subobscura, primo statim adspectu, videntur haec verba, quibus Euclio testatur, etiamsi cuperet, se non posse ludos facere. Verum difficultas evanescet, si animadvertamus, voluisse Euclionem locari in locutione ipsa *ludos facere*, hanc referendo ad ludos, quibus beatiores homines plebem oblectarent. Negat nimirum, se tam divitem esse, ut pecuniam profundero possit in publicos ludos. Quod quidem artificium sic verba usurpandi, ut alim iis sensum tribuas, atque ille vult, qui locutus est, pertinet praesertim ad comicos, qui hac ratione risum spectatorum saepe excitare consueverunt.

EUCLIO.

Illis legibus,

Cum illa dote, quam tibi dixi.

MEGADORUS.

Sponden' ergo?

EUCLIO.

Spondeo.

MEGADORUS.

Di bene vortant!

EUCLIO.

Ita di faxint! Illud facito ut memineris

Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te adferret filia.

80

MEGADORUS.

Memini.

EUCLIO.

At scio, quo vos soleatis pacto perplexarier:

Pactum non pactum est, non pactum pactum est, quod vobis lubet.

MEGADORUS.

Nulla controversia mihi tecum erit. Sed nuptias

Hodie quin faciamus, num quae causa?

EUCLIO.

Imo edepol optuma.

MEGADORUS.

Ibo igitur; parabo. Numquid vis?

EUCLIO.

Istuc,

Illis legibus. Conditionibus, pactis.

Illud facito ut memineris. Haec omnino sunt ad avari naturam comparata.

Vos soleatis. Vos divites, quum quidpiam paciscimini cum pauperibus.

Perplexarier. Agere ambigue et captiose.

Pactum non pactum etc. Voluit Plautus hisce verbis significare tergiversationes et fallacias, quibus saepe utuntur potentiores adversus tenuiores.

Istuc. Subint.: Volo istud, nempe ut nuptiae parentur.

Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.

EUCLIO.

Ille hinc abiit. Di immortales, obsecro, aurum quid valet!
Credo ego illunc iam inaudisse, mi esse thesaurum domi:
Id inhiat; ea adfinitatem hanc obstinavit gratia.

ACTUS II. — SCENA III.

EUCLIO, STAPHYLA.

EUCLIO.

Ubi tu es, quae deblaterasti iam vicinis omnibus,
Meae me filiae daturum dotem? Heus, Staphyla, te voco.
Ecquid audis? Vascula intus pura propere atque elue.
Filiam despondi ego; hodie nuptum huic Megadoro dabo.

Ad macellum. Olim varia fuerunt in urbe Roma loca, in quibus separatim varii generis obsonia venderentur. Fuit nimirum forum piscarium, forum olitorium, forum cupedinis (more nostro: *il mercato de' pesci, dell'erbe, dei cibi più delicati*). Lapsu temporis omnia quae ad victum pertinerent, in unum locum fuerunt contracta. Hic autem locus *macelli* nomine fuit donatus a *Macello* quodam, latrone romano, quo damnato, censores statuerunt, ut in domo eius obsonia venderentur. Alii *macellum* profectum volunt a *mactandis pecoribus*. Alii demum a graeca voce *μαζαλον*, quae *septum* significat. Quare, *sequere propere me ad macellum*, erit italico: *veni subito con me in piazza*.

Strenue. Nos: prontamente, da bravo.

Credo ego illunc etc. Semper sibi constat avarus; perpetua suspicione laborat.

Adfinitatem obstinavit. Dictio singularis, pro eo quod esset: obstinato animo adfinitatem expetivit.

Ubi tu es, etc. Domum reversus Euclio, credens, Staphylam quidpiam indicasse de thesauro, illam rursus obiurgat.

Deblaterasti. Deblaterare est inani loquacitate obstrepere, inopte loqui. Itali: *chiaccherare*. Usurpator vero praesertim de pueris et feminis vulgaribus, quae quidquid in buccam venit, statim garrunt.

Vascula pura etc. Hic quispiam fortasse inquiet: si nuptiae parabantur domi apud Megadorum, cur Euclio iubet Staphylam vasa purificare? Hoc

STAPHYLA.

Di bene vortant! Verum ecastor non potest, subitum est nimis. 5

EUCLIO.

Tace atque abi! Curata fac sint, quom a foro redeam domum,
Atque ocludito aedis: iam ego hic adero.

STAPHYLA.

Quid ego nunc agam?

Nunc prope adest nobis exitium, mi atque herili filiae:
Nam probrum atque partitudo prope adest ut fiat palam;
Quod celatum atque occultatum est usque adhuc, nunc non potest. 10
Ibo intro, ut herns quae imperavit, facta, quom veniat, sient.
Nam ecastor malum moerore metuo ne mistum bibam.

pertinet ad Romanorum morem, qui ante nuptias solerent Iunoni, Veneri et Gratiis sacrificare. Iamvero vasa, quibus in sacrificiis utebantur, diligenter purgabant.

Curata fac sint. Purgata fac sint.

Ocludito aedis. Hoc Staphylam monet quotiescumque domo exit avarus.

Nam ecastor malum etc. Hic versus diu torsit interpretum ingenium, dum alii legeront *malum moerorem*, alii *malum meracum*. Potior haec nobis lectio videtur: metuo, ne bibam malum cui moeror additus sit. Metuo, ne malum cum moerore sim passura.

ACTUS III.

SCENA I.

STROBILUS, ANTHRAX, CONGRIO

STROBILUS.

Postquam obsonavit herus et conduxit cocos
Tibicinasque hasce apud forum, edixit mihi,
Ut dispartirem obsonium hinc bifariam.

ANTHRAX.

Me tu quidem hercle (edico palam) non divides;

Postquam obsonavit etc. Novam hic scenam spectatoribus exhibet Plautus, in qua colloquentes inducit Megadori servum et coquos, quos iste ad nuptias conduxerat. Hi vero, uti fit, iniecta Euclionis mentione, festivos quosdam iocos effundunt de ipsius avaritia. *Obsonare* est Latinis obsonia comparare, emere.

Conduxit cocos. Si de re sermo sit, *conduco* significat, rem aliquam utendam pretio accipere; ut *conducere* domum, *pagliare a pigione una casa*. Si vero de persona, idem est ac, operam alicuius hominis mercede comparare. Diceres italice: *pagliare a lavorare*. Siquidem qui coquos familiares non habebant, eos in foro conducebant. Haec autem coquorum nomina a rebus culinariis sunt deducta. *Anthrax* (ἄνθραξ) carbonem significat; *Congrio* dictus a *congro*, qui genus est piscis marini, anguillae similis.

Tibicinas. Mulleres quae tibia canerent. Nos: *suonatrici da flauto*. Ille tempus admonet, ut animadvertamus, hunc morem fuisse apud Romanos, ut homines ditiores inter coenandum oblectarentur non solum cantu tibicinarum et lyristarum, sed etiam spectaculo comoedorum et puellarum saltantium. Quod quidem patet ex Plauto, *Epist.* I. 15.

Me tu quidem . . . non divides. Hic iocantur inter se Strobilus et coqui; sed, plebeiorem hominum ritu, iocos fundunt flagitiosos. Nimirum in verbo *divides* turpis et obscenus sensus latet. Est enim Graecis ἀσχηματίζω, Latinis paedicare.

Si quo tu totum me ire vis, operam dabo.

5

CONGRIO.

Bellum et pudicum vero prostibulum popli!

Post, si quis vellet, te haud non velles dividi.

STROBILUS.

Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram,

Non istuc, quo tu iusimulas. Sed herus nuptias

Meus hodie faciet.

ANTHRAX.

Quoius ducet filiam?

10

STROBILUS.

Vicinid Euclionis huius e proxumo.

Ei adeo obsoni huic iussit dimidium dari,

Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.

ANTHRAX.

Nempe huc dimidium dicis, dimidium domum?

STROBILUS.

Nempe, sicut dicis.

ANTHRAX.

Quid? hic non poterat de suo

15

Senex obsonari filiae in nuptiis?

STROBILUS.

Vah!

Prostibulum. Dicitur non solum de loco, ubi prostant meretrices, sed etiam de ipsa meretrice; interdum etiam de masculo. Caeterum heic Congrio obscenum iurgium iacit in Anthracem socium, quod haud inviti praetermittimus.

Aliovorsum. Alio consilio, alio sensu.

Obson. hinc dimid. Obsoni dimidium ex domo sua.

Cocum alterum. Animadverto, lector, discrimen, quod intercedit inter voces *alter* et *alius*. *Alter* dicitur quum duo tantum sint; *alius* quum de pluribus sermo sit. Sic: cocum alterum, *l'uno dei due cuochi*. Cocum alium, *un altro cuoco*.

Huc dimidium. Subint. *ferrem*. *Nempe huc.* Idest in domum Euclionis.

Domum. Supp. Megadori.

Nempe sicut dicis. Nos: *Appunto come tu di*.

Obsonari de suo. Subint. *aere*. Hinc italica loquendi formula: *del suo*.

Vah! Interiectio varios affectus significans. Hic est vox admirantis. Dicitur italico: *Come!*

ANTHRAX.

Quid negoti est?

STROBILUS.

Quid negoti sit, rogas?

Pumex non aequè est aridus, atque hic est senex.

ANTHRAX.

Ain' tandem, ita esse, ut dicis?

STROBILUS.

Tute existuma.

Quin divom atque hominum clamat continuo fidem,

20

Suam rem periisse, seque eradicarier,

De suo tigillo fumus si qua exit foras.

Quin, quom it dormitum, follem obstringit ob gulam.

ANTHRAX.

Cur?

STROBILUS.

Ne quid animae forte amittat dormiens.

Pumex non aequè est aridus, etc. Dictio metaphorica pro eo quod esset: hic senex est avarorum avarissimus. Pumex est genus lapidis cavernosi et friabilis, quo utebantur veteres praecipue ad laevigandas membranas librorum. *Aridus*, translate: tenax, avarus.

Non aequè... atque hic. Satis sit semel monuisse, Latinos in comparationibus usurpare potius particulam *atque* quam *ac*; praesertim quum vox sequatur incipiens a vocali et a littera *h*.

Ain' tandem? Usurpatur *tandem* redundantiae causa, et elegantem habet usum in interrogationibus, quum praesertim aliquem urgemus ad loquendum.

Tute existuma. Nos: *Giudicane tu stesso.*

Se eradicarier. Se omnibus fortunis everti. Ital.: *ehe egli è rovinato.* Festive autem iocatur de Euclionis avaritia Strobilus, quum ait, ita avarum illum esse, ut cuperet, ne fumum quidem exire ex domo sua.

Follem obstringit ob gulam. Follis nomine intellige crumenam, seu marsupium ex corio confectum. Nos: *una borsa di pelle. Ob gulam.* Circum gulam. Ital.: *intorno alla sommità.*

Ne quid animae etc. Itali: *Niente di fiato.* Quum spectatores tale responsum non expectarent, facile hoc ioco Strobili solvuntur in risum; atque eo magis quum Anthrax iocum continuat dicens: *Etiamne obturat inferiorem gutturem?* Ital.: *Tura egli forse anche il buco di sotto?* Hic enim nomine gutturis inferioris intelligitur *anus*, seu *poder*. Turpulus sane iocus, qui honestas personas dedeceret.

ANTHRAX.

Etiarne obturat inferiorem gutturem? 25

STROBILUS.

Haec mihi ted, ut tibi med, aequom est credere.

ANTHRAX.

Credo imo equidem, credo.

STROBILUS.

At scin' etiam quomodo?

Aquam hercle plorat, quom lavat, profundere.

ANTHRAX.

Censen', talentum magnum exorari potis

Ab istoc sene ut det, qui fiamus liberi? 30

STROBILUS.

Famem hercle utendam, si roges, nunquam dabit.

Quin ipsi pridem tonsor unguis demserat:

Conlegit, omnia abstulit praesegmina.

ANTHRAX.

Edepol mortalem parce parcum praedicas.

CONGRIO.

Censen' vero, adeo parcum et misere vivere? 35

STROBILUS.

Pulmentum pridem eii eripuit milios:

Homo ad praetorem deplorabundus venit;

Ibi inquit postulare, plorans, eitulans,

Ut sibi liceret miliom vadariet.

At scin' etiam quomodo? Supp. Scisne, quomodo etiam avaritiam suam prodit?

Talentum magnum etc. Talentum fuit apud Graecos summa pecuniae efficiens sexaginta minas, et valebat ferme 2,444 franchi. Hoc autem fuit talentum commune. Talentum minus seu magnum erat summa pecuniae efficiens octoginta minas, seu 3,259 franchi.

Exorari. Obtineri.

Famem utendam, si roges. Ital.: Se tu gli domandassi in prestito la fame.

Pridem. Ital.: poc' anzi.

Praesegmina. Frustra ex re aliqua desecta. Nos: I ritagli delle unghie.

Parce parcum. Pro gradu superlativo: parcissimum.

Pulmentum. De quolibet cibo vilior.

Sexcenta sunt, quae memorem, si sit otium.
Sed uter vostrorum est celerior? memora mihi.

CONGRIO.

Ego, ut multo melior.

STROBILUS.

Cocum ego, non furem, rogo.

CONGRIO.

Cocum ergo dico.

STROBILUS.

Quid tu ais?

ANTHRAX.

Sic sum, ut vides.

CONGRIO.

Cocus ille nundinalis: in nonum diem
Solet ire coctum.

ANTHRAX.

Tun', trium literarum homo,

Me vituperas?

Sexcenta. Pro numero ingenti et indefinito, ut *μύρια* apud Graecos, *mille* apud Italos.

Vostrorum. Archaismus, pro *vestrum*.

Cocum ego, non furem, rogo. Prima fronte lector non satis causam intelligit, ob quam Strobilus hisce verbis respondeat Congrioni. Verum causa statim patebit, si animadvertamus, vulgo *celeris* furum manus appellari. Quare huc spectans Strobilus, Congrioni, qui se celerem iactaret: Mememento, ait, me velle coquum, non furem.

Cocum ergo dico. Italico: *Sono appunto desso.*

Quid tu ais? Quum Strobilus ad Anthracem conversus, eum interrogasset: *Quid tu ais?* uimirum qua es celeritate? Ille respondet: *Sic sum ut vides.* Quasi diceret: *Son qui per servirti.*

Cocus ille nundinalis. Coquus nundinalis est Latinis idem ac coquus vulgaris et villis. Nos: *Cuoco dozzinale*. Si quis vero causam quaerat, cur *nundinales* appellarentur huiusmodi coqui parum periti, duplex afferri potest. Vel nundinalis coquus dictus est qui solum tempore nundinarum conduceretur; quum uempe plebs ex agris in urbem conveniret, essetque maior hominum frequentia in urbe. In his enim rerum adiunctis, necessitatis causa, utebantur Romani etiam opera coquorum, qui miuus artem suam callerent. Vel coquus *nundinalis*, seu novendialis dictus est, qui coenam mortuariani coqueret, quae uono die parabatur post excessum alicuius. Ital.: *Chi va a cucinare per i morti.*

Trium literarum homo. Anthrax indignatus verbis Congrionis, in iurgium

CONGRIO.

Fur? Eliam fur trifurcifer

STROBILUS.

Tace nunc iam tu, atque agnum hinc uter est pinguior,

CONGRIO.

Licet

STROBILUS.

Tu sume.

CONGRIO.

At qui?

STROBILUS.

Abi intro huc. Vos eum sequimini.

Vos ceteri illuc ad nos.

CONGRIO.

Hercle iniuria

Dispartivisti: pinguiorem agnum isti habent.

20

STROBILUS.

At tibi nunc dabitur pinguior tibiцина.

I sane cum illo, Phrygia. Tu autem, Eleusium,

erumpit, et Congrionem appellat hominem triam literarum, hoc est *fu-*
rem. Siquidem tribus literis constat vox *fur*.

Trifurcifer, vel *furcifer* erat apud Romanos quod apud nos: *ceffo da*
forca.

Tace nunc. Strobilus coquorum iram sedaturus: tace, ait, et vido uter
agnus sit pinguior. Namque unus Enclioni dandus erat, alter vero in Me-
gadori domum ferendus.

Agnum hinc. Supp. vide.

Licet . . . Coquus Strobilum loquentem interpellat, quasi dicturus: Licet
id quidem videre vel coeco, uter horum sit pinguior.

Pinguior tibiцина dabitur. En iocum, qui caveae risum excitat. Caele-
rum, ut id obiter moneam, notant archaeologi, tibiциnes et tibiциnas ple-
rosque apud Romanos fuisse pingues, propterea quod sacrificiis frequenter
adhibiti, abunde carnibus vescerentur. Nimirum post sacrificium visceratio
fiebat. Haec visceratio erat epulum, quod parabatur ex visceribus, sive
carnibus immolatis, quae distribuebantur inter illos, qui sacrificio adfuis-
sent. In his autem erant tibiциnes.

I sane cum illo. Particula *sane* cum imperativis habet maiorem affir-
mandi vim. Diceres italice: Sì, *vattene con lui*.

Phrygia — Eleusium. Nomina tibiциnarum.

Huc intro abidum ad nos.

CONGRIO.

O Strobile subdole,

Huccine detrusti me ad senem parcissimum,
Ubi, siquid poseam, usque ad ravim poscam prius
Quam quidquam detur?

55

STROBILUS.

Stultum et sine gratia est,

Te ibi recte facere, quando, quod facias, perit.

CONGRIO.

Qui vero?

STROBILUS.

Rogitas? Iam principio in aedibus

Turba istic nulla tibi erit; si qui uti voles,
Domo abs te adferro, ne operam perdas poscere.
Hic autem apud nos magna turba ac familia est,
Supellex, aurum, vestes, vasa argentea:
Ibi si perierit quidpiam (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obviam est),

60

Abidum. Non semper, ut falso nonnulli existimarunt, vehementiam addit haec particula *dum*, Comicis praesertim usurpata; quae aliis verbis adiuncta indicat, rem in ipsum illud, quod agitur, tempus incidere. Ita fit in verbis cohortantibus, in imperativis et interiectionibus, aedum, tacedum, ehodum. Graeci scribunt $\delta\acute{\epsilon}$, $\xi\mu\delta\acute{\epsilon}$.

Detrusti. Sync. Detrasisti.

Stultum et sine gratia etc. Sensus est: Stultum est et molestum, beneficium in aliquem conferre, quum tibi nulla gratia habetur beneficii. Itali: *È cosa da pazzo e noiosa il far del bene, quando altri non te ne sa grado.* Haec autem ait Strobilus, propterea quod audivisset Congrionem querentem, quod missus fuisset in domum Euclionis, potius quam in domum Megadori.

Qui vero? Quomodo? Petit nempe Congrio, ut clarius rem sibi explicet Strobilus.

Iam principio etc. Hisce verbis et sequentibus nititur Strobilus ostendere Congrioni, meliorem partem ei contigisse.

Si qui. Si quo negotio.

Operam perdas poscere. Operam perdas poscendo.

Quod te scio etc. Haec spectant ad rapacitatem, quam Anthrax modo exprobraverat Congrioni.

Si nihil obviam est. Si nihil tibi se se offert surripiendum. Risum spectatorum facile eliciunt haec verba, quae nobis in memoriam revocant

Dicant: Coci abstulerunt: comprehendite,
 Vincite, verberate, in puteum condite!
 Horum tibi istic nihil eveniet: quippe qui,
 Ubi quid subripias, nihil est. Sequere hac me.

ANTHRAX.

Sequor.

ACTUS III. – SCENA II.

STROBILUS, STAPHYLA, CONGRIO.

STROBILUS.

Heus, Staphyla, prodi atque ostium aperi!

STAPHYLA.

Qui vocat?

STROBILUS.

Strobilus.

STAPHYLA.

Quid vis?

STROBILUS.

Hos ut accipias cocos

Tibicinamque obsoniumque in nuptias.

festivum eiusdem modi iocum in furacem servum, qui legitur apud Tullium, de orat. II. 61: *Solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec oclusum*. Quae quidem intelligi possunt et de bono servo, cui tantum fideret herus, ut nihil domi clauderet, et de servo rapace, qui, furandi causa, omnia clausa aperiret. Italice: *Era il solo, per cui in casa non ci era niente di chiuso*.

In puteum condite. Putei nomine intellige, lector, hypogeum, sive locum subterraneum, in quem supplicii causa improbi servi condebantur. Sunt qui putent, fuisse verum puteum, in quo sorvi suspensi in aqua detinerentur. Sed parum probabilem hanc opinionem arguunt ea quae paullo post dicentur a Pythodico.

Quippe qui, ubi etc. Ibi enim nihil invenies, quod possit surripi.

Qui vocat?... Quid vis? Non statim aperit Staphyla; sed ex heri iussu, et de more nonnullis interrogationibus tentat inelamantem.

Obsonium. Proprie fuit Latinis quod cum pane comeditur (*il companatico*). Iuvat tamen notare, pisces praesertim obsonii nomine fuisse donatos.

Megadorus iussit Euclioni haec mittere.

STAPHYLA.

Cererin' facturi has, mi Strobile, nuptias?

5

STROBILUS.

Qui?

STAPHYLA.

Quia temeti nihil adlatum intellego.

STROBILUS.

At iam adferetur, si a foro ipse redierit.

STAPHYLA.

Ligna hic apud nos nulla sunt.

CONGRIO.

Sunt asseres?

STAPHYLA.

Sunt pol.

CONGRIO.

Sunt igitur ligna: ne quaeras foris.

STAPHYLA.

Quid, impurate? quamquam Volcano studes,

10

Coenaene causa, aut tuae mercedis gratia,

Nos nostras aedis postulas comburere?

Cererin' facturi nuptias? - *Cerealia* dicta fuerunt apud veteres festa, quae in honorem Cereris fiebant; in quibus matronae albis togis indutae, discurrentes cum facibus, luctum et errores Cereris celebrabant ob amissam Proserpinaam. In his autem festis vetitum erat vino uti, quod laetitiae causa est. Hinc illa dictio: *Cereri nuptias facere*, quae idem valet atque *epulas sine vino parare*. Ceterum hic velim lectores animadvertere, quemadmodum personarum mores diligentissime servet Plautus. Huiusmodi vetulae, uti erat Staphyla, bibaces plerumque et vinosae esse consueverunt (Cf. Ovid. *Fast.* n. 765). Quare statim queritur, quod una cum obsonio nihil vini fuisset allatum.

Temeti. Vini.

Ipsus. Ipse, hoc est Megadorus.

Asseres. Tabulae sectiles.

Impurate. Impure.

Quamquam Volcano studes. Vulcanus usurpatur hic pro igne. *Volcano studes*, hoc est ignem tractas; tamquam coquus semper circa ignem versaris. Huc autem recidit iurgium, quod Staphyla iacit in Congrionem: o homo impure, quamvis tractes semper ignem, qui solet omnia purgare.

CONGRIO.

Haud postulo.

STROBILUS.

Duc istos intro.

STAPHYLA.

Sequimini.

ACTUS III. - SCENA III.

PYTHODICUS.

Curate; ego intervisam, quid faciant coci,
 Quos pol ego ut hodie servem, cura maxima est.
 Nisi unum hoc faciam, in puteo uti coenam coquant;
 Inde coctam sursum subducemus corbulis;
 Sin autem deorsum comedant, si quid coxerint,
 Superi incoenati sint, et coenati inferi.
 Sed verba hic facio, quasi negoti nil siet,
 Rapacidarum ubi tantum siet in aedibus.

Pythodicus. Hic est allus Megadori servus.

Nisi unum hoc faciam. Ait Pythodicus, se iussurum, coquos coenam parare in loco subterraneo, ubi nihil sit quod possint supplare.

Superi ... inferi. Haec ad hilarandam caveam. Siquidem duplici sensu accipi possunt. *Superi* et *inferi* erant apud veteres Dii coelestes et inferiorum. Hic vero usurpat Pythodicus haec verba pro eo quod esset: Nos, qui sumus in parte superiore aedium, essemus incoenati; coci autem in loco subterraneo essent coenati.

Verba hic facio. Hic tempus tero. Ital.: *sto qui a chiaccherare.*

Rapacidarum. Rapacium. Cavillandi gratia Plautus novum hoc vocabulum excudit. Nimirum *rapacidas* appellat coquos, quemadmodum dicimus Scipiadas, Acacidas, nomine quod patronymicum vocant; quasi coqui essent ex familia *rapacium*.

Quemadmodum a diversis moribus, quos pingeret Romanorum comoedia, modo *palliata*, modo *togata* appellabatur; ita pro diverso affectuum genere vel *statariae*, vel *motoriae* nomen ei factum est. Iamvero quum pleraque pars huiusmodi Aululariae affectibus abundet, ac tumultuose agatur, clamore summo, cum labore maximo, iam patet, inter comoedias motorias hanc esse recensendam. Et revera, ut omitamus perpetuas Euclyonae sollicitudines ob thesaurum absconditum, et crebras inter ipsum

ACTUS III. - SCENA IV.

EUCLIO, CONGRIO.

EUCLIO.

Volui animum tandem confirmare hodie meum,
 Ut bene me haberem filii in nuptiis:
 Venio ad macellum, rogitō piscis; indicant
 Caros, agninam caram, caram bubulam,
 Vitulinam, cetum, porcīnam, cara omnia;

5

et Staphylam rixas, haec una coquorum turba, in quam avarus tanquam furens invehitur in proxima scena, comoediae genus apertissime testatur. Nimirum Euclio meditante de obsoniorum caritate domum revertebatur a foro. Sed dum propius ad aedes suas accedit, duo praesertim illius animum percellunt. Primum ianua aedium aperta, quam diligentissime clausam esse iusserat; deinde tumultus, quem in domo sua fieri exaudit, ac praesortim quod ollae mentionem fieri accipit. Coqui enim ad coquenda obsonia ollam capaciorem expostulabant. Quare Euclio praiceps in aedes irrumpit atque in omnes debachatur.

Volui animum etc. In hac scena primum Euclio nobis exhibetur secum ipse de rebus suis loquens. Volui tandem, ait ille, animum meum hodie confirmare, hoc est animum sumere. Ital.: *farmi coraggio*. Et recte quidem avarus ait, sibi animum foisso confirmandum; namque agebatur de faciendis impensis.

Ut bene me haberem. In hoc loco *bene se habere* idem est atque Italis: *trattarsi bene*.

Rogito piscis. Poto quanti vendantur pisces.

Indicant caros. Indicare carum est magnum pretium constituere. Nos: *me ne domandano un prezzo smisurato*.

Agninam, bubulam, vitulinam, porcīnam. Gradatio quae avarum deceat. Primum petit de agnina, veluti villioris pretii, deinde de bubula, de vitulina etc.

Agninam. Supp. carnem. In comoedia, quae inscribitur *Captivi* (iv. 2. 39.), *agnina dupla* dicitur a Plauto caro agni iam grandioris. Nos: *Carne d'agnello vecchio*.

Bubulam. Nos: *Carne di manzo*.

Cetum. Cetus vel cete, est nomen generale piscium omnium maiorum, qui sunt in mari, uti balaena, thynni, delphini, alique id genus. Sed a Plauto usurpatur praesertim haec vox de piscibus, qui esui sunt, et saliri consueverunt. Nimirum *cetus* Plauto est quod Italis *il salume*. Hoc autem clarius patet ex eo, quod supra iam memoravit *pisces*. Ii sunt *i pesci freschi*: *cetus vero, i pesci salati*.

Atque eo fuerunt cariora, aes non erat.

Abeo inde iratus, quoniam nihil est quod emam:

Ita illis impuris omnibus adivi manum.

Deinde egomet mecum cogitare inter vias

Ocepi: Festo die si quid prodegeris, 10

Profesto egere liceat, nisi peperceris.

Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi,

Accessit animus ad meam sententiam:

Quam minumo sumtu filiam ut nuptum darem.

Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas; 15

Haec inponetur in foco nostro Lari,

Ut fortunatas gnatae faciat nuptias.

Sed quid ego apertas aedis nostras conspicio?

Et strepitus intus! Numnam ego compilor miser?

CONGRIO.

Aulam maiorem, si potest, viciniam 20

Atque eo fuerunt cariora, aes non erat. Supp. quod. Iocus ad laetificandos spectatores. Nos: *Ed erano tanto più cari, perché io non aveva un quattrino.*

Illis impuris. Impurus interdum est scelestus, improbus. Ital.: *a quella canaglia.*

Adire manum. Locutio proverbialis pro eo quod est decipere, fallere. Quod fit videlicet quum alicui quidpiam porrigimus, tamquam daturi, deinde manum subito retrahimus et captantem deludimus. Hic rursus monendi sunt lectores, ut Plautinam praestantiam magis magisque animadvertant in exprimendo avari ingenio. Nempe videbat Euclio, quidpiam esse parandum in filiae nuptiis. Venit in macellum, sed ibi avaritia obstat quominus aliquid emat, et domum vacuus revertitur.

Inter vias. Itali: *tra via.*

Prodegeris. Immoderate effuderis, largius quam par est impensas feceris. Nos: *avrai speso più del convenevole.*

Profesto egere liceat. Potest fieri, ut illo egeas die non festo.

Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi. Postquam rem impensis mecum ipse agitavi.

Accessit animus ad meam sententiam. Ego assensus sum huic sententiae. Italice: *ho finalmente risoluto.*

Tusculum. Parvam turis quantitatem. En quo progreditur aridum Euclicionis ingenium!

Aulam maiorem. Dum spectatores animum intendunt in avarum, haec secum loquentem, exaudiunt eoque verba clamantis, ut alia olla capacior utenda sumeretur a vicinis, propterea quod nulla esset in domo Euclicionis.

Si potest. Si pote est, si fieri potest.

Pete: haec est parva; capere non quit.

EUCLIO.

Hei mihi!

Perii hercle hodie! aurum rapitur! aula quaeritur!

Nimirum occidor, ni intro huc propero currere!

Apollo, quaeso, subveni mi atque adiuva,

Quoi *tu* in re tali iam subvenisti antidhae!

Confige sagittis fures thesaurarios!

Sed cesso prius, quam prorsus perii, currere?

25

ACTUS III. - SCENA V.

6

ANTHRAX.

Dromo, desquama piscis. Tu, Machaerio,

Capere non quit. Suppone agnum, qui erat coquendus. Hic elocet vis comica poetae, qui ingeniose hoc excogitavit, ut, Euclione domum adventante, ollae mentionem faceret Congrio. Namque statim avarus animo ad ollam revolvitur, in qua latebat thesaurus, et ratus se compilari: Hei mihi, exclamat, aurum rapitur.

Occidor. Fortunis omnibus evertor.

Apollo, quaeso. Iuvat notare quantum haec omnia ad humanam naturam graphice exprimendam sint comparata. Siquidem natura mortalibus est insitum, ut, si quo in periculo praeter opinionem versentur, statim ad Deum confugiant, eiusque opem expostulent. Quare statim Euclionem exhibet poeta, Apollinis auxilium implorantem. Si quis autem quaerat cur Apollo prae ceteris diis in hisce rerum adiunctis exoretur ab Euclione; aio, Apollinem apud veteres habitum fuisse tanquam praecipuum malorum depulsorem. Quare ἀντίθετος dictus est ab ἀντίθε, *arceo*, *κατα*, *μα*, *lum*, quasi mala arcens.

In re tali. In huiusmodi rerum adiunctis. Itat: *in altre simili occorrenze*.

Sed cesso etc. Interdum *cesso* idem valet ac *moror*, *differo*, *negligens sum* in agendo. Nos: *Ma che tardo a correre, prima che io sia pienamente rovinato?*

Dromo desquama etc. In hac scena spectatur domi apud Megadorum Anthrax coquus, officia singulis servis dispertiens. *Dromo*, *onis*, proprie nomeu est piscis, sic dicti a velocitate; graece enim ἀράπος cursum sonat a ἀράπος, *curro*. Hic vero est nomen illius ex servis Megadori, quem *laeché* vernacule appellare consuevimus.

Tu, Machaerio. Sunt qui arbitrentur, *Machaerio*, *onis* esse nomen servi; alii e contrario existimant esse casum ablativum nominis *Machaerium*, *ii*,

Congrum, muraenam exdorsua, quantum potest.
 Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
 A Congrione. Tu istum gallum, si sapis,
 Glabriorem reddes mihi, quam vulsus ludiust.
 Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
 Coci hercle, credo, faciunt officium suum.
 Fugiam intro, ne quid turbae hic itidem fuit.

ACTUS III. - SCENA VI.

CONGRIO.

Obdati cives, populares, incolae, adcolae, advenae omnes,

quod cultrum significat; est enim a graeco *μάχημα*, *pugno*. Utram velimus sequi licet lectionem. Namquo sensus Plautinus sibi pariter constat.

Muraenam. Piscis genus, anguillae similis. Fuit vero muraena Romanis in deliciis, tum ob saporis praestantiam, tum quod diutissime vivat, tum etiam quod dominum agnoscere discebat, atque accedebat ad manum. Quare lautiores homines in piscinis muraenas coëreabant.

Exdorsua. Exime, vel confringe dorsum.

Quantum potest. Quam primum, quam celerrime fieri potest. Quae locutio elliptica veteribus scriptoribus est perfamiliaris.

Artoptam. Artopta, graeca vox, est vas, in quo panis delicatior coquitur ab *ἄρτος*, panis, *ἄρτιον*, coquo. Italice: *vaso da cuocervi pane*.

Glabriorem. A deglabrando, *pelare*. Nos: *più liscio*.

Vulsus ludiust. Vulsus a vellendo; ital. *pelato*. *Ludii* primum apud Romanos dicti fuerunt adolescentes quidam puberes, decoris tunicis induti, galea, ense et parma armati, qui in pompis circensibus et theatralibus primi incedebant, erantque veluti pompae ductores. Postea vero *ludii*, vel *ludiones* fuerunt appellati quicumque vel in circo, vel in theatris, vel per compita ludos facerent oblectandi populi causa. Ital.: *giocolieri*. Solebant autem huiusmodi ludii, ut teneri, delicatè et iuniores apparerent, glabros se quam-maxime possent, reddere. Nos: *si strapavano i peli sul viso*.

Coci faciunt officium suum. Hoc est frantur de more; hinc illi clamores, illae turbae. In fabulis Plautinis rapaces semper pinguntur coqui. Cf. Pseudol. III. 2. 2: Forum coquinum qui vocant, stulte vocant; Nam non coquinum est, verum *furinum* est forum.

Obdati cives. Cives, qui mihi obviam dati seu facti estis.

Populares. Eiusdem populi, conterranei. Ital.: *compaesani*.

Incolae. Qui in ipso loco habitant. *Adcolae*, qui iuxta locum habitant. *Incola*, ital. *abitante*; *accola*, *vicino*.

Date viam, qua fugere liceat! facite totae plateae pateant!
 Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal co-
 quinatam:

Ita me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt.
 Totus doleo, atque oppido perii: ita me iste habuit senex gymna-
 sium. 5

Neque ligna usquam ego gentium praebere vidi pulcrius.
 Itaque omnis exegit foras, me atque hos, onustos fustibus.

Date viam etc. Actionis unitas in comoedia servanda, non obstat, quominus episodica in fabulam inserantur, dummodo ea sint, quae apte cum fabula cohaereant, eamque invare videantur. Quod quidem diligentissime a Plauto servari videmus in hoc coenorum episodio, quo dum theatro exhilarando studet, mirum in modum avari Euclionis ingenium et mores depingit. Hic enim, audito statim clamore et strepitu coenorum, veluti amens domum suam ingressus, conviciis primum coquos et servos obruit, deinde pugnis, calcibus, fustibus insequitur, tamquam praedones ollae suae manifestarios. Et potiusquam Euclionem inducat, coenos in scena verberantem (quod molestiam fortasse humanioribus spectatorum animis creasset), facit ut Congrio male ab Euclione habitus, domo egrediatur, omnium operam atque auxilium implorans.

Plateae. Viae latiores in urbe.

Ad Bacchas veni etc. Veni in locum ullum, ut exercerem artem coquinariam, ubi essent furentes et bacchantes, cuiusmodi sunt in domo huiusce Euclionis. *Bacchanal* appellat Euclionis domum ob turbam et trepidationem, quam ibi excitasset avarus.

Meos discipulos. Discipulus dicitur quicumque disciplinam ab alio percipit. Hic discipuli appellantur servi, qui coeno ministrant. Nos: *garzoni di cucina*. Discipuli etiam dicuntur qui in tabernis et officinis operam suam mercatoribus locant, et eorum disciplinam addiscunt. Itali: *fattorini, garzoni di bottega*.

Male contuderunt. Multum contuderunt.

Oppido perii. Prorsus perii.

Ita me habuit senex gymnasium. Gymnasium a graeca voce γυμνάσιον, nudus, dictus est locus, in quo athletae et palaestritae corpus exercerent (translate schola, in qua homines ingenium exercent). Hinc manat Plautina locutio, quae idem sonat ac: Ita ego isti seni pro gymnasio fui, in quo se exerceret. Ital.: *Così io porsi a codesto vecchio il modo di esercitare la sua forza*.

Neque ligna etc. Hic ludit Plautus ex ambiguo. Quasi diceret Congrio: Paulo ante ligna usque ad ravim posebam ad coquenda obsonia; sed advenit tandem senex, qui *pulere*, idest largiter praebuit ligna; non ea quidem ad obsonium coquendum, sed fustes, quibus me et discipulos meos contunderet.

Onustos fustibus. Facete appellat se et discipulos suos *onustos fustibus*; quod esset italice: *carichi di bastoni*; quasi verbera fustibus incompacta

Attat, perii hercle ego miser! aperit, adest, sequitur!
Scio, quam rem geram: hoc ipse me magister docuit.

ACTUS III. - SCENA VII.

EUCLIO, CONGRIO.

EUCLIO.

Redi! quo fugis nunc? tene, tene!

CONGRIO.

Quid, stolide, clamas?

EUCLIO.

Quia ad Trisviros iam ego deferam tuum nomen.

CONGRIO.

Quamobrem?

EUCLIO.

Quia cultrum habes.

grave onus sint humeris. Quare *onustos* posuit uoster pro eo quod esset: fustibus verberatos, male habitos. Nos: *carichi di bastonate*.

Attat. Ex graeco fonte manat *ἀττάται, ἀττάται*; neque habenda tanquam particula *at* duplicata, quo adversativa gaudeat potestate. Est interiectio animi affectum significans, atque usurpatur ab iis, qui se a re aliqua subito oppressos sentiant. Praesertim vero locum habet proprium in soliloquio, quum aliquis se colligit, aut de improviso aliquid apprehendit (Cf. Cas. ut. 4. 99; Poen. iv. 1. 5.). Hiè nimirum Congrio dum secum ipse quereretur, videt repente ianuam Euclionianae domus aperiri. Quare humeris suis iterum timens exclamat: *Attat, perii hercle! Nos: Ahimè, son morto!*

Scio, quam rem geram. Scio, quid mihi sit faciendum.

Ipsus me magister docuit. Euclio ipse, dominus aedium, mo docuit quid sit faciendum. Nos: *mi ha dato una buona lezione.* Magister dicitur latine quicumquo aliis praestet, aut alios docet.

Ipsus. Archaismus, pro *ipse*.

Quia ad Trisviros etc. Te accusabo apud Triumviros. intelligo *Triumviros capitales*, qui carceris custodiam habebant, et sententiarum suppliciiis praecerant.

Quia cultrum habes. — *Cocum decet.* Velitum erat Romanis cultrum gostare, si coquos excipias, quorum erat insigne. Hiè nunc in forum conueniunt se conferebant cum instrumento artis suae, praesertim vero cum cultro. Haud aliter apud nos Taurinenses consueverunt albini, quisque cum penicillo suo, ad aedem Trinitatis adstare, expectantes dum ab aliquo

CONGRIO.
Cocum decet.

EUCLIO.

Quia conminatus

Mihi.

CONGRIO.

Istuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.

EUCLIO.

Homo nullus te scelestior qui vivat hodie,
Neque quoi de industria ego amplius male lubens faxim!

CONGRIO.

Pol etsi taceas, palam id quidem est: res ipsa testis:
Ita fustibus sum miser mollior mage, quam ullus cinaedus.
Sed quid tibi nos, homo mendice, est tactio? quae res?

EUCLIO.

Etiam rogas? an quia minus, quam erat aequom, feci? 10
Sine!

CONGRIO.

At hercle cum magno malo tuo, si occiput sentit.

conducantur. Hinc intelligitur, cur Congrio responderit: *Cocum decet*, atque Euclio reposuerit: *Quia conminatus es*. Nimirum non te accuso quod cum cultro sis, sed quod cultro mihi es minitatus.

Res ipsa testis, etc. Factum ipsum, verbera, quibus me contudisti, testantur quod ais.

Mollior quam cinaedus. Cinaedus interdum puerum significat, turpi libidine notatum. Hic vero cinaedus est quod Italis *un ballerino*, a *verbo*, *moveo* (corpus). Quemadmodum vero flexibiles omnino artus habent cinaedi, ut facillime in quamlibet partem moveantur; ita Congrio se cinaedo molliorem dicit, quod artus et renes praesertim haberet verberibus ita confusos, ut vix se se pedibus regeret, atque in omnem partem inclinaret. Diceret Italice: *più direnato d'un ballerino*.

Quid tibi nos est tactio? Dicitio singularis, Plauti propria, pro vulgari: Cur nos tangis?

Mendice. Interdum sumitur in malam partem. Ital.: *dirbante*.

Sine! Euclio fustem prae manibus tenens, iterum Congrioni minitatur.

Magno malo tuo. Nos: *Con grande tuo danno*.

Si occiput sentit. Supp. mensa. Occiput et sinciput saepe usurpantur pro cerebri. Ital.: *Se non ho perduto il cervello*.

EUCLIO.

Pol ego haud scio, quid post suat: tuom sinciput sentit.
Sed in aedibus quid tibi meis nam erat negoti
Me absente, nisi ego iusseram? volo scire.

CONGRIO.

Tace ergo:

Quia venimus coctum ad nuptias.

EUCLIO.

Quid tu, malum, curas, 15

Utrumne ego crudum an coctum edim, nisi tu mi es tutor?

CONGRIO.

Volo scire, sinas, an non sinas, nos coquere hic coenam?

EUCLIO.

Volo scire item ego, meae'n domi mea salva futura?

CONGRIO.

Utinam mea, quae attuli, modo auferam, mihi salva!

Mei haud poenitet: tuane expetam?

EUCLIO.

Scio: ne doce, novi. 20

Pol ego haud scio, etc. Prima fronte subobscurus est hic versus. locatur Euclio aliter interpretando Congrionis verba. Interpretatur autem ea proprie, non metaphoricè. Nempe ait: Ego certe nescio *quid post suat*, hoc est quid sit in posteriore parte capitis tui. Scio hercle anteriorem capitis tui partem sentire. Namque Euclio fuste os Congrionis verberaverat. Italice: *Certo che io non so quello che tu abbia nella nuca. So bene, che la parte anteriore del tuo capo sente.*

Quid tibi erat negoti? Quid tibi erat faciendum?

Tace ergo. In colloquio particula *ergo*, cum imperativo coniuncta, impatientiam quandam et indignationem loquentis significat. Nos: *Taci una volta.* Cf. Epid. II. 2. 57; Men. v. 7. 27.

Venimus coctum ad nuptias. Ital.: *Siamo venuti a cucinare per le nozze.*

Quid tu, malum, curas, etc. Particula *malum* interseritur modo interjectionis, et indignationem significat. Nos: *Che diavolo hai tu da impacciarti?*

Edim. Archaismus. Edam.

Mei haud poenitet. Meis bonis contentus vivo. Ital.: *A me bastano le cose mie.*

Scio, ne doce, novi. Quasi diceret: Satis abunde novi rapax coquorum inguicium.

Chon...
Hon...
...

CONGRIO.

Quid est, qua nunc prohibes gratia nos coquere hic coenam?
Quid fecimus, quid tibi diximus, secus quam velles?

ECLIO.

Etiam rogas, sceleste homo? quia anglos omnis
Mearum aedium et conclavium mihi perviam facitis.
Id ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses, 25
Non fissile haberes caput. Merito id tibi factum est.
Adeo ut tu meam sententiam iam noscere possis:
Si ad ianuam huc accesseris, nisi iusso, propius,
Ego faciam te, miserrimus mortalis uti sis.
Scis iam meam sententiam?

CONGRIO.

Quo abis? redi rursus! 30

Ita me bene amet Laverna, te iam, nisi si reddi
Mihi vasa iubeas, piplo differam hic ante aedis!

Secus quam velles. Contra il tuo volere.

Conclavium. Conclave est pars aedium, quae clavi claudi potest. Ital.: camera, vel etiam appartamento.

Perviam facitis. - Perviam, adverb. Perviam facitis, hoc est facitis uti adiri possint.

Si adesses. Si tu adfuisses ad focum, ubi tuum erat negotium; ubi ex officio adesse debuisses.

Non fissile. Non fissum. Nos: Non avresti il capo rotto.

Merito id tibi factum. Itali: Ben ti sta.

Iusso. Iussero.

Scis iam meam sententiam? Italice: Or sai tu come io la pensi?

Redi rursus. Pleonasmus.

Ita me bene amet Laverna. Ita me bene adiuvet Laverna. Ital.: Se Laverna mi aiuti. Coquorum et furum iurandi formula. Iam vidimus, coquos a Plauto passim exhiberi tamquam fures. Ob eandem causam hic inducit Congrionem iurantem per deam Lavernam, in cuius tutela erant fures. Haec Deam colebant fures apud Romanos, ut consilia sua furandi fortunaret. Horat. Ep. I. 16. 60; Labra movet, metuens audiri; Pulcra Laverna, Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri; Noctem peccatis, et fraudibus obice nubem.

Vasa. Instrumenta. Ital.: i miei agnesi.

Piplo differam. Pipulo differre aliquid significat, magna et elata voce alicui in publico convicium facere. Nos: villaneggiare uno publicamente. Pipulus a pipatu gallinarum dictus est.

Quid ego nunc agam? Nae ego edepol veni huc auspicio malo:
 Numo sum conductus; plus iam medico mercede est opus.

EUCLIO.

Hoc quidem hercle, quoquod ibo, mecum erit, mecum feram, 35
 Neque istuc in tantis periculis unquam committam ut siet.

Ita sane nunc iam intro omnes, et coci, et tibicinae.

Etiam tu introduce, si vis, vel gregem venalium.

Coquite, facite, festinate nunc iam, quantum lubet.

CONGRIO.

Tempori: postquam implevistis fusti fissorum caput. 40

EUCLIO.

Intro abi: opera huc est conducta vostra, non oratio.

CONGRIO.

Heus, senex, pro vapulando hercle abs te ego mercedem petam:

Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.

EUCLIO.

Lege agito mecum, molestus ne sis: aut coenam coque,

Aut abi in malum cruciatum ab aedibus.

CONGRIO.

Abi tu modo. 45

Numo sum conductus. Numus hic pro sestertio usurpatur, interdum etiam pro numo aureo. Ital.: *Mi fu promessa la mercede di un sestertio.*

Hoc quidem hercle. Hic ad hilaritatem ciendam, poeta Euclionem spectatorum oculis proponit, qui ollam, in qua erat thesaurus, sub veste latentem habet, certus eam gestandi quocumque iret, quique dextera manu ollam tangendo, ait: Hoc quidem hercle, etc.

Gregem venalium. Venales, si nihil addatur, Romanis sunt servi, qui ad vendendum exponuntur. Horum plerique sunt fures. Sed quum ollam domo extulisset, iam non timet Euclio; quare ait: Introduce etiam turbam venalium.

Tempori: postquam etc. Congrio Euclionis domum iterum ingreditus queritur de verberibus; ait autem: Tempore me in domum tuam revocas, postquam caput implevistis fissorum. *Fissum* a findendo dictum, hic ponitur pro vulnere.

Opera conducta, non oratio. Nos: *Siete pagati per lavorare, non per ciarlare.*

Lege agito mecum. Solemnis haec fuit Romanis formula, qua utebantur quum alicuius petitionem contemnerent. Quasi dicerent: Si quid credis a me tibi deberi, mihi diem dicito, neque molestus mihi sis. Nos: *Fammi citare in giudizio, e non seccarmi più.*

Quid dicitur? Quis est? etc.

Ille hinc abiit. Di immortales, facinus audax incipit,
 Qui cum opulento pauper coepit rem habere aut negotium!
 Veluti me Megadorus tentat omnibus miserum modis,
 Qui simulavit, mei *se* honoris mittere huc causa cocos;
 Is ea causa misit, hoc qui surpercut misero mihi.
 Condigne etiam meus med intus gallus gallinaceus,
 Qui erat anui peculiaris, perdidit penissime:
 Ubi erat haec defossa, ocepit scalpturire ibi unguis

50

Facinus audax incipit. Itali: *Si mette ad un'impresa arrischiata.*
Veluti me Megadorus etc. Usurpatur veluti pro eo quod esset Italis:
Come per esempio.

Tentat. Aggreditur.

Mei honoris causa. Ut me honore afficeret.

Hoc qui surpercut. Qui surriperent mihi thesaurum. Saepe, dum Plautinas fabulas legimus, praeter verba, oportet etiam nobis ob oculos ponere gestum, quo actores verba ipsa solent prosequi in scena. Quod nisi faciamus, interdum nobis vis comica scriptoris minus apparet. Veluti in hoc loco: *Is ea causa misit, hoc qui surpercut.* Dum haec profert actor, manu ollam tangit, quam latentem gestat sub veste; atque ita solvuntur in risum spectatores. Ne quis autem sit, qui Plautum criminetur, quod Euclionem inducat vel de Megadoro suspicantem, quasi coquos misisset, qui thesaurum surriperent. Hanc sane suspicionem nemo ineptam dixerit, si modo cogitet anxiam et suspiciosam avarorum naturam, qui de omnibus timere consueverunt. Quin imo laudandus noster, quod tam graphice avaritiae vitium spectatores depingit, ut si quis forte avarus sit in theatro, sui ipsum pudeat, atque ad meliorem frugem studeat se se recipere.

Condigne etiam meus etc. Nihil omnino praetermittit poeta quo expressius avari naturam efflagat. Itaque ait, Euclionem domum ingressum, ut inde coquos exigeret, vidisse gallum gallinacem forte scalpturientem in loco, ubi olla erat defossa. Quo viso, avarus ira exardescens, in gallum, tamquam in praedonem invehitur, et capto fuste illum subito obtruncat. Quisque videt, quam festive hoc a Plauto sit excogitatum, quod dum insolita hilaritate spectatores perfundit, eo praesertim spectat, ut ridiculo vitium castiget, et germanum comoediae finem consequatur. Hoc enim narrato, confirmat, homines avaritia laborantes, veluti amentes fieri.

Condigne. Ut ipsum decet. Ital.: *Da par suo.*

Gallus gallinaceus. Est quem vulgo *gatto* appellamus.

Anui peculiaris. In hoc loco *peculiaris* usurpatur in propria significatione. Peculiaris enim res dicitur, quae pertinet ad peculium alicuius. *Anui peculiaris.* *Di spettanza della vecchia Stafila.*

Perdidit penissime. Pene nihil absuit, quin me perderet. Nos: *Per poco mi rovinò affatto.*

Circumcirca. Quid opust verbis? ita mihi pectus peracuit:
 Capio fustem, obrunco gallum, furem manifestarium. 55
 Credo edepol ego illi mercedem gallo pollicitos cocos,
 Si id palam fecisset: exemi e manu manubrium.
 Quid opust verbis? facta est pugna in gallo gallinaceo.
 Sed Megadorus, meus adfinis, eccum incedit a foro.
 Iam hunc non ausim praeterire, quin consistam et conloquar. 60

ACTUS III. - SCENA VIII.

MEGADORUS, EUCLIO.

MEGADORUS.

Narravi amicis multis consilium meum
 De conditione hac Euclionis filiae.
 Laudant; sapienter factum et consilio bono.
 Nam, meo quidem animo, si idem faciant ceteri

Pectus peracuit. Bilis exarsit.

Manifestarium. Manifestum.

Exemi e manu manubrium. Proverbialis dictio ex eo ducta, cui gladium præ manu tenenti, iamque transfixuro, repente gladii manubrium e manibus excutitur. Huc igitur recidunt Plauti verba: Quum fures iam in eo essent, ut thesaurum invenirent, occasionem illius potiundi eis praeripui.

Facta est pugna etc. Pugnavi adversus gallum gallinaceum.

Meus adfinis. Affines li dicuntur, qui sanguinis vinculo sunt coniuncti, hoc est viri et uxoris cognati inter se. Hinc socer et gener, Euclio videlicet et Megadorus sunt affines.

Eccum. Ecce eum.

Ausim. Auderem.

De conditione. Usurpatur *conditio* in sponsalibus pro pactione de conjugio, vel pro eo quod est Italis: *partito da maritalarsi*. Quae quidem vox in nuptiis adeo fuit sollemnis, ut *conventa conditio* diceretur quum primum sermo de nuptiis haberetur, et hac etiam voce uterentur in repudio, quum videlicet sponsalia dissolverentur. Haec enim erat formula: *Conditione tua non ulor*, hoc est te uxorem iam non ducam. Quare *de conditione hac Euclionis filiae* interpretaberis Italice: *di questi miei sponsali colla figlia di Euclione*.

Sapienter factum. Supp. aiunt.

Opulentes, pauperiorum filias	5
Ut indotatas ducant uxores domini:	
Et multo fiat civitas concordior,	
Et invidia nos minore utamur, quam utimur;	
Et illae malam rem metuant, quam metuunt, magis;	
Et nos minore sumtu simus, quam sumus.	10
In maxumam illuc populi partem est optimum;	
In pauciores avidos altercatio est.	
Quorum animis avidis atque insatietatibus	
Neque lex neque tutor capere est qui possit modum.	
Namque hoc qui dicat: Quo illae nubent divites	15
Dotatae, si istud ius pauperibus ponitur?	
Quo lubeat, nubant, dum ne dos fiat comes.	
Hoc si ita fiat, mores meliores sibi	
Parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.	
Ego faxim muli, pretio qui superant equos,	20

Opulentes, pauperiorum. Eleganter interdum a Latinis ponitur gradus comparativus pro positivo.

Illae malam rem metuant. Haec dictione *malam rem* significantur a poeta omnes malae artes, ad quas mulieres se applicare consueverunt. Pronomen vero *illae* non ad pauperes tantum refertur, sed ad omnes generatim feminas; quae si indotatae nubent, viris semper obsequerentur, et minorem sumtum iis afferrent. Quare *malam rem metuant magis* crit italice: *Si asterrebbero più facilmente dai vizi, dal mal costume, dalle male arti, ecc.*

In maxumam illuc etc. A maxima populi parte hoc probatur. Pleraque populi pars huic meae sententiae assentitur.

In pauciores avidos. Restant pauci locupletes, quibus hoc non probatur, et quibuscum mihi altercatio futura est.

Insatietatibus. Mos Plauto per familiaris, ut saepe utatur numero multitudinis pro numero singulari. Nos: *insaziabilità.*

Capere modum. Constituere, ponere modum.

Namque hoc qui dicat. Supp. respondebo.

Quo lubeat. Vel pro dativo *quoi*, extrita littera *i*: *nubant cui libebit*; vel quo pro eo quod est: *in quam domum libebit*.

Ego faxim muli, etc. Quo plenius Plautinam sententiam assequaris, monendus es, lector, hunc fuisse apud matronas romanas morem, ut mulis potius uterentur ad trahendas rhedas, quam equis, ac propterea magno pretio muli venderentur. Quod testatur Martialis, Epigr. III. 62: Aurea quod fundi pretio carruca paratur; Quod plaris mula est quam domus cuncta tibi. Quare Megadorus: Si ceteri, ait, viri opulentes exemplum meum imitarentur, ut uxores indotatas ducerent, multum imminueretur

Sint viliores gallicis cantheriis.

EUCLIO.

Ita me di amabunt, ut ego hunc ausculto lubens:

Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.

MEGADORUS.

Nulla igitur dicat: Equidem dotem ad te attuli

Maiorem multo, tibi quam erat pecunia:

Enim mihi quidem aequom est purpuram atque aurum dari,

Ancillas, mulos, muliones, pedisequos,

Salutigerulos pueros, vehicla qui vehar.

EUCLIO.

Ut matronarum hic facta pernovit probe!

matrouarum luxus, ideoque muli fierent viliores quam equi castrati, qui ex Gallia ad nos advehuntur. Quibus dictis sibi viam aperit ad disserendum de luxuria et vitiiis feminarum.

Cantheriis. Cantherius est equus castratus.

Ita me di amabunt. Haec secum ipse Euclio. Iurandi est formula. Nos: *Così m'aiuti il Cielo.*

Ausculto lubens. Siquidem verba faciebat Megadorus de sumtilibus niuendis.

Lepide. Vox comicis poetis frequentata, quam velint significare, quidpiam apto, venuste et commode fieri. Itali: *assai bene.*

Ad parcimoniam. Dictio elliptica. Quod attinet ad parcimoniam.

Enim. Saepe idem significat quod particula *igitur*, atque usurpatur etiam in principio sententiae. *Enim mihi aequom est etc.* Itali: *E quindi ben giusto, che ecc.*

Purpuram atque aurum. Soli magistratus atque imperatores olim purpura utebantur. Lapsu vero temporis ad matronas transit atque ad homines lautiores. Ceterum animadvertendum est, purpuram apud veteres, rem adeo caram fuisse, ut ad significandas res pretiosiores una cum auro in sermone iungi solet. *Purpuram atque aurum mihi dari*, hoc est pretiosissima quaeque mihi dari.

Pedisequos. Servi qui dominam extra aedes comitantur. Nos: *gli staffieri.*

Salutigerulos. Intellige servos, qui herae nomino vel illi salutem et iussa perferrent. Ital.: *valletti, paggi.* Puer vero passim a Latinis de servo, cuiuscumque aetatis ille demum sit.

Vehicla qui vehar. Prouomen *qui* est ablativus omnis generis, et usurpatur etiam praecedente numero plurali. Idiotismus est linguae Latinae. Ita apud Graecos nomina generis neutrius, licet numeri multitudinis, interdum coniunguntur cum verbis numeri singularis: τὰ ζῶα τρεῖσι pro eo quod esset: τὰ ζῶα τρεῖσι.

MEGADORUS.

Nunc, quoquo venias, plus plaustrorum in aedibus

Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.

Sed hoc etiam pulcrum est, prae quam ubi sumtus petunt:

Stat fullo, phrygiod, aurifex, lanarius,

Caupones patagiarii, indusiarii,

Flammearii, violarii, coriarii,

Moribus praefectum mulierum. Quum noster Aululariam scribeus respiceret ad graecum exemplar, sequitur in hoc loco Graecorum consuetudinem, apud quos magistratus creabatur (*γυναικώπορ*), qui ornatum mulierum praecisset, hoc est mulierum luxum moderaretur. Apud Romanos huiusmodi officium spectabat ad censorem. *Praefectum moribus.* Haud absurdum erit fortasse subaudire *vestis*. Hinc quod vulgo dicunt: *costume, moda*, latine erit: mos vestis. *Il costume italiano:* mos vestis italianae. *Moribus praefectum mulierum hunc factum velim.* Nos: *Forrei che costui fosse creato presidente delle mode delle donne.*

Plaustrorum. Plaustrum nomine intellige vehiculum, quo maxima onera vehuntur. Hic per hyperbolem ait Plautus, plus plaustrorum videri in urbe, quibus res vehuntur ad mulierum ornatum, quam ruri.

Præ quam etc. Præ eo quod fit, quum sumtus petunt. Ital.: *In paragone di quanto avviene, quando chieggono danaro per le spese.*

Stat fullo. Festive admodum recenset hic noster diversi generis mercatores, quibus paratur *mundus muliebris* (graecè: *γυναικῶσ ἀγορῆ*; gallice: *La toilette des dames*). *Fullo*, qui vestes purgat: *il lavapanni*. *Stat*, se sistit: *si presenta*.

Phrygia. Qui vestes acu pingit, vel auro intexit. Ital.: *il ricamatore*. Sic dictus a Phrygiis, qui hanc artem vestes acu pingendi excogitasse dicuntur. Hinc opus phrygium, *il ricamo*; vestis opere phrygio exornata, *veste ricamata*.

Lanarius. Qui vestes laneas facit et vendit.

Caupones. Heic caupo non est vini atque esculentorum venditor (*l'oste*), sed quilibet mercator.

Patagiarii. Italice: *mercanti di collaretti*. Patagium dicitur quod, ornatus causa, muliebri vesti circa collum additur.

Indusiarii. Nos: *mercanti di sottane*. Indusium est vestis interior et corpori adhaerens.

Flammearii. Qui flammea (*veli di color giallo*) conficiunt et vendunt, vel qui vestes tingunt flammeo colore.

Violarii. Qui vestes violaceo colore inficiunt. Ital.: *tintori di pavnazzo*.

Coriarii. Qui coria concinuant. Afii legunt *carinarii*, qui cerino colore vestes inficiunt.

Aut manulearii, aut murobrecharii;
 Propolae linteones, calceolarii,
 Sedentarii sutores, diabathrarii,
 Solearii adstant, adstant molochiuarrii;
 Petunt ciniflones, sarcinatores petunt;
 Strophiarrii stant, stant semizonarii.
 Iam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt
 Trecenti, constant, stant phylacistae in atriis,

Manulearii. Qui tunicas manuleatas conficiunt. Ital.: *fabbricanti di manichini*, vel *di maniche*.

Murobrecharrii. Qui muliebria calceamenta unguentis et suffimentis imbuunt. Nos: *profumieri*. Sic dicti a *μύρον*, unguentum, et *βράχια*, ungo.

Propolae. Qui res minore pretio emtas, maiore vendunt. Ital.: *rivenditore*, *rigattiere*, a *πώσω*, vendo.

Linteones. Qui lintea texunt: *tessitori di tela*. *Lintearii*, qui lintea vendunt.

Calceolarii. Qui calceos conficiunt: *calzolari*.

Sutores. Qui calceos suunt: *ciabattini*, sedentarii dicti, quod sedentes operi incumbunt.

Diabathrarii. Qui diabathra conficiunt et vendunt. Diabathrum, graece *διὰ βᾶθρον*, fuit genus soleae graecanicæ, quae propria erat feminarum. Italis *ciabatta*.

Solearii. Qui soleas conficiunt: *fabbricanti di pianelle*. De discrimine, quod intercedit inter *calceum*, *soleam*, *diabathrum*, *sandalium etc.*, vide *ΛΥΣΟΝ ΠΟΡΜΑΚ* opus de differentiis verborum (edit. Angustae Taurinorum, ex offic. reg. 1852), ad voc. *calceus*.

Molochinarii. Qui vestes iuficiunt molochino colore. Ital.: *colore di fior di malva*: a graeca voce *μολύχε*, malva.

Adstant. Ital.: *si presentano*, *vengono*.

Ciniflones. Sunt qui matronarum capillos ornant, sic dicti quod flarent in cinerem ad calamistros calefaciendos, quibus crispantur capilli. Ital.: *gli acconciatori*. Nos vernacule: *i frisotini*.

Sarcinatores. A sarciendo dicti: *i sartori*.

Petunt. Supp. pecuniam. *Domandano di essere pagati*.

Strophiarrii. Qui strophia conficiunt: *fabbricanti di fascie*. Fuit strophium fascia, qua mulieres tumorem papillarum coërcebant.

Semizonarii. Qui zonas minus latas conficiunt: *fabbricanti di cinture*.

Iam hosce absolutos censeas. Iam credis hosce esse dimissos. Ital.: *congedati*, *pagati*.

Cedunt, petunt trecenti. Alii trecenti accedunt et petunt.

Stant phylacistae in atriis. Supp. stant tamquam phylacistae in atriis. Phylacista a graeco verbo *φύλασσω*, custodio, est custos carceris. Ille vero phylacistarum nomine intelligendi sunt creditores importuni, qui debitores suos obsident, custodiunt. Nos: *si fermano quei custodi nell' atrio*.

Textores, limbularii, arcularii. *σ*
 Ducuntur; datur aes. iam absolutos renseas,
 Quom incedit infector crocotularius,
 Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat.

EUCLIO.

Compellem ego illum, ni metuam, ne desinat
 Memorare mores mulierum: nunc sic sinam.

MEGADORUS.

Ubi nugigerulis res soluta est omnibus
 Pro illis crocotis, strophis, sumtu uxorio,

Limbularii. Qui limbo oram vestis praetexunt. Nos: *quelli che adornano di fascie il lembo delle vesti.*

Arcularii. Qui arculas (*cassette*) conficiunt, in quibus mulieres res suas ad ornatum reponere solent.

Ducuntur. Inducuntur in aedes.

Incedit. Accedit. Ital.: *si avanza.*

Infector crocotularius. Qui croceo colore inficit crocotas, hoc est tunicas muliebres.

Aligua mala crux. Molestus, importunus homo. Nos: *qualche diavolo d'importuno che sempre domanda qualche cosa.* — Longior haec enumeratio, qua Plautus ea memorat, quae ad ornatum muliebrem pertinent, maximis est laudibus effereuda, propterea quod dum matronarum ingenium et mores verissime describit, garrulum et morosum etiam senem nobis ob oculos ponit, qui quum caelebs diu vixisset, indignanter, uti fit, atque hyperbolice molestias recenset, quibus viri uxorum causa interdum torqueri consueverunt. Quum autem videamus, haec omnia, paucis leviter immutatis, posse temporibus nostris commode aptari (cf. BALZAC, *Petites misères de la vie conjugale*); hinc facile conficitur, Plautum naturam omnino fuisse imitatum; qua in re praecipua comici scriptoris virtus posita est.

Ubi nugigerulis. Pergit Megadorus de feminarum moribus philosophari. Postquam vero in brevi quasi tabella vobis depinxit nugigerulos et mundi muliebris instructores, alios intrantes, alios exeutes, omnes vero pecuniam petentes, ad postremum, comico sane artificio, sumtuosae huius matronae maritum nobis exhibet, qui ob sumtus uxorios in difficultate nummaria versatur, et impar est pecundis reipublicae tributis. Quare militi, a tribuno aerarii misso ad petendum aes militare, per summam turpitudinem diem cogitur prorogare. — *Nugigeruli*, vel nugivendi vocantur a Plauto, qui matronis ea vendere consueverunt, quibus illae utuntur ad corpus exornandum, quaeque à Romanis proprio nomine *leria* vel *nugae*, a Gallis *petites jolivetés*, ab Italis *galanterie* appellantur. Itaque *nugigeruli* commode interpretaberis: *mercanti di galanterie, di mode, ecc.*

Res soluta est. Pecunia soluta est nugigerulis pro illis crocotis, etc.

Ibi ad postremum cedit miles, aes petit.
 Itur, putatur ratio cum argentario;
 Inpransus miles adstat, aes censet dari. 55
 Ubi disputata est ratio cum argentario,
 Etiam ipse ultro debet argentario:
 Spes prorogatur militi in alium diem.
 Hae sunt atque aliae multae in magnis dotibus
 Incommoditates sumtusque intolerabiles: 60
 Nam quae indotata est, ea in potestate est viri;
 Dotatae mactant et malo et damno viros.
 Sed eccum adfinem auctorem aedis! Quid agis, Euclio?

EUCLIO.

Nimum lubenter edi sermonem tuum.

MEGADORUS.

Ain' ? audivistin' ?

EUCLIO.

Usque a principio omnia. 65

Ibi, vel illic saepe tempus significat, et idem valet ac tunc.

Cedit miles. Intellige militem a tribuno aerarii missum. Antiquitus Romani aere proprio militarunt. Sed postea, prolatis imperii finibus, quum milites longe a patria essent ducendi, et bella diutius durarent, coepta sunt stipendia solvi militibus. Tribuni vero aerarii dicebantur qui acceptam pecuniam in stipendium exercitus, ad quaestores provinciarum deferrebant, militibus erogandam.

Putatur ratio. Nos: *si fa il conto.*

Cum argentario. Argentarius vel trapezita dicebatur a Romanis, apud quem pecunia ponitur vel custodiae vel feneratoris causa. Nos: *il banchiere.*

Inpransus miles etc. Dum uxorius hic maritus, pecunia vacuus, rationes putat cum argentario, miles impransus exspectat.

Ubi disputata ratio est. Ital.: *liquidati i conti.*

Ipsus ultro. In hoc loco particula *ultro* ponitur pro *imo, e contrario.* Nos: *Esso al contrario vien chiarito debitore del banchiere.*

Ea in potestate est viri. Obedit, obsequitur viro.

Mactant malo et damno. Afficiunt malo et damno. *Malo*, quia ipsos in servitutem redigunt; *damno* quia sunt sumptuosae.

Quid agis? Romanorum dicendi formula, quum sermonem exordiri vellet cum aliquo. Nos: *come va?*

Edi sermonem. Attente et avide audivi sermonem tuum.

Ain' ? audivistin' ? Ital.: *Di' tu di aver sentito?*

MEGADORUS.

Tamen, meo quidem animo, aliquanto facias rectius,
Si nitidior sis filiai in nuptiis.

EUCLIO.

Pro re nitorem, et gloriam pro copia;
Qui habent, meminerint sese, unde oriundi sient;
Neque pol, Megadore, mihi, nec quoquam pauperi,
Opinione melius res structa est domi.

70

MEGADORUS.

Imo est.

EUCLIO.

Est?

MEGADORUS.

Est, et divi faciant, ut siet,
Plus plusque istucce sospitent, quod nunc habes!

EUCLIO.

Illuc mihi verbum non placet: Quod nunc habes. —
Tam hic scit, me habere, quam egomet: anus fecit palam.

75

MEGADORUS.

Quid tu te solus e senatu sevocas?

Meo quidem animo. Mea sententia.

Si nitidior sis. Megadorus animadvertens Euclionem socerum, pannosum, hoc est sordida et fortasse lacera veste amictum, uti esse consueverunt avari: tamen, ait, rectius faceres, si cultior, ornatior esses in filiae nuptiis. *Più pulito, più elegante.*

Pro re nitorem, et gloriam pro copia. Oportet habere ornatum pro magnitudine divitiarum, et gloriam pro copia rerum. Italice: *E tanto secondo te facoltà.*

Qui habent. Supp. rem. Ital.: *Chi è ricco.**Meminerint sese.* Meminerint.

Res est structa domi melius opinione. Non habeo domi maiores divitias, quam vulgus opinatur. Struere rem, augere rem, ital.: *accumular ricchezza.* Quibus verbis studet avarus Megadorum avertere a suspitione thesauri.

Imo est. Supp. res. Sunt tibi divitiae maiores omnium opinione.

Plus plusque. Magis magisque. Huiusmodi geminationes rem augment. Itali: *più e più.*

Illuc mihi verbum non placet, etc. Itaec secum ait Euclio suspicatus, Megadorum quidpiam pensavisse de thesauro.

Quid te solus e senatu sevocas? Proverbialis locutio, quae usurpatur pro

EUCLIO.

Pol ego, ut te adensem, merito meditabar.

MEGADORUS.

Quid est?

EUCLIO.

Quid sit, me rogitas, qui mihi omnis angulos
Furum implevisti in aedibus miserrumo?

MEGADORUS.

Qui?

EUCLIO.

Intromisisti in aedis quingentos cocos
Cum senis manibus, genere Geryonaceo,
Quos si Argus servet, qui oculeus lotus fuit,
Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit,
Is nunquam servet: praeterea tibicinam,
Quae mi interbibere sola, si vino scatet,
Corinthiensem fontem Pirenen potest.
Tum obsonium autem

80

85

MEGADORUS,

Pol vel legioni sat est.

eo quod esset: Cur solus te segregas e coetu? Nos: *Perchè ti allontani dalla mia compagnia? Perchè stai parlando da te solo?*

Quingentos cocos. Innumeros coquos.

Genere Geryonaceo. Geryon, Hispaniae rex, dictus fuit a poetis tricorpor. Quare habuit tria capita, sex manus, totidemque pedes.

Si Argus servet. Fuit Argus Aristoris filius, quem Graeci *αργεῖος* dixerunt, propterea quod totus oculis constaret. Huic fabulantur poetae a Iunone constitutum fuisse custodem Ius, Inachi filiae, in bovis speciem conversae. Rem fusius narrat Ovidius, *Metam.* 1. 634.

Totus oculeus. Totus oculis constans. Nos: *tutt' oechio.*

Ioni. Casus dativus nominis *Io*.

Nunquam servet. Nullomodo servabit.

Praeter tibicinam. Qualibet aetate tibicines tamquam bibaces habiti sunt.

Si vino scatet. Si vino fluoret. Itali: *se scorresse vino.*

Pirenen. Pirene fons fuit, qui effluebat ex Acrocorintho, hoc est ex monte et arce, quae Corintho urbi immiuet.

Tum obsonium. . . . Pol vel legioni etc. Dum Euclio vellet queri de parva obsonii quantitate a Megadoro missa, ipsius verba abruptit Megadorus, testatus, obsonium illud posse sufficere etiam legioni. Nos: *Potrebbe bastare anche ad un reggimento.*

Etiam agnum nisi.

EUCLIO.

Quo quidem agno sat scio

Mage curionem nusquam esse ullam beluam.

MEGADORUS.

Volo ex te scire, qui sit agnus curio.

90

EUCLIO.

Quia ossa ac pellis totust: ita cura macet;

Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet:

Ita is pellucet, quasi laterna punica.

MEGADORUS.

Caedundum illum ego conduxī.

EUCLIO.

Tum tu idem (optimum est)

Loca efferundum: nam iam, credo, mortuost.

95

MEGADORUS.

Potare ego hoc die, Euclio, tecum volo.

EUCLIO.

Non potem ego quidem hoc die.

MEGADORUS.

At ego iussero

Beluam mage curionem. Belluam magis macilentam. Apud Romanos *curiosus* erat dicitur vulgi in hominem macilentum, quasi curis se met conficeret. Plautus ad caveam exhilarandam, vocabulum novavit, et pro *curioso curionem* dixit. Quare vocis novitatem miratus Megadorus, quaerit qui sit agnus curio.

Quin exta inspicere. Adeo est macilentus, ut si soli ardenti opponatur, liceat inspicere eius viscera.

Laterna punica. Laterna a latendo dicta, quod ignis in ea lateat. Laternas vero punicas memorat noster, quod essent ceteris magis pellucidae.

Caedundum conduxī. Emi aptum caedeudo. *Conducere* interdum idem sonat atque *emere*. Itali: *Io l'ho comperato, che fosse buono ad ammassare*.

Loca efferundum. Efferre idem est ac sepellire, hoc est efferre extra domum. Hic vero Euclio ludit in verbis. Quum Megadorus dixisset: *conduxi caedendum*, Euclio respondet: *loca efferundum*. Namque *conducere* et *locare* sibi respondent. *Conducere* dicitur qui aliquid accipit faciendum; *locare* qui aliquid dat utendum. *Loca efferundum, quoniam darto a sepellire*.

Potare. Largius bibere.

Non potem. Eleganter pro futuro *potabo*.

Cadum unum vini veteris a me adferrier.

EUCLIO.

Nolo hercle: nam mihi bibere decretum est aquam.

MEGADORUS.

Ego te hodie reddam madidum, si vivo, probe,

100

Tibi quoi decretum est bibere aquam!

EUCLIO.

Scio quam rem agat:

Ut me deponat vino, eam adfectat viam:

Post hoc, quod habeo, ut commutet coloniam.

Ego id cavebo: nam alicubi abstrudam foras.

Ego faxo et operam et vinum perdiderit simul.

105

MEGADORUS.

Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem. —

EUCLIO.

Edepol nae tu, aula, multos inimicos habes,

Atque istuc aurum, quod tibi concreditum est!

Nunc hoc mihi factu est optimum, ut ted auferam,

Aula, in Fideii fanum: ibi abstrudam probe.

110

A me adferrier. A domo mea afferri.

Reddam madidum probe. Itali: Ti voglio ubbriaciar ben bene.

Tibi quoi etc. Supp. dico tibi, cui decretum est. Ceterum ordo naturalis latinae syntaxis postularet: Te, cui decretum est etc.

Si vivo. Solemnis formula apud Romanos, praesertim quum cuipiam minarentur. Italice: se Dio mi dà vita.

Ut me deponat vino. Ut ebrietate me reddat similem deposito, hoc est mortuo. Per ubbriacarmi in guisa che io sia come morto.

Eam adfectat viam. Eam viam aggreditur; illud consilii capit.

Post hoc, quod habeo, etc. Meminerit lector, Euclionem gestare latentem sub veste ollam, et statim intelliget, pronomen hoc referri ad aurum olla inclusum, quam illo temporis puncto exquisita quadam voluptate contractat avarus.

Commutet coloniam. Commutet sedem; transeat ab aedibus meis ad aedes Megadori.

Eo lavatum, ut sacrificem. Corpus abinebant veteres, antequam sacrificarent. Megadorus autem sacrificabat ob nuptias.

Edepol nae. Euclio solus in scena sermonem convertit ad ollam, et seum ipse statuit thesaurum suum in templo Fidei deponere, quo tutior ibi esset. Fuit autem hic mos apud veteres, ut pecuniam in sacris aedibus deponerent. Et romanum quidem aetarium erat in templo Saturni.

Fides, novisti me et ego te: cave sis tibi.
 Ne tu immutassis nomen, si hoc concreduo!
 Ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia.

Sis. Particula redundans.

Ne tu immutassis nomen. Cave, ne tu, o Fides, fias in me infidelis; ita ut potiusquam *fidem*, te *perfidiam* appellem; quod sane fieret, si tu thesaurum mihi surripi patereris. Hic iuvat rursus notare, quemadmodum Plautus tam apte episodica fabulae inserat, ut mirum in modum conkurent ad praecipuum finem, quem sibi proposuit. Siquidem coquorum episodium, quo lotus constat tertius hic comoediae actus, plurimas poëtae opportunitates obtulit, quibus avari naturam magis magisque effligeret.

Fides, fiducia. Frequens apud Plautum occurrit haec vocum similitudo, ex qua acuti et urbani sales interdum existunt. Sic *ii. 2. 4*: Nunc domum *properare propero*; *iv. 2. 10*: *Fides*, cave tu illi *fidelis*; et paullo post: *Fides* mulsi congiatam *fidetiam*. *Cl. Mil. 1. 4*; *ib. 1. 68*; *ib. ii. 2. 28*, aliaque passim.

ACTUS IV.

SCENA I.

STROBILUS.

Hoc est servi facinus frugi facere, quod ego persequor,
 Nec morae molestiaeque imperium herile habeat sibi.
 Nam qui hero ex sententia servire servos postulat,
 In herum matura, in se sera, concedet capessere.
 Sin dormitet, ita dormitet, servom sese ut cogitet.
 Nam qui amanti servitutem servit, quasi ego servio,
 Si videt superare amorem, hoc servi esse officium reor:

Hoc est etc. Quum Euclio, aulae suae timens, statuisset illam in templo Fidei abstrudere, Strobilus servus a Lyconide adolescente missus, ut specularetur quid de Euclionis filia fieret, forte audit de thesauro ibi abscondito; qui thesaurus post varios tandem casus in Phaedrae dotem cedit, Lyconidi nupturae. Itic vero animadvertendum, Strobilum hunc, servum esse geminum, hoc est, non esse eum servum, qui Megadoro serviret, quique coquos in domum Euclionis induxerat, sed alium servum cognominem, qui operam suam praestaret Lyconidi.

Persequor. Exsequor.

Servi frugi. Frugi dicitur servus, qui domino utilis sit, eiusque rem diligenter curet. Nos: *un bravo servo.*

Nec morae molestiaeque. Neque moretur et molestum ei sit hero obedire.

Imperium herile. Il comando del padrone. Interdum a Latinis herile imperium usurpatur pro dominatu. Ital: *tirannia.*

Ex sententia. Sincere, fideliter: *di buon cuore.*

Postulat. Vult.

In herum matura, etc. Decet servum perficere mature (a tempo) ea, quae ad herum pertinent; sero quae ad se.

Sin dormitet, etc. Sensus est: Si erit aliquando negligentior, ita sit, ut meminerit, maiore diligentia esse facienda, quae neglecta sunt.

Qui amanti servit. Qui operam suam praestat hero amanti.

Si videt superare amorem. Supp. si videt amorem superare herum. Ital: *Se vede che il padrone sia vinto, acceato dall'amore.*

Retinere ad salutem; non quo incumbat, illo impellere.
 Pueris quasi, qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
 Toleret, ne pessum abeant, et uti facilius moveant manus: 10
 Modo eodem servom ratem esse amanti hero aequom censeo;
 Tamque imperium ediscat, ut quod frons velit, oculi sciant;
 Quod iubeat, citis quadrigis citius properet persequi.
 Qui ea curabit, abstinebit censione bubula;
 Neque opera sua iu splendorem rediget unquam conpedes. 15
 Nunc herus meus amat huius filiam Euclionis pauperis;
 Eam hero nunc renunciatum est nuptum huic Megadoro dari:
 Id speculatum huc misit me, ut, quae fierent, fieret particeps.

Retinere ad salutem. Retinere herum, ne praecipit est. Nimirum hominem amantem pingit Plautus quasi sit in vertice montis, unde praecipit agatur ab amore.

Quo incumbat. Quo est inclinatus.

Illo. Illuc.

Pueris quasi. Quemadmodum pueris.

Scirpea induitur ratis. Pueri nare discentes muniuntur rate scirpea. Ital.: *sono provveduti di una barchetta di giunco.*

Toleret. Supp. ut. Ad eos sustentandos, ne mergantur in aquam, ne pereant. Translate dicimus *tolerare vitam* pro eo quod est *sustentare vitam.*

Servom ratem esse etc. Aequom censeo, servum, tamquam ratem, herum amantem regere. Namque *amantes*, quasi *amentes*, aliorum consilio et opera egent.

Tamque imperium ediscat, etc. Atque ita discat cognoscere imperium heri, ut oculi servi cognoscant quid frons heri velit.

Citis quadrigis. Quadriga, currus a quatuor equis tractus, saepe usurpatur ad significandam celeritatem, propterea quod in circo quadrigae quam celerrime ferebantur. Haud abs re erit notare, quadrigam fere semper poni in numero multitudinis, rarius omnino in numero singulari.

Abstinebit censione bubula. Censio idem est atque animadversio, castigatio, ex eo dicta quod censores in eos animadvertebant, quos peccare in moribus cognovissent. Festiva est haec Plauti locutio, quae idem valet ac: non punitur loris bubulis. Nos: *schiverà lo staffile.* Siquidem scutica et flagellum, quo caedebantur servi, loris coriaceis constabant. Illud autem notandum, servos romanos in levioribus peccatis caesos fuisse ferula, hoc est virga; in gravioribus scutica; in gravissimis flagello. Iuven. Sat. vi. 479: Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis, hic scutica.

In splendorem rediget conpedes. Fuere conpedes vincula ex ligno aut ferro, quibus servorum pedes vinciebantur. Usurpat hic noster effectum pro causa, pro eo quod esset: nunquam conpedibus vincietur. Fit enim natura, ut quae frequentius adhibentur, in splendorem redigantur.

Nunc sine omni suspitione in ara hic adsidam sacra:
Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier.

29

ACTUS IV. — SCENA II.

EUCLIO, STROBILUS.

EUCLIO.

Tu modo cave quoquam indicassis, aurum meum esse istic, Fides.
Non metuo, ne quisquam inveniatur: ita probe in latebris situm est.
Edepol nae illic pulcrum praedam agat, si qui illam invenerit
Aulam onustam auri. Verum id te quaeso, ut prohibeas, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam: ne adfinem morer,
Quin, ubi accessat, meam ex templo filiam ducat domum.

5

Nunc sine omni suspitione in ara hic adsidam. Fuere apud veteres arae publicae non modo in templis, sed et in plateis, in triviis et vicis. *Sine omni suspitione.* Fiebat enim saepe, ut servi peccantes a domino fugerent, et in ara adsiderent, quae erat tanquam persegium futurum, unde rei aut servi sine piaculo abstrahi non poterant. Quod si eos aliquando avelli necesse esset, ignis admovebatur. Sic eos non ab hominibus, sed a Deo divelli existimabant.

Arbitrarier. Interdum arbitrari idem valet ac speculari. Ital: *spiare, osservare*; quemadmodum *arbiter* speculatorem, *arbitrium* prospectum significat. Sic Horatius (Ep. I. 11. 26.), de loco, ex quo in mare prospectus esset: *Locus effusi late maris arbiter.*

Tu modo cave. Dum Strobilus in ara adsideret, speculaturus quid fieret, illuc transit Euclio rediens a templo, qui Strobilum non conspicuus, secum ipse loquebatur de aula abscondita; et quasi in Fidei templo adhuc versaretur, illam rogabat, ut nemini aulam indicaret. Veteres ut significarent, fidem tectam et secretam esse debere, consueverunt eius signum albo panno velare; item qui ei sacrificabant, manu candido panno velata esse debebant.

In latebris situm. Positum, a verbo *sino*. Hinc mortui *siti* dicebantur a veteribus, pro eo quod est *sepulti*.

Edepol etc. En avari ingenium ex vero effictum, de nulla alia re perpetuo cogitantis aut loquentis, nisi de thesauro suo.

Prohibeas . . . indicassis. *Ἀγγαίως*, pro eo quod est *prohibeas, indices.*

6

Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs te
 auferam!

Tuae fide concredidi aurum; in tuo luco et domo est situm. —

STROBILUS.

Di immortales, quod ego hunc hominem facinus audivi loqui,
 Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano! Fides, 10
 Cave tu illi fidelis, quaeso, potius fueris, quam mihi!
 Atque pater hic, ut ego opinor, huius est, herus quam amat.
 Ibo huc intro; perscrutabor fanum; si inveniam uspiam
 Aurum, dum hic est occupatus. Id si reperero, o Fides,
 Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam; 15
 Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam, id ubi fecero.

EUCLIO.

Non temere est, quod corvos cantat mihi nunc ab laeva manu.
 Simul radebat pedibus terram, voce crocibat sua:

Tuae fide. Saepe veteres in fine vocabulorum litteram iota expungebant. Hinc *fide* pro *fidei*; *senatu* pro *senatus*.

In tuo luco. Prope deorum et dearum aedes erat lucus, hoc est locus arboribus consitus, et numini sacer.

Mulsi. Mulsum dictum fuit a Latinis vinum melle admixtum; potio antiquis locupletibus et delicatioribus maxime usitata. Hinc *mulsus*, a, um idem est ac *dulcis, suavis*. *Mulsa mea* erat amatoria appellatio blandientis. Itali: *mia dolcezza*.

Congialem fideliam. Fidelia fuit vasis genus, plerumque stertilis; *congius vero*, mensura liquidorum. Fidelia congialis est quae congiium continet.

Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam. Haec profert servus iam laetitia gestiens, ob thesaurum, quo brevi potietur. Interdum particula *adeo*, ut in hoc quidem loco, significatione gaudet, quam intentivam grammatici vocant, uti apud Graecos $\gamma\epsilon$, et componitur proprie cum pronominiibus, ut rem ante dictam maiori vi offerat, eamque auditori maxime spectandam proponat. *Id adeo*, $\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\varsigma \gamma\epsilon$, *id quidem*; nos: *ciò appunto io farò per te*. Raud aliter ut. t. 12: *Ei adeo obsont hinc dimidium iussit dari. E per ciò appunto gli fece dare la metà delle vivande della sua casa*. Cf. Cure. v. 3. 1; Poen. I. 2. 57; Terent. Hee. iv. 4. 68; Virg. Aen. xi. 275; Tull. Ep. ad Att. ix. 16: *Dolabella tuo nihil scito mihi esse incondius: hanc adeo habebō gratiam illi*.

Non temere. Itali: *non a caso*.

Ab laeva manu. Ex augurum disciplina cantus corvorum a dextera, fausta portendebat; a laeva, infausta. Quare Euclio, audito forte corvi cantu, qui esset in luco, statim suspicatur, sibi aliquod infortuium impendere, et fore ut aurum sibi surripiatur.

Crocibat voce sua. Nos: *gracchiava a suo modo*.

Continuo meum cor occoepit artem facere ludicram,
 Atque in pectus emicare. Sed ego cesso currere? — 20
 I foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo;
 Modo qui nusquam comparebas, nunc, quom compareas, peris!
 Ego pol te, praestigiator, miseris iam accipiam modis!

STROBILUS.

Quae te mala crux agitat? Quid tibi mecum est commercii, senex?
 Quid me afflictas? quid me raptas? qua me causa verberas? 25

EUCLIO.

Verberabilissime, etiam rogitas, non fur, sed trifur?

STROBILUS.

Quid tibi subripui?

EUCLIO.

Redde huc, sis!

Occoepit artem facere ludicram, atque in pectus emicare. Metaphora ducta a praestigiatoribus, seu ludionibus, qui saltare consuverunt. Itali: *cominciò il cuore a saltarmi in petto, e a palpitare.*

Sed ego cesso currere? Audito corvi cantu, quem haberet tamquam ma-
 lum omen et indicium impendentis calamitatis, continuo Euclio currens
 redit in Fidei templum.

I foras, lumbrice. Euclio in templum reversus, ibique Strobilum ser-
 vum videns, qui omnia sagacissimo odoraretur, ut aulam reperiret, quam
 illic abstrusam esse audiverat, in iram conversus, conviciis et verberibus
 eum ex templo extrudere conatur, atque *i foras, lumbrice*, exclamat.
 Duplici vero causa Euclio Strobilum lumbricum appellat; tum quod re-
 pente apparuisset in luco vel templo, uti lumbrici solent, qui subito e
 terra erepant; tum quod in terram fortasse inclinatus, omnes angulos
 pervestigaret, ac manibus fortasse terram raderet, aulam effossurus. Prae-
 terea Romani ad contemptum *lumbricos* appellabant repentinos homines,
 qui ex imis sordibus ad summas dignitates evolassent.

Nunc, quom compareas etc. Nunc quod compares, te morti dedam.

Praestigiator. A praestringendo dictus, extrita litera *r*, euphoniae causa.
 Est autem qui circumstantibus ita oculorum aciem praestringit, ut dolum
 non advertant. Ital.: *giocolare, impostore.*

Miseris te accipiam modis. Nos: *ti acconciéro pel di delle feste.*

Quae te mala crux agitat? Nos: *Qual diavolo mai ti strascina?*

Quid tibi mecum est commercii? Quid tibi est mecum? Itali: *Che hai tu
 a fare con me?*

Afflictas? Afflictare idem valet quod impellere huc atque illuc. Ital.:
far urtare qua e là. Nos Subalpini: *buloné.*

Raptas? Invitum trahis. Translate: conviciaris.

Verberabilissime. Dignissime qui verbereris. Nos: *spalle da bastone.*

STROBILUS.

Quid tibi vis reddam?

EUCLIO.

Rogitas?

STROBILUS.

Nil equidem tibi abstuli.

EUCLIO.

At illud, tibi quod abstuleras, cedo.

Ecquid agis?

STROBILUS.

Quid, quid agam?

EUCLIO.

Auferte non potes.

STROBILUS.

Quid vis tibi?

EUCLIO.

Poned!

STROBILUS.

Equidem pol datare credo consuetum, senex.

30

At illud, quod tibi abstuleras. Avarus, ntpote homo suspiciosissimus, putat, Strobilum iocari in voce *tibi*. Namque duplici sensu accipi potest: Nil tibi abstuli: *non ti ho rapito niente*, vel non ho rapito niente *per utile tuo*. Quare statim subiicit: At cedo mihi, hoc est *da mihi* quod abstuleras usus tui gratia, *per tuo vantaggio*.

Cedo. Manat a graeco *δοῖ* (aor. 2. modi imper. verbi *δοῶμαι*); eni praepositur particula *ce*, ut in adverbio *ceterum* (*ce ἕτερον*). Est autem verbum defectivum, videlicet forma peregrina personae secundae modi imperativi, quae significat *dic* vel *da*. Illud mihi *da*, quod pro te abstuleras. Cf. Plaut. Amph. 11. 2. 146; Mostell. 1. 3. 150; Terent. Hec. 1v. 4. 86.

Poned! — *Equidem pol datare etc.* Illic primum omnium in memoriam tibi redigas velim, lector, quam improbum ac petulans esset servorum ingenium apud Romanos; deinde aio, quidpiam obscenum latere in hisce verbis Plautinis. Sensus autem obscenior latet praesertim in voce *pone*, quam tanquam verbum usurpat Euclio, Strobilus autem uti adverbium, quod valet *a tergo*.

Datate. Verbum est frequentativum, amatorium et venereum, quod sonat italice: *far copia di sè*. Ait nimirum servus: Ego quidem credo, tibi hoc esse consuetam, tui copiam facere pone. Quum autem Euclio sensisset improbam servuli interpretationem: *Aufer cavillam*, ait, hoc est reliquae iocos: *lascia gli scherzi, le sofisticerie*.

EUCLIO.

Pone huc, sis! aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.

STROBILUS.

Quid ego ponam? Quin tu eloquere, quidquid est, suo nomine.
Non hercle equidem quidquam sumsi nec tetigi.

EUCLIO:

Ostende huc manus.

STROBILUS.

Hem tibi ostendo, eccas.

EUCLIO.

Video. Age, ostende etiam tertiam.

STROBILUS.

Larvæ hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem. 35
Facin' iniuriam, an non?

EUCLIO.

Fateor, quia non pendes, maxumam.

Atque id quoque iam fiet, nisi fatere.

STROBILUS.

Quid fatear tibi?

Quin tu eloquere, etc. Cur non vocas aperte suo nomine quidquid est?
Nimirum voluisset Strobilus, aulam nominari a sene.

Eccas. Ecce eas.

Ostende etiam tertiam. Confirmaturus noster quam miser sit avarus,
perpetua auri cura exagitalus, eum spectatoribus exhibet veluti mente
deturbatum, qui ne oculis quidem suis credat, et iam ferme nesciat quid
loquatur.

Larvæ atque intemperiae. Larvæ atque intemperis agitari idem valet
ac mente motum esse per occursum larvarum. Hinc larvatus, *spiritato*.
Nos: *Questo vecchio per fermo è fuor di cervello*.

Facin' iniuriam, etc. Italice: *Questo si chiama ingiuriarmi o no?*

Fateor, quia non pendes, maxumam. Iniuriam maximam, fateor, tibi
facio, quia non pendes. Ut huiusce locutionis sensum assequamur, sciendum
est, apud Romanos, servos solitos fuisse pendere ad trabem, dum
loris caederentur. Hinc Plautus (Asin. iii. 3. 26.) herum inducit servo suo
dientem: *O Libane, ut miser est qui amat!* Servus autem respondet: *Imo
hercle vero qui pendet, multo est miserior.* Quapropter quia non pendes
interpretaberis: quia non verberaris.

Id quoque iam fiet. Hoc etiam accidet, ut verbereris.

EUCLIO.

Quam abstulisti hinc.

STROBILUS.

Dii me perdant, si ego tui quidquam abstuli.

EUCLIO.

Neve adeo abstulisse velim. — Agedum, excutedum pallium . . .

STROBILUS.

Tuo arbitrato.

EUCLIO.

Ne inter tunicas habeas!

STROBILUS.

Tenta, qua lubet.

40

EUCLIO.

Vah, scelestus quam benigne! ut ne abstulisse intelligam.

Quam abstulisti. Suppone: eam ollam, quam abstulisti.

Neve adeo abstulisse velim. Haec quidem verba addit Euclio, quae voluisset ultro dici a servo. Nimirum, quum Strobilus tantummodo negasset, se quidpiam abstulisse, Euclio statim subdit: *neque vellem abstulisse*, ut significet, sibi persuasum esse, servum, nisi abstulit, at saltem voluisse auferre. Hic animadvertant rursus latinae rationis studiosi, eleganter cum verbo *volo* usurpari tempus praeteritum perfectum pro praesenti: *neve adeo auferre vellem*. Causa huiusce dictionis est, quod voluntas, quam quis haberet quidpiam faciendi, pertinet ad tempus praeteritum.

Excutedum. Particula *dum*, quae a Latinis coniungitur cum verbis modi imperativi aut cum adverbis, habet interdum vim excitandi, uti: *adedum*, italico: *su via vien qua*. *Excutedum pallium*: *su via scuoti quel pallio*.

Pallium fuit Graecis, quod Latinis toga. Memento, lector, hanc fabulam esse *palliatam*, hoc est graeco fonte manasse, ac propterea graecae vestis morem a poeta servari.

Ne inter tunicas habeas! Animadvertenda hic singularis significatio particulae *ne*, quae in familiari sermone respondet illi Italorum formulae: *Che non l'abbi per avventura sotto la tonaca!* Neque absurdum erit supponere verbum *metuo*, quod Graecorum more saepe omittitur ante particulae *ne*. T. Liv. II. 3: Per aliquot dies ea consultatio tenuit; *ne* non reddita belli causa, reddita belli materia et adiumentum essent. Cf. Caes. B. C. I. 71; Tacit. Ann. I. 47. Ceterum tunica erat vestis interior, quam domi gestabant, cuique, domo exeuntes Graeci superimponebant pallium, Romani vero togam. Euclio autem mente motus, qui iam tertiam manum postulaverat, *tunicas* pro *tunica* memorat; quod sane pertinet ad caveam exhilarandam.

Tenta, qua lubet. Ital.: *visita, tocca dove ti piace.*

Quam benigne! Supp. loquitur. *Come parla dolce!*

Novi sycophantias. Age, rursus ostende huc manum
Dexteram.

STROBILUS.

Hem!

EUCLIO.

Nunc laevam ostende.

STROBILUS.

Quin equidem ambas profero.

EUCLIO.

Iam scrutari mitto. Redde huc.

STROBILUS.

Quid reddam?

EUCLIO.

Au, nugas agis!

Certe habes!

STROBILUS.

Habeo? quid ego habeo?

EUCLIO.

Non dico: audire expetis. 45

Id meum quidquid habes, redde.

STROBILUS.

Insanis: perscrutatus es

Tuo arbitrato, neque tui me quidquam invenisti penes.

EUCLIO.

Mane, mane: quis illic est, qui hic intus alter erat tecum simul?

Sycophantias. Usurpatur saepe a comicis haec vox pro qualibet fallacia.

Ambas. Utramque manum simul.

Iam scrutari mitto, etc. Haec verba mirum in modum avari anxietatem produunt, qui postquam perscrutatus esset suo arbitrato, nec quidquam invenisset, ad pristinam petitionem redit, et rogat ut aulam reddat.

Au vel hanc. Haec interioctione utimur, quum quidpiam praeter expectationem aut nimium aut incredibile ab aliquo dici aut fieri miramur cum quadam indignatione. Cf. Plaut. Stich. I. 3. 104; Terent. Eun. iv. 3. 14; iv. 4. 13; v. 2. 60; Heaut. v. 3. 13, alibique passim.

Mane, mane. Quum Strobilus discedere se ex templo simularet: Mane, mano, exclamat Euclio. Nos: *aspetta, aspetta.*

Quis illic est? Nemo alius illic erat praeter Strobilum; sed homo avarissimus tuta etiam timet.

Perii hercle! ille nunc intus turbat; hunc si amitto, hinc abierit.
 Postremo hunc iam perscrutavi; hic nihil habet. Abi quo lubet. 50
 Iupiter te dique perdant!

STROBILUS.

Gratias agis baud male.

EUCLIO.

Ibo intro, atque illi socienno tuo iam interstringam gulam.
 Fugin' ab oculis? abin' hiuc, an non?

STROBILUS.

Abeo.

EUCLIO.

Cave, sis, revideam! —

STROBILUS.

Ecmortuom ego me mavelim leto malo,
 Quam non ego illi dem hodie insidias seni! 55
 Namque hic iam non audebit aurum abstrudere:
 Credo, ecferet iam secum et mutabit locum.
 Attat, foris crepuit! senex ecum aurum ecfert foras!
 Tantisper ego hinc ab iauua concessero.

EUCLIO.

Fide censebam maxumam multo fidem 60

Ille nunc intus turbat. Itali: *Quell'altro, che era qui dentro, mi affanna.*

Si amitto. Si abire sino.

Postremo etc. Ital.: *alla fin fine.* Haec secum Euclio.

Gratias agis baud male. Ital.: *mi ringrazii daddovero.*

Socienno tuo. Veteres sociennum posuerunt pro socio.

Insidias dem. Rarior dictio, pro eo quod esset: *insidias struam.*

Foris crepuit. Ianna strepitum edidit. Hoc ex more Atheniensium dictum est. Quum enim apud illos fores aperirentur in viam (*verso la via*), ideo domo exituri, ne quem forte praetereuntem laederent, crepitum edebant, vel manus collidendo, vel ipsas fores pereutiendo.

Multo maxumam. Vox multo redundat.

Fide — fidem esse. Ludit in verbis Plautus, quum ait: Ego censebam, Fidei maximam esse fidem.

Esse: ea sublevit os mihi penissime.
 Ni subvenisset corvos, periissem miser.
 Nimis hercle ego illum corvom, ad me veniat, velim,
 Qui indicium fecit, ut ego illice aliquid boni
 Dicam: nam quod edit, tam duim, quam perduim,
 Nunc, hoc ubi abstrudam, cogito solum locum.
 Silvani lucus extra murum est avius,
 Crebro salicto oppletus: ibi sumam locum.
 Certum est, Silvano potius credam, quam Fide.

65

STROBILUS.

Euge, euge, di me salvom et servatum volunt!
 Iam illum praecurram, atque inscendam aliquam in arborem:
 Inde observabo ego, aurum ubi abstrudat senex.
 Quamquam hic manere me herus sese iusserat,
 Certum est, malam rem potius quaeram cum lucro.

70

Sublecit os. Os sublinere frequens apud Plantum occurrit, pro eo quod est *decipere*. Haec autem dictio derivatur a genere ludi, quo dormientibus ora piunguntur. Huiusce lusus exemplum habes apud Virg. Eclog. vi, in qua pueros quosdam inducit, qui nacti Silenum ebrium et dormientem in antro, ei frontem et tempora sanguineis moris pingunt.

Penissime. Syncope adverbii *penitissime*.

Illum corvom, ad me veniat, velim. Nota syntaxin rariorem, pro eo quod est: velim, corvus ad me veniat.

Illice. Archaism. illi.

Ut aliquid boni dicam. Animadvertenda est vox *dicam*, quae mirum in modum confert ad avari tenacitatem significandam. Non capit aliquid *dare* corvo, sed *dicere*. Nos: *affinchè io gli possa dire alcuna buona parola*.

Quod edit, tam duim, quam perduim. Quidquid dedero, perdam. Itali: *tanto dato, tanto perduto*. *Duim, perduim*, arch. *dem, perdam*.

Silvani. Silvanus, deus habebatur praeses silvarum, pecorum et agrorum.

Lucus avius. Remotus a via, *bosco fuori mano*.

Extra murum. Sopp. urbis: in suburbio.

Sumam locum. Eligam locum.

Euge, a graeco ευχης, laetitiam semper significat, cui interdum adiuncta est admiratio vel laus. Heic Strobilus sibi gratulatur de consilio invento. *Euge, euge;* vos: *bene, benissimo*.

Malam rem. Nos: *il mio malanno*.

ACTUS IV. - SCENA III.

LYCONIDES, EUNOMIA, PHAEDRA.

LYCONIDES.

Dixi tibi, mater; iuxta rem mecum tenes
 Super Euclionis filia: nunc te obsecro
 Resecroque, mater, quod dudum obsecraveram:
 Fac mentionem cum avunculo, mater mea!

EUNOMIA.

Scis tute, facta velle me, quae tu velis.
 Et istuc confido a fratre me impetrassere,
 Et causa iusta est: siquidem ita est, ut praedicas,
 Te eam compressisse vinolentum virgineum.

5

Iuxta rem mecum tenes. Aequè ac ego rem cognoscis. In hac scena ab avari anxietate nos aliquantisper revocat Plautus ad Lyconidem adolescentem, qui audieus, iam Phaedrae uuptias parari, ab Eunuomia matre petit, ut colloquatur cum Megadoro avunculo, eique rem omnem aperiendo de amica, eius uuptias impediatur. Hoc autem diverbium inter Lyconidem et Eunuomiam habetur prope domum Euclionis, ex qua mox Phaedrae puellae eiulatus exaudientur. Arrepta occasione, hic monendi sunt grammatici, hanc particulam *iuxta* semper a Plauto usurpari tamquam adverbium, cui saepe additur praepositio *cum*. Cf. Pseud. iv. 7. 62; Mil. ii. 2. 79; Trin. i. 2. 160; Pers. ii. 2. 67; iv. 3. 75.

Te obsecro resecroque. Resecrare significat, aliquem solvere religione iurisiurandi: *ti scongiuro, e ti sciolgo dal giuramento, che poe' anzi io ti aveva domandato*. Nimirum Lyconides matrem obtestatus erat, ne eorum, quae de Euclionis filia olim uarraverat, cum avunculo mentionem faceret. Nunc vero audieus, illius uuptias mox futuras, matrem solvit a religione obsecrationis, eamque rogat, ut avunculo omnia aperiat. Si cui vero minus arrideat haec interpretatio, ei licebit aliam sequi. Namque *resecrare* ponitur etiam pro eo quod est *iterum obsecrare*. Tunc autem sensus Plautinus erit: *io ti supplico, e nuovamente ti scongiuro di ciò, che io ti aveva domandato*.

Fac mentionem cum avunculo. Loquere hac de re cum avunculo.

Tute. Tu ipse.

Velle me, etc. En matrum iugenum, quae liberis suis morem semper gerere consueverunt.

Impetrassere. *Appetere* pro eo quod est: me impetraturam esse.

Et causa iusta est. Si quis forte miretur hanc matris benignitatem in filiam in re turpi, is, quaeso, non ex nostris, sed ex Romanorum moribus rem aestimet.

LYCONIDES.

Egone ut te advorsum mentiar, mater mea?

PRAEDRA.

Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet! 10
Iuno Lucina, tuam fidem!

LYCONIDES.

Hem, mater mea,
Tibi rem potiozem video: clamat, parturit.

EUNOMIA.

I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
Ut istuc, quod me oras, inpetratum ab eo auferam.
I; iam sequor te, mater. — Sed servom meum, 15
Strobilum miror, ubi sit, quem ego me iusseram
Hic opperiri. Nunc ego mecum cogito:
Si mihi dat operam, me illi irasci iniurium est.
Ibo intro, ubi de meo capite fiunt comitia.

Advorsum te mentiar. Tibi, vel apud te mentiar.

Mea nutrix. Ille fuit apud veteres mos, ut nutrices domi haberentur, etiam quum puellae iam adolevisset, et omnia puellarum consilia factaque cognoscerent. Huuc merem apertissime confirmat fabula Myrrhae apud Ovid. *Metamorph.* x. 300 — 502.

Iuno Lucina. Diana, quae partibus praecerat, dicta Lucina, quod eius opera partus in lucem prodirent. Graeci Hithyam vocabant ab *Θαύω*, *renio*, quod invocata veniat.

Tuam fidem. Sapp. imploro.

Tibi rem potiozem video. Ecce tibi rem potiozem verbis meis. *Eccoti un fatto, che prova assai più che le mie parole.* Quasi diceret: non esse cur matrem multis argumentis doceat, se stuprasset filiam, quum ipsa parturiens veritatem apertissime ostendat.

Ut inpetratum ab eo auferam. Ut ab eo impetrem quod tu rogas.

Strobilum miror, ubi sit. Nescio nbi Strobilus sit. Cf. Prolog. vers. 1.

Ubi de meo capite fiunt comitia. Iocandi gratia haec dicuntur a poeta, pro vulgari: ubi de fama et salute mea agitur. In comitiis enim apud Romanos agebatur de rebus gravissimis, quae pertinerent ad reipublicae commodum et incolumitatem.

ACTUS IV. - SCENA IV.

STROBILUS.

Picos divitiis, qui aureos montis colunt,
 Ego solus supero: nam istos reges ceteros
 Memorare non volo, hominum mendicabula:
 Ego sum ille rex Philippus. O lepidum diem!
 Nam ut dudum hinc abii, multo adveni illuc prior, 5
 Multoque prius me conlocavi in arborem;
 Inde spectabam, ubi aurum abstrudebat senex.
 Ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore;
 Ecfodio aulam auri plenam; inde exeo. E loco
 Video se recipere senem; me illic non videt. 10
 Nam ego non me declinavi paulum extra viam.
 Attat, eccum ipsum! Ibo, hoc uti condam domum.

Picos divitiis. Interea dum Lyconides avunculi domum ingreditur, en Strobilum servum lactitia gestientem ob repertum Euclionis thesaurum. Picos aintt fuisse veteres quosdam populos, quos poëtae fabulati sunt, in montibus hyperboreis aurum effodere.

Hominum mendicabula. Homines mendicos, si cum me conferantur.

Ego sum ille rex Philippus. Intellige Philippum, Macedonum regem, Alexandri patrem, qui maximis opibus abundabat. Veteres quum aliquem opulentum vellent nominare, *Philippum* aut *Attalum* aut *Croesum* reges memorabant. Notandum hic pronomen *ille*, quod a Romanis *lupatus* fuit usurpatum, quemadmodum apud Italos *Particolo* il. Ego sum ille rex Philippus. Nos: *io sono veramente il re Filippo*.

O lepidum diem! Diem fortunatum!

Duco me deorsum de arbore. Pro vulgari: descendo ex arbore.

E loco. Forma contracta verborum *e loco*, pro adverbio posita, quae idem valet ac *statim*, *confestim*; haud aliter atque apud Graecos *αὐτόθι*.

Illic non videt. Ille me non videt.

Non paulum me declinavi etc. Multum recessi a via.

Ibo, hoc uti condam. Itaec ait Strobilus *decurtibus*, indicando videlicet aulam quam gestaret.

ACTUS IV. - SCENA V.

EUCLIO.

Perii! interii! occidi! Quo curram? quo non curram? Tene, tene!
 Quem? quis? Nescio, nil video, caecus eo, atque equidem, quo eam
 Aut ubi sim aut qui sim, nequeo cum animo certum investigare.
 Obsecro vos ego, mihi auxilio (oro, obtestor!) sitis, et hominem
 Demonstratis, qui eam abstulerit!

Quid est? quid ridetis? Novi omnis: scio, fures esse hic compluris,
 Qui vestitu et creta occultant se, atque sedent, quasi sint frugi!

Perii! interii! etc. Avarus paulo post quam in loco Silvani anam abstruserat, thesauri anxietate laborans, illic rediit, ut inviseret, num omnia salva essent. Sed praeter opinionem animadvertit, anam sibi fuisse surreptam; ac propterea veluti amens currensque vociferatur, exclamat: *perii! interii! occidi!* Quae dicendi ratio per familiaris est Plauto et Terentio, quotiescumque loquentem aliquem inducunt spe omni deiectum.

Tene, tene! Est clamor insequentis furem, et quemque obvium colloquentis.

Quem? quis? Subiit, quemnam teneo? quis surripuit?

Certum investigare. Nequeo certo scire.

Quid est? quid ridetis? Haec verba convertit avarus ad spectatores, propterea quod omnes, uti fit, illius animi perturbationem riderent.

Novi omnia. Fi conosco tutti.

Qui vestitu et creta etc. Ut sensum huiusce dictionis penitus assequamur, nonnulla sunt praemittenda, quae pertinent ad Romanorum mores. Horum vestis erat toga ex lana alba; sed qui honores et magistratus peterent, album illum togae colorem in splendorem redigebant, addita creta apud fullones, quorum id erat artificium. Isque color togae *candidus* dicebatur; quique toga illa cretata et candida essent induti, *candidati* appellabantur. Pers. Sat. v. 177; Ius habet ille sui palpo, quem ducit liantem *Cretata* ambitio? Iamvero huiusmodi candidati, quo facilius honores impetrarent, miram speciem probitatis, continentiae et industriae prae se ferebant. Hinc iam cuique potest, quid sibi velit Euclio quum ait: Scio, fures esse hic complures, qui occultant se vestitu et creta; nimirum scio, complures hic esse, qui improbi sunt, etiamsi induantur toga cretata, et prae se ferant speciem integritatis, quemadmodum facere consueverunt candidati, magistratus petentes. Erit igitur italice: *che si nascondono sotto candida veste, e se ne stanno qui sedendo, come se fossero uomini dabbene.* Quae verba avari, mente deturbati, cavearis excitant.

Quid ais tu? Tibi credere certum est: nam esse bonum, e vultu
cognosco. —

Hem, nemo habet horum? — Occidisti! — Dic igitur, quis habeat!
Nescis?

Heu me miserum! misere perii! 10

Male perditu', pessime ornatus eo:

Tantum gemiti et malae moestitiae hic dies mihi obtulit,

Famem et pauperiem! perditissimus omnium ego sum in terra!

Nam quid mi opust vita, qui tantum perdidit auri,

Quod custodivi sedulo? Egomem me frudavi 15

Animumque meum Geniumque meum!

Nunc eo alii laetificantur, meo malo et damno! Pati nequeo!

Quid ais tu? Ex abrupto ad alium sibi forte oblatum se convertit Euclio, dicens, velle se ei fidere, quod bonum e vultu eum cognoscat.

Nemo habet horum? Quasi hic respondisset Euclioni, neminem horum habere aulam, *occidisti!* exclamat: *mi hai morto!*

Male perditu'. Valde perditus.

Pessime ornatus eo. Pessime ornatus sum. Sono ridotto a pessimo partito.

Frudavi Genium meum! etc. Genius erat deus, in cuius tutela quisque natus erat et vivebat. lamvero diem natalem, Genio sacrum, amplioribus epulis celebrare solebant Romani. Hinc factum est, ut *genius* usurpetur pro appetitu epularum, gula. Hinc *genio indulgere, darsi bel tempo*. Hinc parasiti *genium suum* vocabant illum a quo saepe vocabantur ad coenam. Hinc december mensis dicebatur *acceptus geniis*, quod illo mense erant Saturnalia, et crebra convivium. Hinc demum *genium habere* dicebatur qui splendide et laute vivebat. E contrario *genium fraudare*, qui necessaria naturae negabat. *Fraudavi Genium etc.* Nos: *mi toglieva dalla bocca i bocconi, mi negava il necessario*.

Nunc alii eo laetificantur. Alii gaudent avaritia mea.

Pati nequeo. Nesqueo durare, vivere. In toto hoc Euclionis soliloquio adeo morata est oratio, tamquo avaro conveniens, ut nihil omnino verius, nihil aptius fingi a poeta aut excogitari possit.

ACTUS IV. - SCENA VI.

LYCONIDES, EUCLIO.

LYCONIDES.

Quinam homo hic ante aedis nostras eiulans conqueritur moerens?
 At hic quidem Euclio est, ut opinor. — Oppido ego interii! palam
 est res:
 Scit peperisse iam, ut ego opinor, filiam suam. Nunc mi incer-
 tum est,
 Abeam an maneam, an adeam an fugiam. Quid agam, edepol nescio.

In hac scena comico illo artificio utitur Plautus, quod ad conciliandam fabulae attentionem, atque exhilarandos animos potissimum confert. *Ἀποσιτίξ* Graeci vocant, *ambiguum* Latini, nos *equivoco* appellamus. Quod quidem artificium in eo positum est, ut duae personae ita colloquentes inducantur, ut unius verba ab altera in aliam plane sententiam detorqueantur, atque omnes expectabant. Ex hoc diverbii genere salsum illud ridiculum existit, quod risum spectatorum maxime movet. Ita, ad hunc locum quod attinet, quum Lyconides Euclionem esset conspicatus, de infortunio suo insolabiliter dolentem, arbitratur, avari dolorem proficisci ex stupro, quod ipse Phaedrae eius filiae intulisset. Quare ad Euclionem accedens, studet se se apud eum purgare de perpetrato flagitio. Sed Euclio, Lyconidis verba aliter omnino interpretatus, adolescentem reum habet surrepti thesauri. Hinc ambo diversi abeuntes, ea in medium afferunt, quae audientium hilaritatem praesertim excutiant. Qua quidem in re notanda est praesertim poetae virtus, qui episodium Phaedrae deamatae et parturientis tam artificiose fabulae adtexuit, ut ad praecipuum comodiae argumentum rectius explicandum, hoc est ad avari anxietatem magis magisque depluendam amice coniuret.

Eiulans conqueritur. Alla voce plorans conqueritur. Verbum *eiulare* profectum dicitur ab interfectione *hei*, quae dolorem significat. Hinc fit, ut nonnulli scriptum vellent cum aspiratione.

Oppido. Multum, omnino. Vetustior vox, poetae comicis familiaris. Sunt qui putent, hoc adverbium mansisse ex sermone inter se colloquentium quantum quisque frugem faceret. Quumque vellent multitudinem significare, aiebant: *quantum vel oppido satis esset. Nos: tanto che basterebbe per una città.* Hinc *oppido* coeptum est usurpari pro eo quod est *multum*. Verum huiusce rei fides penes auctores sit. Equidem Varroni (De ling. lat. iv. 32.) et Liudemano assentior, testantibus, *oppidum* significare *firmum*, unde *oppido* pro eo quod est *firmiter, valide*. Haec autem firmitatis notionem ad quamlibet rem magnam et gravem posse referri, satis abunde ostendunt adverbium *valde* et *fortiter*.

An adeam. An cum illo colloquar.

EUCLIO.

Quis homo hic loquitur?

LYCONIDES.

Ego sum miser.

EUCLIO.

Imo ego sum et misere perditus, 5

Quoi mala tanta moestitudoque obtigit.

LYCONIDES.

Animo bono es.

EUCLIO.

Quo, obsecro, pacto esse possum?

LYCONIDES.

Quia istuc facinus, quod tuom

Sollicitat animum, id ego feci et fateor.

EUCLIO.

Quid ego ex te audio?

LYCONIDES.

Pol id, quod verum est.

EUCLIO.

Quid ego de ted, adulescens, merui mali,

Quamobrem ita faceres, meque meosque perditum ires liberos? 10

LYCONIDES.

Deus impulsor mihi fuit; is me ad illam inlexit.

EUCLIO.

Quomodo?

LYCONIDES.

Fateor, me peccavisse, et me culpam conmeritum scio;

Imo ego sum et misere perditus. Hinc incipit ἀμυψία, qua Euclio moestitiam suam repetit a surrepto thesauro; Lyconides vero a suo flagitio.

Quia istuc facinus, etc. Crescit gradatim ambiguum, quo fit ut spectatores intenti et solliciti expectent, quo res tandem evadat.

Perditum ires liberos. Hoc nomine liberi utuntur Latini vel quum de uno tantum filio aut filia sermo sit. Praeterea liberorum appellatione continentur etiam nepotes et pronepotes.

Deus impulsor. Intellige Cupidinem, a quo impulsus fuit ad puellae amorem, vel etiam Bacchum; nam vinolentus erat.

Culpam conmeritum. - *Commerco* et *commereor* fere in malam partem

Id adeo te oratum advenio, ut animo aequo ignoscas mihi.

EUCLIO.

Cur id ausus facere, ut id, quod tuum non esset, tangeres?

LYCONIDES.

Quid vis fieri? Factum est illud: fieri infectum non potest. 15
Deos voluisse credo: nam ni vellent, non fieret, scio.

EUCLIO.

At ego deos credo voluisse, ut apud me te in nervo enicem!

LYCONIDES.

Ne istuc dixis!

EUCLIO.

Quid tibi ergo meam me invito tactio est?

LYCONIDES.

Quia vini vitioque amoris feci.

EUCLIO.

Homo audacissime,

Cum istacin' te oratione huc ad me adire ausum, inpudens? 20

Nam si istuc ius est, ut tu istuc excusare possies,

Luce claro deripiamus aurum matronis palam;

accipiuntur a Latinis pro eo quod est *admitto*, *committo*. Ovid. *Fast.* l. 363: Quid bos, quid placidae *commeruistis* oves?

Animo aequo. Benigno, benevolo.

Tangeres. En ambiguum ingeniose positum a poeta. Namque *tango* et *furari* interdum significat et rem habere cum muliere. Horat. *Sat.* l. 2. 54: *Matronam nullam ego tango*.

Deos voluisse credo. Frivola sese purgantis verba, qui culpam suam in deos confert. Quod tamen in hoc loco salse ponitur a poeta. Pertinet enim ad caveae risum.

In nervo te enicem. Nervus saepe ponitur pro vinculis et compedibus, quibus improbi servi, vel ohaerati, vel fures apud Romanos constringebantur.

Dixis. Syncl. Dixeres.

Meam tactio est. Ambiguum positum in pronomine *meam* et in voce *tactio*. Haec enim Euclio ad ollam refert; Lyconides vero ad puellam.

Vini vitioque amoris feci. Euclio haec audiens, existimat, Lyconidem sulam surripuisse, ut ei suppeteret pecunia, quam in ganeis et scortis absumeret.

Istacin'? Istane?

Luce claro. Lux, quam diem significat, a veteribus interdum usurpatur in masculino genere.

Post id, si prehensi simus, excusemus: ebrios
 Nos fecisse amoris causa. Nimis vile est vinum atque amor,
 Si ebrio atque amanti inpune facere, quod lubeat, licet.

LYCONIDES.

Quin tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam.

EUCLIO.

Non mi homines placent, qui, quando male fecerunt, purgant.
 Tu illam scibas non tuam esse: non attactum oportuit.

LYCONIDES.

Ergo quia sum tangere ausus, haud causificor, quin eam
 Ego habeam potissimum.

EUCLIO.

Tun' habeas me invito meam? 30

LYCONIDES.

Haud te invito postulo; sed meam esse oportere arbitror.
 Quin meam invenies, inquam, illanc esse oportere, Euclio.

EUCLIO.

Iam quidem hercle te ad praetorem rapiam, et tibi scribam dicam,

Si prehensi simus. - *Prehendere et deprehendere* pertinent proprio ad fures, qui in ipso actu opprimuntur, ut neque fugore, neque inficiari possint. Nos: *se saremo colti in sul fatto*.

Nimis vile. Vile est quod parvo pretio emitur, vel quod est contomendum.

Haud causificor. Causas in medium non affero, no ipsam habeam. Non recusor quin eam habeam. Itali: *non adduco pretesti per non tennermela come mia*.

Tun' habeas etc.? Pro futuro: habebis. Nos eleganter utimur infinito: *Tu averia mai mio grado?*

Meam esse oportere arbitror. Romanis legibus cautum erat, ut qui civem romanam vitiasset, eam indotatam duceret, nisi vellet capitis accusari.

Invenies. Intelliges. Quum videlicet cognoveris, illam iam ex me pèperisse.

Te ad praetorem rapiam. Minus proprio utitur hac dictione Plautus. Et fortasse non sino causa; ut perturbatum videlicet Euclionis animum significet. *Alio minus proprie:* namque ex legibus xi Tabularum licebat ducere ad praetorem, non rapere. Tunc solum homini licebat rapere, et invitum ducere aliquem ad praetorem, quum illo iam antestatus esset; hoc est testibus iam usus fuisset, qui eius vocationem in ius possent apud praetorem confirmare.

Scribam dicam. Iudicialis locutio, graeco fonte profecta. *Γράψαν δίκην*,

Nisi refers!

LYCONIDES.

Quid tibi ego referam?

EUCLIO.

Quod subripuisti meum.

LYCONIDES.

Subripui ego tuom? Unde? aut quid id est?

EUCLIO.

Ita te amabit Iupiter, 35

Ut tu nescis!

LYCONIDES.

Nisi quidem tu mihi, quid quaeras, dixeris.

EUCLIO.

Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confessus mihi
Te abstulisse.

LYCONIDES.

Neque edepol ego dixi, neque feci.

EUCLIO.

Negas?

LYCONIDES.

Pernego immo: nam neque ego aurum, neque isthaec aula quae
siet,

Scio, nec novi.

EUCLIO.

Illam, ex Silvani luco, quam abstuleras, cedo! 40

I, refer! dimidiam tecum potius partem dividam.

scribere dicam idem valet atque actionem intentare. Nos: *ti muoverò una lite.*

Quod subripuisti meum. Haec tandem verba finem faciunt τοῖς ἀπειθολοῖς, qua hactenus poeta est usus, ut spectatores laetificaret.

Ita te amabit Iupiter! Vox imprecantis.

Pernego. Particula *per* vim auget; quasi dixisset: prorsus nego.

Dimidiam partem dividam. Te ne darò la metà. Differunt istine inter se voces *dimidiatus* et *dimidius*. Nimirum *dimidiatus* dicitur de re aliqua in duas partes divisa, uti: *pirum dimidiatum, una pera divisa in due parti.* *Dimidius* vero de parte altera rei ipsius, bifariam divisae. Ita: *pirum dimidium, la metà di una pera.* Paucis, *dimidiatus*, idem

Tametsi fur mihi es, molestus non ero furi. I, refer!

LYCONIDES.

Sanus tu non es, qui furem me voces: ego te, Euclio,
Alia de re rescivisse censui, quae ad me attinet,
Magna, quam ego tecum otiose, si otium est, cupio loqui.

45

EUCLIO.

Dic bona fide: tu id aurum non subripuisti?

LYCONIDES.

Bona.

EUCLIO.

Nec scis quis id abstulerit?

LYCONIDES.

Istuc quoque bona.

EUCLIO.

Atque si scies,

Quis id abstulerit, mi indicassis?

LYCONIDES.

Faciam.

EUCLIO.

Neque partem tibi

Ab eo, quiqui est, indipisces, neque furem excipies?

ferme valet ac *divisus*, et utramque rei partem significat; *dimidius* unam tantum partem. Praeterea optimi quique scriptores vocem *dimidius* fere coniungunt cum voce *pars*, ita ut elegantius scribatur *dimidia pars libri*, quam *dimidius liber*.

Alia de re rescivisse etc. Ad verbum *rescisco* quod attinet, omnino audiendus A. Gellius, Noct. Attic. II. 19. Alit enim: verbum *rescire* vim habet propriam quandam, non ex communi significatione ceterorum verborum, quibus eadem particula *re* imponitur; neque ut *rescribere*, *relegere*, *restituere* dicimus, itidem *rescire*. Nimirum *rescire* non significat aliquid rursus scire, sed is dicitur proprie *rescire*, qui factum aliquid occultius, vel inopinatum insperatumque cognoscit. Hinc proprie Plantus: *te rescivisse alia de re*, hoc est te cognovisse Phaedrae filiae flagitium, quod occultum erat.

Dic bona fide. Sincere.

Istuc quoque bona. Subaud. istuc quoque dico bona fide.

Indipisces. Assequeris, capies. Alii legunt: *inde petes*.

Neque furem excipies? - *Excipere* hic idem valet ac *recipere*, *celare*. Itali: *né nasconderai il ladro?*

LYCONIDES.

Ita.

EUCLIO.

Quid si fallis?

LYCONIDES.

Tum me faciat, quod volt, magnus Iupiter.

50

EUCLIO.

Sat habeo. Age nunc, loquere quod vis.

LYCONIDES.

Si me novisti minus,

Genere qui sim gnatus: hic mihi est Megadorus avunculos;

Meus fuit pater Antimachus; ego vocor Lyconides;

Mater est Eunomia.

EUCLIO.

Novi genus: nunc, quid vis, id volo

Noscere.

LYCONIDES.

Ex te filiam tu habes.

EUCLIO.

Imo eccillam domi.

55

Tum me faciat, etc. Pro vulgari: Tum me Iupiter omnipotens puniat.

Si me novisti minus. Adverbium comparativum *minus* ponitur saepe pro particula negativa *non*, maxime in formula conditionali *si minus*. Notandum tamen, hoc adverbio quidpiam minus significari quam negatione *non*. Siquidem coercetur negatio comparatione, quae subanditur: ex. gr. *minus quam decet*. Quare *si me novisti minus*, idem est ac *si me non satis novisti*. Nos: *Se non mi conosci abbastanza*. Ceterum Lyconides, lenita aliquantulum Euclionis perturbatione, Phaedram sibi sponsam tandem petit ab Euclione.

Gnatus. Perfamilialis est Plauto haec vox, quae perraro occurrit apud Horatium, nunquam ferme apud reliquos optimae notae scriptores. Quapropter haud absurde hunc dixeris idiotismum popularem.

Hic mihi etc. Quispiam fortasse quaerat, cur Lyconides utatur pronomine demonstrativo *hic*, quam Megadorus illic non adesset. Respondum in promptu est. Nempe haec verba profert Lyconides digitum intendendo in proximas Megadori aedes; quasi diceret: mihi est avunculus Megadorus, qui hic commoratur.

Ex te filiam. Supp. natam.

LYCONIDES.

Eam tu despondisti, opinor, avonculo meo.

EUCLIO.

Omnem rem tenes.

LYCONIDES.

Is me nunc renuntiare repudium iussit tibi.

EUCLIO.

Repudium rebus paratis, exornatis nuptiis?

Ut illunc di immortales omnes deaeque, quantum est, perduint,

Quem propter hodie auri tantum perdidisti, infelix, miser!

60

LYCONIDES.

Bono animo es! benedice! Nunc, quae res tibi et gnatae tuae

Bene feliciterque vortat. . . . Ita di faxint, inquit.

EUCLIO.

Ita di faciant!

LYCONIDES.

Et mihi ita di faciant! Audi nunc iam.

Qui homo culpam admisit in se, nullus tam parvi preti,

Quom pudet, quom purgat sese: nunc te obtestor, Euclio,

65

Renuntiare repudium. Repudium renuntiare vel remittere est cum desponsa futurum matrimonium dirimere: *rompere i patti stretti colla fidanzata*. Quare differt *repudium* a *divortio*. Illud renuntiatnr sponsae; hoc fit cum uxore. Ad uxorem vero quod attinet, non dicimus *remittere repudium*, sed *nuntium remittere*, vel etiam absolute *repudiare*. Hinc translate *nuntium remittere* usurpatur de quacumque re quam deserimus; uti nuntium remittere studiis, virtuti, amori, etc. Praeterea alia fuit apud Romanos *repudii* formula, alia *divortii*. Quum enim repudium sponsae renuntiarent, aiebant: *conditione tua non utor*. Ital.: *non accetto più il tuo partito*. Ubi vero nuntium uxori remitterent: *res tuas tibi habeto*, vel *res tuas tibi agito*.

Deaeque, quantum est. Pro vulgari: deae quotquot sunt. Sic Catullus, Carm. III. 2: *Quantum est hominum venustiorum*.

Infelix, miser! Huiusmodi synonyma saepe usurpat Plautus, ut perturbatum avari animum depingat.

Benedice! *Aggratus* pro benedic. Hic vero *benedicere* est bona verba dicere, id est boni ominis; quod Graecis est *εὐραχαι*.

Quae res tibi etc. Solemnis formula, qua utebantur Romani quotiescumque aliquid gravius esset faciendum vel publice, vel privatim.

Culpam admisit in se. Eleganter, pro eo quod est peccavit.

Nunc te obtestor. In narrationibus commode per particulam *nunc* fit transitus ad aliam rem.

Si quid ego erga te imprudens peccavi aut gnalam tuam,
 Ut mi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges iubent.
 Ego me iniuriam fecisse filiae fateor tuae,
 Cereris vigiliis, per vinum atque impulsu adolescentiae.

EUCLIO.

Hei mihi, quod facinus ex te audio?

LYCONIDES.

Cur eiulas,

70

Quem ego avom feci iam ut esses filia in nuptiis?
 Nam tua gnata peperit decumo mense post (numerum cape):
 Ea re repudium remisit avonculus causa mea.
 I intro: exquire, sitne ita, ut ego praedico.

EUCLIO.

Perii oppido!

Ita mihi ad malum malae res plurimae se adglutinant.
 Ibo intro, ut, quid huius rei sit, sciam.

75

LYCONIDES.

Iam te sequar.

Haec propemodum iam esse in vadum salutis res videtur.
 Nunc servom esse ubi dicam meum Strobilum, non reperio;
 Nisi etiam hic opperiar tamen paulisper; postea intro

Ut leges iubent. Hoc pertinet ad ea, quae supra iam memoravi; legibus nempe sanctum fuisse, ut si quis civem romanam vitiasset, teneretur eam indotatam ducere.

Iniuriam fecisse filiae. Stuprum filiae iutulisse.

Per vinum. Dum ebrius essem.

Quem ego avom feci. Supervacaneum puto iocum notare, qui hoc Lyconidis responsum commendat, quique risul comico iuservit; aliud enim dicitur atque illud quod audientes oxspectabant.

Numerum cape. Numera monses, qui effluerunt a Cereris vigiliis, seu a Thesmophoriis.

Se adglutinant. Accedunt.

In vadum salutis res etc. Vadum locus est in mari aut flumine, ubi aqua brevis sit, et pedibus transiri possit. Quare translate *res est in vado* idem valet ac *sum in tuto. Sono in salvo.* Hisce aliisque id genus translationibus prae reliquis scriptoribus saepe utantur comici poetae, quo propius ad familiarem dicendi rationem accedant. Illud enim est verissime dictum, plures tropos prouuntiari a muliercula in foro, quam ab oratore in rostris.

Hunc subsequar: nunc interim spacium ei dabo exquaerendi 80
 Meum factum ex gnatae pedisequa nutrice anu: ea rem novit.

ACTUS IV. – SCENA VII.

STROBILUS, LYCONIDES.

STROBILUS.

Dii immortales, quibus et quantis me donatis gaudiis!
 Quadrilibrem aulam auro onustam habeo: quis me est ditior?
 Quis me Athenis nunc mage quisquam est homo, quoi di sint
 propitii?

LYCONIDES.

Certo enim ego vocem hic loquentis modo me audire visus sum.

STROBILUS.

Hem,

Herum ego adspicio meum?

LYCONIDES.

Strobilum video ego hunc, servom meum? 5

STROBILUS.

Ipsus est!

LYCONIDES.

Haud alius est!

STROBILUS.

Congrediar.

Pedisequa. Serva quae dominam extra aedes comitatur.

Dii immortales, etc. In hac scena Strobilus servus spectatur domo adveniens, ubi aulam absconderat, et secum ipse loquens.

Athenis. Ubi fingit poeta fabulam doceri.

Certo enim. Idem significat quod *enimvero*, et graviolem habet affirmandi vim, quam simplex particula *certo*. Cf. Amph. I. 1. 75; Asin. III. 3. 24.

Vocem me audire visus sum. Animadvertite, lector, casum quartum me a communi latinae syntaxis regula abhorrentem.

Ipsus est! Nos: *è desso*.

Congrediar. Colloquar.

LYCONIDES.

Contollam gradum.

Credo ego illum, ut iussi, campse anum adiisse, huius nutricem
virginis.

STROBILUS.

Quin ego illi me invenisse dico hanc praedam atque eloquor?
Igitur orabo, ut manu me mittat. Ibo atque eloquar.
Reperi

LYCONIDES.

Quid reperisti?

STROBILUS.

Non, quod pueri clamitant

10

In faba se reperisse.

Contollam gradum. Ad eum appropinquabo.

Quin dico atque eloquor? Perekè non gli scopro e gli racconto?
Igitur orabo. Ponimus igitur, quom ex robus ante dictis aut cogitatis
quidpiam colligimus. At saepe in colloquiis, brevitatis causa, pars prior
argumentationis omittitur. Quo facto, igitur inservit affirmationi, atque
idem ferre sonat ac *perfecto, sane. - Igitur orabo, ut manu me mittat.*
Nos: *Si, lo pregherò a darmi la libertà.* Itaud aliter apud Tul-
lium (*De rep.* l. 39.), quum Scipio dixisset: *Quin tu igitur concedis idem*
in republica, singulorum dominatus, si modo iusti sint, esse optimos?
Laelius respondet: *Adducor igitur ut propemodum assentiar.* Ital.: *Si,*
quasi m'induco ad acconsentire.

Ut manu me mittat. Apud Romanos olim moribus fuit receptum, ut
servus interdum cum domino quasi pacisceretur in certum pretium, quod
si exsolvisset, liber esset. Id autem pretium erat vel ex peculio servi, vel
ex lucro adventitio. Qua de re legimus apud Tullium (*Philipp.* viii. 11.),
raro apud Romanos evenisse, ut captivi, si frugi et diligentes essent, ultra
quinquennium servitatem paterentur. *Manu autem mitti* servus dicebatur,
quum dominus aut caput eius servi aut manum tenens, coram praetoro
dicebat: *Hunc hominem liberum esse volo, eumque manu emittebat.*

Non quod pueri clamitant etc. Dictio est proverbialis, qua utebantur
Romani in illos, qui res nullius momenti a se inventas, tamquam raras
ostentabant. Quare quum Strobilus velit significare, se neque parvam rem,
neque levem reperisse, ait, se invenisse aliquid maius, quam quod pueri
clamitant se reperisse in faba. Proverbialem hanc locutionem dicunt
eo esse profectam, quod pueri romani solerent in fabis vermiculum quae-
rere, quem Midam appellabant; quo invento, ut puerorum est, exulta-
bant, et veluti triumphum agebant, perinde ac si rem aliquam pretiosam
reperissent.

LYCONIDES.

Iamne item, ut soles, deludis?

STROBILUS.

Here, mane: eloquar iam: ausculta.

LYCONIDES.

Age ergo, loquere.

STROBILUS.

Reperi hodie,

Here, divitias nimias

LYCONIDES.

Ubinam?

STROBILUS.

Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam!

LYCONIDES.

Quod ego facinus audio ex ted?

STROBILUS.

Eucioni huic seni subripui.

LYCONIDES.

Ubi id est aurum?

STROBILUS.

In arca apud me: nunc volo me emitti manu. 15

LYCONIDES.

Egone te manu emittam, scelerum cumulatissime?

STROBILUS.

Abi, here! scio, quam rem geras! lepide hercle animum tuom
tentavi!

Eloquar iam. Saepe iam usurpatur de re proxime futura, et de tempore instante, pro eo quod est mox; *statim, tandem.* Sic Horat. Od. I. 4. 16: *Iam te premet nox*; Tibull. l. t. 70: *Iam veniet tenebris mors ad-operta caput*; Virg. Aen. iv. 566: *Iam maro turbari trabibus . . . videbis.*

Arca. Saepe ponitur pro receptaculo nummorum. *Cassa, scrigno.*

Abi. Vox indignantis.

Scio, quam rem geras? Scio quidnam propositi habeas! Itali: *Conosco la tua intenzione!*

Animum tuom tentavi. Animi tui periculum feci. Nos: *ho fatto pruova dell'animo tuo.* Festive omnino in hac scena Strobilum inducit poeta primo fatentem factum, postea vero negantem; unde sabum diverbium

Iam, ut eriperes, adparabas: quid faceres, si reperissem?

LYCONIDES.

Non potes probasse nugas. I, redde aurum.

STROBILUS.

Reddam ego aurum?

LYCONIDES.

Redde, inquam: huic ut reddatur.

STROBILUS.

At unde?

LYCONIDES.

Quod modo fassus es 30

Esse in arca.

STROBILUS:

Soleo hercle ego garrere nugas: ita loquor.

LYCONIDES.

At scin', quomodo?

STROBILUS.

Vel enica hercle! hinc nunquam a me feres!

existit inter herum et servum. Ex hoc autem diverbio improbum servorum ingenium apparet.

Non potes probasse nugas. Ital.: *Non puoi darmene ad intendere.*

Quod modo fassus es. Particula *modo* indicat tempus tam proximum, ut ferme pro praesenti haberi possit. Nos: *pur dianzi.*

Nunquam a me feres! Hic finis est Plautinorum verborum. Namque temporis iniuria, extrema pars intercidit huius fabulae, in qua complurimum personarum mores graphice expressit poeta. In his recensendi praesertim mores hominis avari, qui perpetuis anxietatibus et curis torquetur; mores servorum improborum, rapacium, mendacium; mores caelibus, qui nullus est in enumerandis malis, quibus viri ob uxores allicitari consueverunt. Hinc autem satis perspicuum arbitror, quatenam sit Plautinae comoediae indoles, quatenam Sarsinatis scribendi ratio, ubi natus ille candor praesertim elucet, quo noster ceteros scriptores romanos longe videtur superasse.

Quae desiderantur ex hac comoedia supplevit ANTONIUS CODRUS URCEUS, Bononiensis olim professor, et aequalis imp. Sigismundi et Friderici III Aug., qui versibus centum duobus et viginti docet quemadmodum Lyconides, promissa libertate, aurum a Strobilo servo extorsit; quod aurum una cum Phaedra filia avarus Euclio tandem cedit Lyconidi. Quamquam vero Codrus Urceus Plautinum colorem sollerter est imitatus; attamen ab eius supplemento illustrando mihi plane abstinendum putavi.

— — — — quod non habeo.

LYCONIDES.

Feram

*Vetis, notis! quin te quadrupedem strinzero,
Et herniosos testes ad trabem tibi
Divellam appenso! Sed cur in fauces moror
Huius scelesti ruere? et animam protinus
Cur non compello facere iter praeposterum?
Das, an non?*

STROBILUS.

Dabo.

LYCONIDES.

Des ut nunc, non olim, volo.

STROBILUS.

*Do iam: sed me animam recipere sinas, te rogo.
Ah, ah! quid, ut dem, poseis, here?*

LYCONIDES.

Nescis scelus?

*Et auri plenam quadrilibrem anlam mihi
Audes negare, quam te dixisti modo
Abripuisse? heia, iam ubi nunc lorarii?*

STROBILUS.

Here, audi pauca.

LYCONIDES.

Non audio. Lorarii;

Heus, heus!

LORARIUS.

Quid est?

LYCONIDES.

Parari ego catenas volo.

STROBILUS.

*Audi, quaeso! post me ligari iusseris
Quantum libet.*

LYCONIDES.

Audio: sed rem expeditas ocius.

STROBILUS.

*Si me torqueri iusseris ad necem, vide,
 Quid consequare: primum servi exitium habes;
 Deum, quod concupisces, ferre non potes.
 At si me dulcis libertatis praemio
 Dudum captasses, iamdudum volis fores
 Politus. Omnes Natura parit liberos;
 Et omnes libertati natura student.
 Omni malo, omni exitio, peior servitus:
 Et quem odit Iupiter, servom hunc primum facit.*

30

LYCONIDES.

Non stulte loqueris.

STROBILUS.

Audi reliqua nunc iam:

35

*Tenaces nimium dominos nostra aetas tulit,
 Quos Harpagones, Harpyias et Tantalos
 Vocare soleo, in opibus magnis pauperes,
 Et sitibundos in medio Oceani gurgite.*

*Nullae illis sunt satis divitiae, non Midae,
 Non Croesi; non omnis Persarum copia
 Explere illorum tartaream ingluviem potest.*

30

*Inique domini servis utuntur suis,
 Et servi inique dominis nunc parent suis:
 Sic neutrubi fit, fieri quod iustum foret.*

35

*Penum, popinas, cellas promptuarias
 Occludunt mille clavibus parci senes,
 Quae vix legitimis natis concedi volunt.*

*Servi furaces, versipelles, callidi,
 Oclusa mille clavibus sibi reserant,*

40

*Furtimque raptant, consumunt, ligurriunt,
 Centena nunquam furta dicturi cruce.*

*Sic servitutem servi ulciscuntur mali.
 Risu iocisque. Sic ergo concludo, quod
 Servos fideles liberalitas facit.*

45

LYCONIDES.

*Recte quidem tu; sed non paucis, ut mihi
Pollicitus. Verum si te facio liberum,
Reddes quod cupio?*

STROBILUS.

*Reddam, sed testes volo
Adsint. Ignosces, here, parum credo tibi.*

LYCONIDES.

Ut lubet; adsint vel centum; iam nihil moror.

50

STROBILUS.

*Megadore, et tu, Eunomia, adeste, precor, si libet!
Exite! perfecta re mox redibitis.*

MEGADORUS.

Qui nos vocat? hem, Lyconide.

EUNOMIA.

Hem, Strobile, quid est?

Loquimini.

LYCONIDES.

Est breve quid.

MEGADORUS.

Quid id est?

STROBILUS.

Vos testes voco.

*Si quadrilibrem aulam auri plenam huc adfero
Et trado Lyconidae, Lyconides manu
Mittit, iubetque iuris esse me mei.
Itan' spondes?*

55

LYCONIDES.

Spondeo.

STROBILUS.

Iamne audivistis hoc,

Quod dixit?

MEGADORUS.

Audivimus.

STROBILUS.

Enim iura per Iovem.

LYCONIDES.

Hem, quo redactus alieno ego iam sum malo! 60
Nimis procax es. Quod iubet faciam tamen.

STROBILUS.

Heus tu, nostra aetas non multum fidei gerit:
Tabulae notantur; adsunt testes duodecim;
Tempus locumque scribit actuarius:
Tamen invenitur rhetor, qui factum neget. 65

LYCONIDES.

Sed me cito expedi, sis.

STROBILUS.

Hem silicem tibi.

LYCONIDES.

Si ego te sciens fallam, ita me eiiciat Diespiter
Bonis, salva urbe et arce, ut ego hunc lapidem. Satis
Iam feci tibi?

STROBILUS.

Satis. Ut ego aurum apportem, eo.

LYCONIDES.

I Pegaseo gradu, et vorans viam redi. 70

LYCONIDES, STROBILUS, MEGADORUS, EUNOMIA, EUCLIO.

LYCONIDES.

Grave est homini prudenti morologus nimis
Servus, qui sapore se plus volt hero suo.
Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,
Modo mihi apportet aulam auro puro gravem,
Ut Euctionem socerum ex luctu retraham 5
Ad hilaritatem, et mihi conciliem filiam,
Ex compressu meo novam puerperam.

*Sed ecce redit onustus Strobilus. Ut reor,
Apportat aulam. Et certe est aula, quam gerit.*

STROBILUS.

*Lyconide, porto inventum promissum tibi,
Aulam auri quadrilibrem. Num serus fui?*

10

LYCONIDES.

*Nempe. O di immortales, quid video, aut quid habeo?
Plus sexcentos Philippeos ter et quater.
Sed evocemus Euclionem profinus.*

O Euclio, Euclio!

MEGADORUS.

Euclio, Euclio!

EUCLIO.

Quid est?

15

LYCONIDES.

*Descende ad nos: nam di te servatum volunt!
Habemus aulam.*

EUCLIO.

Habetisne, an deluditis?

LYCONIDES.

Habemus, inquam. Modo, si potis, huc advola!

EUCLIO.

*O magne Iupiter! o lar familiaris, et
Regina Iuno et noster thesaurarie
Alcide, tandem miserum miserati senem?
Oh, oh, quam laetis, aula, tibi amicus senex
Complexor ulnis, dulci et te capio osculo!
Expleri nequeo mille vel complexibus.
O spes, o cor, luctum depulverans meum!*

20

25

LYCONIDES.

*Auro carere semper duzi pessimum
Et pueris et viris et senibus omnibus.
Pueros prostare cogit indigentia,
Viros furari, mendicari ipsos senes.
At multo peius est, ut video nunc, supra*

30

*Quam quod necesse est nobis, auro opulescere.
Heu, quantas passus est aerumnas Euclio
Ob aulam paulo ante a se deperditam!*

EUCLIO.

*Quoi meritas referam grates? an diis, qui bonos
Respectant homines? an amicis, rectis viris?
An utrisque? Utrisque potius et primum tibi,
Lyconide, principium et auctor tanti boni.
Hac ego te aula auri condono. Accipias libens:
Tuam hanc esse volo et filiam meam simul,
Praesente Megadoro et sorore eius, proba
Eunomia.*

35

40

LYCONIDES.

*Et habetur et refertur gratia,
Ut meritus es, socer exoptatus mi, Euclio.*

EUCLIO.

*Relatam mihi satis putabo gratiam,
Si donum nostrum et me ipsum accipias nunc libens.*

LYCONIDES.

Accipio, et Euctionis volo mea sit domus.

45

STROBILUS.

Quod restat, here, memento, ut liber nunc siem.

LYCONIDES.

*Recte monuisti: esto merito liber tuo,
O Strobile; et turbatam iam intus coenam para.*

STROBILUS.

*Spectatores, naturam avarus Euclio
Mutavit: liberalis subito factus est.
Sic liberalitate utimini vos quoque,
Et, si perplacuit fabula, clare plaudite.*

50

Aliud supplementum hic habes, candide lector, quod complures editores iam inde a saeculo XVI nullae huic comoediae adtexendum esse existimarunt, quodque MEUNSIUS, vir et. ex codice quodam manu exarato descriptum censuit a Plautino ingenio fuisse profectum.

LYCONIDES.

Quid istic? quoniam pervicus abdis —! Non feram unquam?

STROBILUS.

Quod non habeo?

LYCONIDES.

Efferaris cave, ni actutum id auri est redditio seni!

STROBILUS.

Seu propensus libitinarius, sive pollinctorius

Efferar, nunquam dabo, ni noviter fodiam arrugiam.

LYCONIDES.

Vae capiti tuo!

STROBILUS.

Imo senecis et capitulo et pectori,

Qui auri tantum perdidit!

5

LYCONIDES.

Quis reperit?

STROBILUS.

Quem reperisse vis.

LYCONIDES.

Qui id in arca habere subreptum autumavit.

STROBILUS.

Quam tibi

Pulcre conniveant, here, oculi, si id fatear factum vidi!

Tecum quod lusi, non par est serio praevortier.

LYCONIDES.

At nunc iam ne me inritassis! redde! subque deque haud agites!

10

STROBILUS.

Here, si id reperietur, certum est, gemina lancea contentem

Te icere?

LYCONIDES.

Redde!

STROBILUS.

Attat, vis cassum!

LYCONIDES.

Redde!

STROBILUS.

Attat, incassum quaeris!

LYCONIDES.

*Redde! Ego propero, ut, comitiis quid proxumis, videam. Senex
aulam*

Auri perdidit: Megadorus repudium renuntiavit, .

Filiam peperisse vitio rescuit. —

STROBILUS.

Hero, quantum ego video, 15

Nemo benignior. Alii namque, quae inventa, occulunt vaniloqui,

Domi negant, et aliud post aliud, si qua opportunitas,

Harpagatum est sibi. Eleusina si siet, facilem deam

Credunt; si Cotytto, non videre, quom batuat, volunt;

Ita neque amicis neque cognatis neque dīs parcunt, dum sibi. 20

Iste quidem, ne miserum faciat senem aut opulentam eius familiam,

Auri plenam, onustam, grandem, aulam iubet referrier,

Ut se faciat olim miserum ac familiam. Ast partem mi ego

Inpartirier malim, unde redimar. Quod vortat bene,

Picus sinistra cantitavit, qui auri custos traditur: 25

Ibo et aulam referam: quod mihi bene avis illaec occinat.





XIII E 12

MILES GLORIOSUS

Obscuritates non assignemus culpae scribentium, sed inselliae non assequentium.
Quamquam il quoque ipsi, qui quae scripta sunt minus percipiunt, culpa vacant. Nam longa aetas verba atque mores veteres obliteravit, quibus verbis moribusque sententia comprehensa est.

CARCEL, ap. GELL. N. A. XX. 4.



M. AETHI PLAUTI

MILES GLORIOSUS

ad recentiores editiones exegit
animadversionibus auxit
et scholasticis praelectionibus accommodavit

THOMAS VALLAURIUS

DOCTOR DECURIALIS LATINAE ELOQUENTIAE TRADENDAE

IN REGIO TAURINENSI ATHENAEO

CURATOR STUDIIS HISTORIAE PATRIAE

PROVINCENDIS



AUGUSTAE TAURINORUM

EX OFFICINA REGIA

AN. M. DCCC. LIII.

E. PROBANTINI

REPRODUCED

THOMAS VALLAURIUS

I. FRANCISCO MURATORIO SUO

SALUTEM.

Quum ante hos paucos menses Plautinas fabulas enucleare sum aggressus, tu, pro tua humanitate, Aululariam probasti, quam placitae commentationis veluti specimen quoddam evulgavi, meque vehementer es cohortatus, ut susceptum opus urgerem, maximo usui studiosis futurum, qui ad Sarsinatis festivitatem animum contulissent. Qua quidem in re, etsi vereor, ne forte iudicio amor in me tuus offerret, morem tibi gerere constitui, cuius doctrinae plurimum tribuo; simul ut nebulonum turbae pro virili parte obvius eam, qui latinos scriptores avergantur, et foedissima barbarie, interea dum commodis suis luculenter prospiciunt, universam rem litterariam infuscare non dubitant. Itaque mitto ad te Militem Gloriosum, in quo enarrando eandem, quam in Aulularia rationem institi; alia propediem daturus, si modo per tempus et vires mihi licebit. Vale.

Dabam Augustae Taurinorum a. d. vi cal. februarias,
an. M. DCCC. LIII.



DRAMATIS PERSONAE

— — — — —

PYRGOPOLINICES, miles
ARTOTROGUS, parasitus
PALAESTRIO, servus
PERIPLECTOMENES, senex
SCELEDRUS, servus
PHILOCOMASIVM, meretrix
PLEUSIDES, adolescens
LUCRIO, puer
ACROTELEVTIVM, meretrix
MILPHIDIPPA, ancilla
Puer
CARIO, cocus

ARGUMENTUM.

Meretricem ingenuam deperibat mutuo
 Atheniensis iuvenis. Naupactum is domo
 Legatus abiit; miles in eandem incidit;
 Deportat Ephesum invitam. Servus Attici,
 Ut nuntiaret domino factum, navigat;
 Capitur, donatur illi captus militi;
 Ad herum, uti veniat Ephesum, scribit. Advolat
 Adolescens, atque in proximo divortitur
 Apud hospitem paternum. Medium parietem
 Perfodit servus, commeatus clanculum
 Qua foret amantum; geminam fingit mulieris
 Sororem adesse. Mox ei dominus aedium
 Suam clientam sollicitandum ad militem
 Subornat. Capitur ille: sperat nuptias,
 Dimittit concubinam, et moechus vapulat.

ALIUD ARGUMENTUM.

Meretricem Athenis Ephesum miles avehit.
 Id hero dum amanti servus nuntiare vult,
 Legato peregre, captus ipsus in mari,
 Et illi eidem militi dono datust.
 Servus suum accessit herum Athenis, et forat
 Geminis communem clam parietem aedibus,
 Licere ut quiret convenire amantibus.
 Obhaerens custos hos videt de tegulis;
 Ridiculus autem, quasi sit alia, luditur.
 Itemque impellit militem Palaestrio,
 Omissam faciat concubinam, quando ei
 Senis vicini cupiat uxor nubere.
 Ultro abeat, orat; donat multa; ipse in domo
 Senis prehensus, poenas pro moechno luit.

Haec fabula, quae optimis Plautinis est adnumeranda, uti pleraeque veterum comoediae, tota in amoribus versatur. Nimirum miles quidam arrogans, stolidus et iactantiae plenus, nomine *Pyrgopolinices*, quum esset Athenis, formosam puellam conspicatus, invitam secum abducit in urbem Ephesum. Hanc puellam impense amabat *Pleusides* quidam adolescens atbeniensis, qui tum forte a patria aberat. Quare ubi primum hic adolescens a servo per litteras certior factus fuit de raptu amicae, Ephesum advolat, ibique iactabundum militem fallendo, deamatam sibi puellam, post varios tandem casus, Athenas revehit; miles autem meritas stultitiae et iactantiae suae poenas pendit. Haec breviter de totius fabulae argumento, quod fusiis narrabitur in scena prima actus secundi, quae prologi locum obtinet. Caeterum praecipua buius comoediae vis in fallaciis sita est, quae militi struuntur, quaeque illum insigniter ridendum spectatoribus exhibent, hoc praesertim nomine, quod sibi in animum induxisset, se virum egregiae pulcritudinis, ab omnibus mulieribus efflicti amari.



ACTUS I.

SCENA I.

PYRGOPOLINICES; ARTOTROGUS.

PYRGOPOLINICES.

Curate, ut splendor meo sit clypeo clarior,
Quam solis radii esse olim, quum sudum est, solent:

Iam primum omnium, lector, actum hunc, qui una tantummodo constat scena, quasi fabulae praeludium accipe, quod commode posset abesse, quin tamen actio ex aliqua parte claudicaret. Nihil enim in ipso occurrit, quod ad comoediae nodum pertineat. Neque tamen improbandus, tamquam pars operi affleta, cum quo satis apte non cohaereat. Quin potius optimo sane consilio actus hic primus videtur a poeta excogitatus, ut gloriosi militis ingenium et mores graphice depingeret. Siquidem Pyrgopolinici formam, fortunam et facinora sua sine modo modestiaeque iactanti blande hic palpatur Artotrogus parasitus; cuius blanditiis atque adsentationibus adeo capitur miles, ut se stultum hominem facile prodat, et spectatorum animos idonee comparet ad ea, in quibus totius fabulae cardo praesertim vertitur. Plautini huius dialogi persimilem habes apud Terentium, Eunuch. II, 1, ubi poeta Thrasonis militis stultitiam, et parasiticam Gnathouis adsentationem eleganter expressit; quem quidem locum iuvabit adire, ut ex utriusque collatione magis magisque pateat, quam ingeniose veteres illi scriptores se ad naturae imitationem composuerint. Parasiti mores describit etiam Plautus, Capt. I. 1; Pers. I. 2; Stich. I. 3.

Pyrgopolinices. Insolens nomen de industria excudit poeta, ut hoc ipso militis mores significaret. Est enim a graecis vocibus *πύργος*, turris, *νίκης*, urbs, *νίκης*, victoria. Latine diceret: turrium atque urbium victor.

Curate, ut splendor etc. Vides iam inde ab initio ventosa militis verba, qui domo egrediens, haec mandat satellitibus, seu armigeris, quibus stipatus esse consueverat, quotiescumque in publicum prodiret.

Clypeo. Proprie clypeus hic ponitur, qui esset aereus, ideoque splendorem facile conciperet. Idem de scuto dici non posset, quod ligneum erat, et pelle plerumque contextum.

Clarior, quam solis radii. Clarior, quam sol radians. Hyperbole glorioso militi conveniens.

Olim, quum. Tunc quum. Cf. Poen. I. 2. 142; Trium. II. 4. 122; Trucul. I. 1. 45; Horat. Sat. II. 3. 60: Non magis audierit, quam Fusius ebrius

Ut, ubi usus veniat, contra conserta manu
 Praestringat oculorum aciem in acie hostibus.
 Nam ego hanc machaeram mihi consolari volo,
 Ne lamentetur, neve animum despondeat,
 Quia se iam pridem feriatam gestitem,
 Quae misere gestit fartum facere ex hostibus.
 Sed ubi Artotrogus?

ARTOTROGUS.

Hic est, stat propter virum

olim Cum Iliam edormit. Virg. Aen. viii. 391: Non secus atque olim, tonitru quum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos. Ubi Servius interpretatur: fere ut solet quum.

Quum sudum est. Supp. coelum.

Ubi usus veniat. Quum opus sit.

Contra. Tamquam adverbium saepe coniungitur cum verbis, quibus significamus, aliquid ab altera parte vicissim vel mutuo fieri. Cf. Amph. ii. 2. 23; Cist. i. 1. 97; Catull. lxxvi. 23. Non iam illud quaero, contra ut me diligit illa. Ter. Eun. iii. 1. 53: Si laudabit haec illius formam, tu huius contra. Cf. Hec. i. 1. 13; iv. 2. 7.

Contra conserta manu. Quum cominus utrinque pugnatur.

Praestringat oculorum aciem. Itali: abbarbagli i nemici. Ad rem Ariostus (Fur. xi. 86.): Lo scudo non pur lor gli occhi abbarbaglia. Aciem in acie. Ludit more suo Plautus in ambigua voce acies, quae acumen pariter oculorum et proelium significat.

Machaeram. Graeca haec vox a μάχη, pugno, grandius et plenius quiddam sonans, tumidam et inflatam militis orationem magis decet quam gladius.

Hanc machaeram mihi consolari volo, etc. Haec ait Pyrgopolinices, manum ad capulum frequenter referendo, aut minanti similis, districtum ensem iactando.

Mihi. Πιστευετε, uti saepe apud comicos. Cf. Ter. Heaut. ii. 1. 8; Phorm. V. 9. 21.

Feriatam. Otiosam.

Gestitem, quae misere gestit. Per παρανομασίαν iocatur noster in verbis pene similibus sono, sed dissimilibus sensu.

Misere. Vehementer.

Fartum facere ex hostibus. In plerisque vetustioribus editionibus legitur fratrem facere, sed prorsus inepte. Fartum a farcio, idem valet ac farcimen. Italis: salsiccia. Quare fartum facere ex hostibus erit: hostes in partes adeo minutas incidere, ut ex iis farcimen fieri possit. Nos: far salsiccia de nemici.

Artotrogus. Nomen parasito conveniens, ab ἄρτος, panis, τρόγυς, rodo. Itali: rodipane.

Propter. Prope, iuxta.



Fortem atque fortunatum et forma regia.
Tam bellatorem Mars se haud ausit dicere,
Neque aequiparare suas virtutes ad tuas.

PYRGOPOLINICES.

Quemne ego servavi in campis Gurgustidoniis,
Ubi Bombomachides Cluninstaridysarchides
Erat imperator summus, Neptuni nepos?

ARTOTRUGUS.

Memini: nempe illum dicis cum armis aureis,
Quoius tu legiones difflavisti spiritu;
Quasi ventus folia aut paniculam tectoriam.

Fortem atque fortunatum. *Ἐπιπορευμία.*

Forma regia. Forma, quae regem decet; corporis pulcritudo, decora quadam proceritate insignis. Itali: *bello e aiutante della persona.*

Quemne ego servavi etc.? illumne Martem, quem ego servavi ne occideretur etc.? Animadvertite, lector, quemadmodum iactabunda haec verba moratam orationem faciunt.

Gurgustidoniis. Vox, cavillandi gratia, a Plauto conficta a *gurgustiiis*, quae sunt obscurae et latentes tabernae. Itali appellant *taverne sotterranee*; nos autem Subalpini, nomine quod ad gurgustium propius accedit, *gargotte*.

Bombomachides Cluninstaridysarchides. Duo haec nomina patronymica, ioci causa, ex penu suo pariter depromsit poeta, huc nimirum spectans, ut ipso vocabulorum strepitu summi illius imperatoris virtutem quodammodo extollat. Est autem *Bombomachides* (a graeco βόμβος, sonus, μάχουμα, pugno) filius Bombomachi, qui magno pugnat strepitu et tumultu. Subalpini dicerent: *il capitano Fracassa*. Partim latino fonte (clunes, instar), partim graeco (δύς, aegro, ἔρχομαι, impero) manat Clunistaridysarchides, hoc est filius Cluninstaridysarchi, illius videlicet qui aegre natibus imperat. Huiusmodi iocos in turpiculis positos, graecis et latinis comicis perfamiliares, aures nostrae teretes fastidiose repndiant.

Nempe. Frequens occurrit in dialogis haec particula, qua ex colloquentis sententia quidpiam concedimus aut confirmamus. *Memini: nempe illum dicis cum armis aureis.* Itali: *me ne ricorda: tu vuoi parlare appunto di colui dalle belle armi.* Cf. Asin. II. 2. 72; Aul. III. 1. 12; Cas. III. 4. 9.

Quoius. Archaismus. Cuius.

Legiones difflavisti spiritu. Legiones solo halitu fudisti. Nos: *Le cui legioni tu sbaragliasti con un soffio.* En parasi mores, militi adsentantis.

Paniculam tectoriam. Comam lanosam arundinum, quibus ruri casae tegi consueverunt.

PYRGOPOLINICES.

Istuc quidem edepol nihil est.

ARTOTROGUS.

Nil hercle hoc quidem

Praeut alia dicam, — tu quae nunquam feceris.

20

Periuriorem hoc hominem si quis viderit

Aut gloriarum plenior, quam illic est;

Me sibi habeto, et ego me mancipio dabo,

Istuc. Hoc factum.

Edepol. Cf. Aul. 11. 2. 37.

Heracle. Particula iurandi, affirmandi et obtestandi, de qua iam dictum est ad Aul. 1. 1. 28. Hic satis sit monere, Plautum nunquam scripsisse mehercle, quae a Ciceronis aetate solum coepta est usurpari.

Praeut. Passim ponitur a comicis ad significandam comparisonem. Praeut alia dicam, hoc est, si hoc comparaveris cum aliis quae dicam. Itali: a paragone di quello che dirò. Cf. Amph. 1. 1. 218; Men. 11. 8. 24; V. 5. 33; Ter. Eun. 11. 3. 8.

Tu quae nunquam feceris. Ad exhilarandam caveam, haec et sequentia loquitur submissa voce parasitus, ad spectatores conversus. Hand aliter Gnatho apud Ter. Eun. 11. 1. 29: Thraso. Quid illud Gnatho. Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio. Numquid tibi dixi? Gnatho. Nunquam; sed narra quae — plus millic audivi. Hoc quidem illuc pertinet, ut Plautus veteratorum parasiti animum prodal, qui dum lotus est in blanditiis atque adsentationibus, ridendi militis occasionem acerrime captat.

Periuriorem. Mendaciorem. Sic periurare pro mentiri, Merc. 11. 1. 42; Poen. V. 4. 72.

Gloriarum plenior. Iactantiae plenior. Nos: più millantatore.

Illic. ἄλλοῦ. Ille.

Me sibi habeto, et ego me mancipio dabo. Me vindicet in potestatem suam, et ego me illi tanquam mancipium dabo.

Uno epityro, ut apud illum etc. Interpretum ingenium mire torsit Plautinus hic locus, quem alii aliter evulgarunt. Quum autem nemo ex iis acu rem tetigisse videatur, neque ipso melius quippiam me allaturum esse confidam; praetermissis argumentis, quibus inter se digladiantur viri doctissimi, dum suam quisque sententiam tuentur, quae mihi probabilior visa est lectio, hanc explanare aggredior. Nimirum hoc sibi vult parasitus: Si quis unquam vidit hominem mendaciorem aut gloriarum plenior, quam hic Pyrgopolinices, ego me illi in servitatem dico, et vilissima quidem mercede, hoc est uno epityro (per un solo epityro), ita ut esuriam apud illum vehementer.

Epityro. Epityrum, sic dictum a graecis vocibus ἐπι, post, τροπός, caseus, fuit apud veteres obsonii quoddam genus ex oleis conditis, quod post caseum mensae inferebatur. Cat. RR. cxix.

Uno epityro, ut apud illum esuriem insane bene.

PYRGOPOLINICES.

Ubi tu es?

ARTOTROGUS.

Eccum edepol. Vel elephanto in India

25

Quo pacto pugno praefregisti brachium.

PYRGOPOLINICES.

Quid? brachium?

ARTOTROGUS.

Illud dicere volui, femur.

Apud illum. Apud illum, cui me mancipavi, hoc est apud dominum illum meum. Aio apud dominum meum; hoc enim significant pronomina *ille, ipse*, more Graecorum, qui saepe dominum *κύριος* appellare consueverunt. Sic Catull. III. 6, de passere: Snamquo norat ipsam tam bene, quam puella matrem. Nos: *e conosceva la sua padrona tanto bene, quanto una fanciulla la propria madre*. Caeterum velim, lector, penitus persentias vim sententiae, qua hic nititur parasitus. Ut videlicet spectatoribus persuadeat, Pyrgopolinicum esse mendacissimum omnium, quos terra sustinet, ait: Si quis potest confirmare, ita sese rem non habere, ego paratus sum me illi in servitutem dare, atque apud illum esurire. Quae quidem Artotrogo, parasito, esset poena omnium maxima. Hinc oratio morata; hinc ridiculum; hinc caveo risus.

Esuriem. Archaismus. Esuriam.

Insane bene. Varro, L.L. VI. 5, animadvertit, Plautum, quum vehementer vellet dicere, dixisse *insane*, propterea quod insani faciant omnia vehementer. Particula vero *bene*, ubi addatur aliis adverbis vel adiectivis, ita ut in unam notionem coeant, vim sententiae adauget. In eadem significatione usurpatur ab Italis: *assai bene, molto bene, troppo bene*.

Ubi tu es? Eccum. Artotrogus, ne a milito audiretur, dum illum apud spectatores rideret, ab eo aliquantulum soccesserat. Quare: ubi tu es? exclamat Pyrgopolinices. Parasitus autem: *eccum*, respondet. Ecce enim. Nos: *eccomi*.

Edepol. Vel elephanto etc. Fingit parasitus, se haecenus in militis laudibus esso versatum, et quasi pergeret praeclarum aliud Pyrgopoliniceis facinus narrare: Edepol, ait, quo pacto in India proboscidem elephanto fregisti, pugnum tantummodo in illum impingendo?

Brachium. Intelligit proboscidem, qua elephanti utitur tamquam brachio et manu.

Quid? brachium? Indignantior haec profert miles; perinde ac si parasitus in re laudanda immoraretur nullius plane momenti. Itali: *Che di tu mai? che braccio?*

Illud dicere volui, etc. Haec dicendi formula utuntur Latini, quum admoniti a colloquente, se quidpiam minus apte dixisse, pro eo aliud magis idoneum reponunt. Cf. Mostell. III. 2. 145. Hic parasitus, quasi inepte

PYRGOPOLINICES.

At indiligenter iceram.

ARTOTROGUS.

Pol si quidem

Connisus esses, per corium, per viscera,
Perque os elephanti brachium transmitteres.

30

PYRGOPOLINICES.

Nolo istaec hic nunc.

ARTOTROGUS.

Nae hercle operae pretium quidem

Mihi te narrare, tuas qui virtutes sciam.

— Venter creat omnis has aerumnas: auribus

Perhaurienda sunt, ne dentes dentiant,

brachium memorasset, illico subdit: *femur*. Quod quidem mirum, quantum faciat ad theatrum exhilarandum.

At indiligenter iceram. Alii porperam: indiligenter *hic eram*. In colloquuntium responsionibus saepe locum obtinet particula *at*, quae oppositionem quandam significat; ita tamen, ut refrā ab altero allatam non tollere, sed aliqua solum ex parte immutare videatur. Italice: *Ed anche il colpo non fu gagliardo*.

Pol si quidem connisus etc. Nota parasitica verba, quae omnem fidem excedunt.

Pol. Perfamiliaris est comicis haec inrandi vel affirmandi formula per deum Pollucem.

Brachium transmitteres. Brachium tuum transmisisses.

Nolo istaec hic nunc. Snp. narrari.

Nae hercle. Nae, a graeco *ναι*, est particula graviter affirmantis, quae fere ponitur initio sententiarum. Huius vis augetur adiectis aliis particulis affirmantibus, cuiusmodi sunt *hercle*, *edepol*, *mecastor*, etc.

Operae pretium mihi. Me iuvat.

Te narrare. Te celebrare, praedicare. Sic Tacitus in fine vitae Agricolae: *Posteritati narratus superstes erit*.

Venter creat omnis etc. Oratione ad spectatores conversa, ita ut a Pyrgopolinice non exaudiatur: haec omnia incommoda, ait parasitus, mihi sunt toleranda ventris causa. Huiusce militis iactationem ferre cogor, ne fame torquear.

Auribus perhaurienda — dentes dentiant. Paronomasia Plauto perfamil. *Auribus perhaurienda*. Maxima animi attentione mihi sunt auscultanda omnia istius mendacia.

Dentes dentiant. Dentire hic est dentibus crepitare. Solent esurientes, quum ipsis nihil cibi est quod dentibus conficiant, prae fame bos inter se atterere et conculero, unde crepitus quidam existit. Tunc Plauto *dentes*

Et adsentandum est, quidquid hic mentibitur.

PYRGOPOLINICES.

Quid illud, quod dico?

ARTOTROGUS.

Hem, scio iam quid vis dicere.

Factum hercle est; memini fieri.

PYRGOPOLINICES.

Quid id est?

ARTOTROGUS.

Quidquid est.

PYRGOPOLINICES.

Habes tabellas?

ARTOTROGUS.

Vis rogare? habeo et stylum.

PYRGOPOLINICES.

Facete advortis animum tuum ad animum meum.

dentire dicuntur. Eadem plane significatione scripsit Martialis (Epigr. xiii. 2.): Quid dentem dente invahit rodere? *Ne dentes dentiant*, idest ne dentes ob cibi defectum crepitem edant. Haud absurde nos: *perchè io non abbia a starmene a dente asciutto*.

Adsentandum est. Adsentendum est.

Mentibitur. Archaism. Montiatur.

Quid illud, quod dico? Quidnam est, quod dicere in animo habebam? En stolidi et vanissimi hominis interrogationem.

Hem, scio. In hoc loco *hem* est interiectio respondentis cum assensione, atque ad rem quaesitam illico aggredientis. Cf. Asin. ii. 2. 91; iii. 1. 34. Haud aliter Terentius, Andr. ii. 2. 14: *Pamph.* Obsecro te, quamprimum hoc me libera miserum metu. *Dav. Hem* libero.

Quidquid est. *Ἐπιτροχῆς* respondet Artotrogus. Nempo haec sunt subaudienda: Quidquid sit, quod tu volebas dicere, memini et scio, id factum fuisse.

Habes tabellas? Intellige, lector, tabulas (*in registri*), quibus nomina continebantur militum mercenariorum, quos centuriones conscriberent.

Vis rogare? Subandi: milites sacramento. Milites autem sacramento rogare idem valet ac milites facere, eos sacramento ad militiam obligare. Cf. Liv. xxxii. 26; xxxv. 2; xl. 26.

Habeo et stylum. Quo videlicet uti possim, siquid in tabulis sit scribendum. Fuit enim stilus apud vetores instrumentum forreum, quo in ceratis tabulis scriberent, aut iam scripta delerent.

Facete advortis animum tuum ad animum meum. Apte, commode animum advertis ad voluntatem meam; praecoccupas voluntatem meam.

ARTOTROGUS.

Novisse mores me tuos meditare decet,
Curamque adhibere, ut praedolat mihi, quod velis.

PYRGOPOLINICES.

Ecquid meministi. . . . ?

ARTOTROGUS.

Memini. Centum in Cilicia

Et quinquaginta, centum Sycolatronidae,
Triginta Sardi, sexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidisti uno die.

PYRGOPOLINICES.

Quanta istaec hominum summa est?

ARTOTROGUS.

Septem millia.

PYRGOPOLINICES.

Tantum esse oportet; recte rationem tenes.

Meditate. Diligenter, studioso.

Mores tuos. Adulandi causa haec parasitus; quasi diceret: me decet novisse mores magni bellatoris, cuius animus totus est semper in re militari.

Ut praedolat mihi, quod velis. Elegantius quam: *ut praecolet mihi, quo tu velis*; quae lectio falso aliis adrisit. Ἀρχαῖος ponitur a poeta praedolat pro eo quod est praedoleat vel praecolet, interposita videlicet littera d, ut in verbo prodesset. Translato autem praecolet est ante sese indicare, prodere. Sensus igitur erit: me decet mores tuos apprime nosse, ut voluntas tua mihi innotescat, antequam verbis illam patefeceris. Sic Aulul. 11. 2. 39: Aurum huic olet; hoc est: aurum huic se se prodit.

Ecquid meministi. . . . ? Memini. Centum etc. An meministi? Quom vellet miles aliquam ex rebus suis gestis narrare, parasitus dicere orsum interfatur, ut de more illi aduletur.

Sycolatronidae. Nomen a Plauto confictum ex graeca voce συκός, ficus, et latina latro, hoc est ficorum fures. Poëta vero hoc nomen ioculariter usurpat, quasi gentis a Pyrgopolinice in Cilicia profligatae; ex qua centum et quinquaginta homines interfecisset.

Quanta istaec hominum summa est? En gloriosi hominis ingenium graphice depictum, qui non contentus egregia sua facinora singillatim enumerari, illorum etiam summam vellet subduci.

Tantum esse oportet. Hunc nempe numerum esse oportet. Italice: *dè b'èssere così, nè più nè meno.*

Recte rationem tenes. Nos: *Hai fatto bene il conto.*

ARTOTROGUS.

At nullos habeo scriptos; sic memini tamen.

PYRGOPOLINICES.

Edepol' memoria est optuma.

ARTOTROGUS.

Offa me monet.

PYRGOPOLINICES.

Dum talem facies, qualem adhuc, adsiduo edes:

50

Communicabo semper te mensa mea.

ARTOTROGUS.

Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos simul,
Ni hebes machaera foret, uno ictu occideres?

PYRGOPOLINICES.

At peditis delicia erant: sivi viverent.

ARTOTROGUS.

Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales sciunt,

55

Pyrgopolinicum te anum in terra vivere

Virtute et forma et factis invictissimis?

Amant te omnes mulieres neque iniuria.

At nullos habeo scriptos. Subaudi quamquam. At quamquam nullos habeo scriptos, quos tu occidisti; sic tamen memini. Utramque particulam coniunctim usurpavit idem Plautus, Cas. II. 3. 45: At quamquam unicus est, nihilo magis unicus est ille mihi filius.

Memoria est optuma. Subaudi tibi.

Offa me monet. Festive pro vulgari: mensa tua, epulae tuae, quibus me adhibes, firmiorem mihi memoriam afferunt.

Dum talem facies, qualem adhuc. Quamdiu praedicabis me tamquam fortissimum bellatorem, uti hactenus fecisti.

Communicabo semper te mensa mea. Dictio insolens: te semper faciam mensae meae participem.

Quid in Cappadocia, etc. Pergit parasitus adulari, mira atque incredibilia iactando. Quid res tuas in Cappadocia gestas commemorem?

Ni... foret, ... occideres? Nisi fuisset, occidisses.

At peditis delicia erant: sivi viverent. Ex omnibus lectionibus, quae vulgo feruntur, hanc potissimum delegi, ex qua probabilis huiusmodi elicitur sententia: quum quinquaginta illi homines essent flos peditatus, ultro eos passus sum vivere.

Te... forma et factis invictissimis. Te... pulcritudine et facuoribus laudandum, quae a nemine possunt superari.

Qui sis tam pulcer; vel illae, quae here pallio.
Me reprehenderunt.

PYRGOPOLINICES.

Quid herè dixerunt tibi?

60

ARTOTROGUS.

Rogitabant: Hiccine Achilles, inquit, est tibi? —

Imo eius frater, inquam. — Innuat altera:

Ergo mecastor pulcer est, inquit mihi,

Et liberalis. Vide, caesaries quam decet!

Nae illaec sunt fortunatae, quae cum isto cubant!

65

PYRGOPOLINICES.

Itane aibat tandem?

Qui sis. Quom sis.

Vel illae, quae here pallio me reprehenderunt. Etiam mulieres illae, quae heri me euntem pallio retraxerunt, dum te comitarer.

Here. Testatur Quintilianus (De inst. orat. l. 7. 22), vetustiores Romanos, et praesertim comicos hoc adverbium i littera terminasse, aetate vero sua i litteram in e fuisse immutatam. Nobis tamen antiquissimas editiones consulentibus, et codices ipsos manu exaratos, utraque forma promiscue occurrit.

Quid here dixerunt tibi? Pyrgopolinices, ratus se a mulieribus perditè amari, ne exspectat quidem dum parasitus narret quae ab illis audivit; sed, stolidorum more, iam sui impotens narrentem interpellat.

Achilles. *κατατρογος* ponitur in hoc loco *Achilles* ad significandum virum corporis forma et viribus praecipuum, cuiusmodi fuit in graeco exercitu Pelides.

Imo eius frater. Ad spectatores exhilarandos, Achillis fratrem memorat, qui nusquam fuit.

Ergo mecastor pulcer est. Particula *ergo* affirmationem adauget, ubi coniungatur cum adverbis *perfecto*, *edepol*, *ecastor*, *hercle*. Nos: *affè che egli è bello davvero*. Cf. Plaut. Men. V. 7. 34; Merc. II. 3. 39; Most. I. 3. 18.

Liberalis. Forma egregia, liberi hominis propria. Cf. Ter. Eun. III. 2. 20.

Vide, caesaries quam decet! Haud inepte laudatur miles a caesarie; tum quod Graeci comam alere consueverunt, tum quod Achillem, quocum comparatur Pyrgopolinices, bene comatum nobis exhibet Homerus.

Nae illaec sunt fortunatae, quae cum isto cubant! Nota meretricium ingenium.

Itane aibat tandem? Hanc interrogandi formam usurpant Latini, ubi agatur de re, quae interroganti aut admirationem, aut molestiam afferat. Particula *tandem* in huiusmodi locis elegantem habet vim. Itali: *Hanno esse parlato propriamente così?* Cf. Terent. Heaut. V. 2. 1; Phorm. I. 5. 1.

ARTOTROGUS.

Quaene ambae obsecraverint,

Ut te hodie quasi pompam illa praeterducerem?

PYRIGOPOLINICES.

Nimia est miseria, pulcrum esse hominem nimis.

ARTOTROGUS.

Molestae sunt mihi: orant, ambiunt, obsecrant,

Videre ut liceat; ad sese arcessi iubent:

Ut tuo non liceat operam dare negotio.

PYRIGOPOLINICES.

Videtur tempus esse, ut eamus ad forum,

Ut in tabellis quos consignavi hic heri

Latrones, ibus denumerem stipendium.

Quaene etc. An de illis mo interrogas, quae etc.

Ut te hodie quasi pompam illa praeterducerem? Quum ludi circenses Romae celebrarentur, apparatus quidam solemnissimus fiebat et transvectio per publicas vias, in qua aliqua spectatu digna fiebantur ab aliquo agmine incedentium. Haec autem celebritas, quae fiebat lento et gravi incessu pompa a Latinis, ab Italici processione appellatur. Svet. Cal. vi: Instituit matri Circenses carpentumque, quo in pompa traduceretur. Hinc duxit Plautus locutionem suam, id viximur significaturus: ambae illae mulieres me enixe rogarunt, ut te hodie illae ducerem ante illarum aedes, et lento quidem gressu, quo facilius te possent spectare.

Nimia est miseria, pulcrum esse hominem nimis. Nihil magis valet ad risum spectatorum eliciendum, quam ridiculas personas inducere in gravem aliquam et seriam sententiam erumpentes. Italice: *La è davvero una grande sventura l'essere troppo bello.* Cf. Plaut. Capt. l. 2. 62.

Orant, ambiunt, obsecrant. Nota gradationem sententiarum insurgentium *Ambiunt*, hoc est magno studio petunt. Sic Horat. Od. l. 35. 5: *Te pauper ambit sollicita prece. Nos: mi pregano, mi supplicano, mi scongiurano.*

Videre ut liceat. Subaudi *te*.*Ad sese arcessi iubent.* Supp. *me*.

Ut tuo non liceat operam dare negotio. Adeo mihi sunt molestae, ut vix tempus mihi supersit rebus tuis operam dandi.

Latrones. Quasi *laterones*, primo dicti fuerunt satellites, qui regis latus tegerent. Postea vero a poetis *latrones* coepti sunt appellari *militēs mercēde conducti*, ἀπὸ τῆς λαρπίας, vel ἀπὸ τοῦ λάρπου (a servitute, vel stipe). Hinc *λαρπηῖος* Graecis est mercede servire, *latrocinari* Latinis *militare*. Qui autem apud Graecos huiusmodi milites mercenarios conseriberent, operam suam regibus locabant, haud aliter atque apud Italos, qui maiorum memoria dicebantur *capitani di ventura*.



Nam rex Seleucus me opere oravit maximo,
 Ut sibi latrones cogere et conscriberem:
 Regi hunc diem mihi operam decretum est dare.

ARTOTROGUS.

Age, eamus ergo.

PYRGOPOLINICES.

Sequimini, satellites.

*Me opere oravit maximo. Tmesis. Me maximopere oravit.
 Cogere. Colligerem, conscriberem.
 Hunc diem. Subaudi per.*

ACTUS II.

SCENA I.

PALAESTRIO.

PALAESTRIO.

Mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas,
 Si ad auscultandum vostra erit benignitas.
 Qui autem auscultare nolit, exurgat foras,
 Ut sit, ubi sedeat ille, qui auscultare volt.
 Nunc, -qua adsedistis causa in festivo loco,
 Comoediai, quam modo acturi sumus,
 Et argumentum et nomen vobis eloquar.

Primam hanc scenam actus secundj habes, lector, prologi loco, in quo totius fabulae argumentum narratur. Quo facto Plautus a communi poetarum comicorum ratione recessit, qui comoediam a protasi exordiri consueverunt.

Mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas. Palaestrioni, militis servo partes dantur fabulae argumentum expediendi; qui pollicetur, se fusius rem omnem esse expositurum, dummodo spectatores benignas ipsi aures velint accommodare. Quae quidem Palaestrionis verba pertinent ad tumultus, qui saepe in theatris existerent.

Ad enarrandum est comitas. Facilis sum et paratus ad enarrandum.

Si vostra erit benignitas. Si vos benigni critis ad auscultandum.

Exurgat foras. Elliptica dictio. Surgens exeat foras. Itali: *si alzi e se ne vada.*

Ut sit, ubi sedeat. Ut sit locus ubi sedeat. Stantes olim Romani in theatris spectabant. Diversi generis sedilia dein posita.

Nunc, qua adsedistis causa vobis eloquar. Nunc comoediae argumentum et nomen vobis eloquar, quam modo sumus acturi, et cuius causa vos in hoc iucundo loco adsedistis.

Alazon graece huic nomen est comoediae;

Id nos latine gloriosum dicimus.

Hoc oppidum Ephesust; inde miles, meus herus,

10

Qui hinc ad forum abiit, gloriosus, impudens,

Stercoreus, plenus periuri atque adulteri,

Ait sese ultro omnis mulieres sectarier:

Is deridiculo est, quaqua incedit, omnibus;

Itaque hic meretrices, labiis dum ductant eum,

15

Maiorem partem videas valgis saviis.

Nam ego haud diu apud hunc servitutum servio.

Id volo vos scire, quomodo ad hunc devenerim

Alazon. Ἀλᾶζον, graeca vox, latine mendacem, gloriosum, arrogantem, superbum sonat, a verbo ἀπαζωνέωμαι, falsa de me praedico, glorior, per iactantiam mentior.

Alazon graece huic nomen comoediae. Hinc patet, Plautinam hanc fabulam graeco fonte manasse; sed cuius demum poetae illa fuerit, ex graecarum litterarum monumentis non constat.

Gloriosum. Iactantiae plenum. Nos: *millantatore*.

Hoc oppidum Ephesust. Hoc oppidum, in quo res fingitur agi, est Ephesus, urbs Ioniae, quam ab Amazonibus conditam fuisse narrat Iustinus, Histor. Philipp. II. 4.

Inde. A graeco ἴδεν, ex illo loco, ex illa urbe, hoc est Epheso. Hic ponitur pro casu patrio: *illius urbis*. Nimirum Plautina verba in hunc ordinem sunt digerenda. Miles, herus meus, qui hinc abiit ad forum ait omnes mulieres *inde* (illius urbis) sectarier sese.

Stercoreus. Translate ad concemptum, pro eo quod est imparus, impudens, libidine contaminatus.

Ait sese ultro omnis mulieres sectarier. Herus meus ait, se ab omnibus ephesiis mulieribus ultro peti et amari.

Omnis mulieres ultro etc. Omnes mulieres non rogatas.

Deridiculo est. Valde ridiculus est. Particula *de*, intentiva, vim nominis adauget.

Quaqua. In quacumque parte.

Labiis ductant eum. Eum irrident, labia videlicet ducendo et distortuendo. Itali: *gli fanno i visacci*.

Meretrices maiorem partem videas valgis saviis. Ad risum ciendum, hyperbole utitur Plautus, inquires, plerasque meretrices Ephesi habere os prave distortum, proptereaquod adsueverint militem irridere.

Valgis saviis. Valgus, h. e. intortus; savius vel suavium, intellige os, labia. Nos: *col viso storto, scontrafatto*.

Nam ego haud diu etc. Particula *nam* saepe usurpatur in rerum expositione, et initio orationis posita eleganter inservit transitioni: Ego vero haud diu etc.

Ad hunc devenerim in servitutum. In huius servitutum devenerim.

In servitum ab eo, quod servi prius.

Date operam: nam nunc argumentum exordiar.

30

Erat herus Athenis mihi adolescens optumus;

Meretricem is amabat matre Athenis Atticis,

Et illa illum contra: qui est amor cultu optumus.

Is publice legatus Naupactum hinc fuit

Magna rei publicae gratia.

35

Interibi ut istic forte miles advepit

Athenas, insinuat se ad illam amicam heri,

Ocepit eius matri suppalparier

Vino, ornamentis opiparisque obsonis;

Athenis. Haec urbs, atticae regionis caput, ex complurium oppidorum incolis coeuit, quos Theseus in unius populi corpus coegit. Hinc illius nomen pluraliter effertur; haud aliter atque apud Italos *Venetiae*, quae ex multis parvis insulis originem duxerunt.

Meretricem matre Athenis Atticis. Subaudi: natam matre, oriunda Athenis.

Athenis Atticis. Quum teste Plinio (H. N. iv. 11) duae, magistro Varro (L. L. vi. 18) tres, ex aliorum autem sententia plures fuerint Athenae; ut urbs, atticae regionis caput, a reliquis urbibus cognominibus apte discriminetur, *Athenarum Atticarum* nomine donatur a Plauto. Cf. Pseud. 1. 5. 2; Rud. III. 4. 36; Truc. II. 6. 16.

Et illa illum contra. Cf. dicta ad versum tertium actus primi: *contra conserta manu.*

Amor cultu optumus. Amor, quem optimum est colere.

Publice. Publico nomine, publica auctoritate. Cf. ad hanc vocem *ΡΟΜΑ*, de diff. verborum, edit. taurin. an. M. DCCC. LII.

Legatus Naupactum etc. Ex hoc loco Naupactum missus fuit, Aetoliae urbem, ad oram sinus corinthiaci, cui recentiores nomen fecerunt *Lepanto*.

Magnae reipublicae gratia. Ob rem publicam magni momenti.

Interibi. Iuterea. Antiquior vox, quam ex vetustioribus Plautus et Afranius tantummodo usurparunt. Elegantiior aetas hac particula abstinuit, quam sequioribus temporibus Apuleius et Gellius revocarunt.

Istic. Arch. Iste.

Insinuat se. Paullatim irrepit in animum illius amicae, paullatim et quasi latenter illius amicae amorem sibi captat.

Suppalparier. Παρπαρῶς. Palpari est leviter et blande contrectare; translate blandiri, adulari. Particula vero *sub*, quae cum verbo coniungitur, significat, occulte et sensim id fieri; quasi dicas: coepit matri clam blandiri. Itali, servata metaphora: *cominciò bel bello a lasciare la madre*.

Ornamentis. Intelligo pretiosa vestimenta, quibus donatis, mirum quatuotopere capiantur angusti animi mulieres.

Opiparis obsonis. Lautioribus coenis.

Itaque intimum ibi se miles apud lenam facit.	30
Ubi primum evenit militi huic occasio,	
Sublinit os illi lenae, matri mulieris,	
Quam meus amabat herus: nam is illius filiam	
Conpegit in navem miles clam matrem suam,	
Eamque invitam huc mulierem in Ephesum advehit.	35
Ut amicam herilem Athenis avectam scio,	
Ego, quantum vivos possum, mihi navem paro;	
Inscendo, ut eam rem Naupactum ad herum nuntiem.	
Ubi sumus provecti in altum, sicut voluerunt,	
Capiunt praedones navem illam, ubi vectus fui.	40
Prius perii, quam ad herum veni, quo ire oceperam.	
Ille, qui me cepit, dat me huic dono militi.	
Hic postquam in aedis ad se me duxit domum,	
Video illam amicam herilem, Athenis quae fuit.	
Ubi contra adspexit me, oculis mihi signum dedit.	45

Itaque. Atque hoc modo. Usurpatur proprie ad illa connectenda, quae ex supra dictis proficiscuntur, aut cum iis aliquo nexu cohaerent.

Intimum se facit. In lenae familiaritatem penitus intravit, ut ipsi aditus ad amicam libere pateret, omniumque consiliorum facile particeps haberetur.

Sublinit os illi lenae. Locutio Plauto familiaris. Decepit lenam. Cf. *Aul. iv. 2. 61.*

Conpegit in navem. Detrusit in navem. Hoc verbo vis significatur, quam miles adhibuit, ut amicam Ephesum adveheret. Nos: *la caccia in una nave.*

Clam. Proprie ponitur de homine, qui ex insidiis aut ex improvise quidpiam agit. Saepissime a Plauto coniungitur cum casu accusativo; hoc autem perraro occurrit apud solutae orationis scriptores.

Ego, quantum vivos possum. Quam celeriter, quam strenue possum. Vox *vivos* quidpiam addit locutioni; est autem formula graviter affirmantis, et affectu aliquo exagitati. Italice: *io, come seppi il meglio.*

Inscendo. Absolute pro eo quod est *navim inscendo.*

Sicut voluerunt. Uti exoptabant.

Prius perii. Perire dicuntur non ii solum qui vitam, sed etiam qui fortunas et statum suum amittunt. Nos: *incappai nella mala ventura prima di ecc.*

Video illam amicam. Animadvorte, lector, pronomen *illam*, locum obtinens articuli, quem Itali appellant *determinante.*

Ubi contra. Ubi vicissim. V. dicta ad vers. tert. act. prim.

Ne se adpellarem; deinde, postquam occasio est,
 Conqueritur mecum mulier fortunas suas;
 Ait, fugere sese Athenas cupere ex hac domu;
 Sese illum amare, meum herum, Athenis qui fuit,
 Neque peius quemquam odisse, quam istunc militem. 50
 Ego, quoniam inspexi mulieris sententiam,
 Cepi tabellas, consignavi clanculum,
 Do mercatori quoidam, qui ad eum deferat,
 Meum herum, qui Athenis fuerat, qui hanc amaverat,
 Ut is huc veniret. Is non spreuit nuntium: 55
 Nam et venit, et hic in proxumo devortitur.
 Apud paternum suum hospitem, lepidum senem.
 Itaque ille amanti suo hospiti morem gerit,
 Nosque opera consilioque adhortatur, iuvat;
 Itaque ego paravi hic intus magnas machinas, 60

Ne se adpellarem. Ne ipsam salutandi causa alloquerer, et mihi iam cognitam esse significarem. Vernacule: *mi accennò cogli occhi, che io non le dovessi far motto.*

Postquam occasio est. Subaudi oblata. Nos: *come ne ebbe il destro.* Conqueritur fortunas suas. Conqueritur de infortunio suo.

Neque peius quemquam odisse. Et neminem acerbius odisse. Cic. Ep. ad fam. vii. 9: Oderam multo peius hunc, quam illum ipsum Clodium.

Quoniam inspexi. Postquam cognovi. Cf. Asi. iii. 3. 121; Aul. Prol. 9.

Cepi tabellas, consignavi clanculum, do mercatori. Cepi tabellas, quibus litteras exaravi clam milite, easque rite consignatas tradidi mercatori. Nimirum veteres consueverunt filo epistolas circumligare, cera claudere et anulo obsignare.

Ut is huc veniret. Subaudi: eum monendo, ut huc veniret.

Hic in proxumo. Subint. loco. In hisce vicinis aedibus.

Devortitur. Archaism. Divertitur. Nos: *è alloggiato.* Diverti vel divertere latinis est, domi apud amicum aut hospitem, ad breve tantummodo tempus commorari.

Lepidum senem. Iucundum senem.

Itaque. Hic Palaestrio, et passim apud Plautum servi loquaces, saepe in narrationibus usurpant particulam itaque, sicut apud nos de plebe homines frequentissime sermonibus inserunt *dunque, sicché dunque, ecc.* Cf. ii. 1. 60; iii. 1. 180 et 181.

Ille. Senex Periplectomenes.

Magnas machinas. Machinae, fabricae, doli apud Plautum sunt artes et ingeniosa consilia, quibus utimur ad quidpiam perficiendum, aut aliquid fallendum. Itali: *astuzie, trovati, inganni.*

Qui amantis una inter se facerem convenas :
 Nam unum conclave, concubinae quod dedit
 Miles, quo nemo nisi eapse inferret pedem,
 In eo conclavi ego perfodi parietem,
 Qua conneatus esset hinc huc mulieri.
 Et sene sciente hoc feci: is consilium dedit.
 Nam meus conservos est homo haud magni preti,
 Quem concubinae miles custodem addidit;
 Ei nos facetis fabricis et doctis dolis
 Glaucomam ob oculos obiiciemus, eumque ita
 Faciemus, ut, quod viderit, non viderit;
 Et mox, ne erretis, haec duarum hodie in vicem
 Et hic et illic mulier feret imaginem :

65

70

Qui. Quibus. Vide dicta ad Aulul. III. 8. 28.

Amantis una inter se facerem convenas. Facerem, ut amantes possent inter se venire. *Provarsi insieme.*

Nam unum conclave in eo conclavi etc. In hunc modum verba sunt digerenda: In eo conclavi, quod unum conclave miles concubinae dedit, ego perfodi parietem. Similem verborum constructionem habes apud Horatium, Sat. I. 1. 1: *Quam sibi sortem* Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa Contentus vivat. *Conclave* interdum ponitur pro aedium parte, quae complura habeat cubicula contigua, quaeque una clave claudi possit. Itali: *appartamento*. Hic vero idem valet atque nunc cubiculum, *una stanza, un gabinetto.*

Eapse. Ea ipsa.

Qua conneatus esset. Qua mulier posset commeare.

Nam meus conservos. Meus autem conservus. Per particulam *nam* saepe fit transitus ad contraria aul nova.

Concubinae custodem addidit. Concubinae custodiae praefecit.

Facetis fabricis etc. Vide dicta ad vocem *machinas* in vers. 60.

Doctis. Ingeniosis, callidis.

Glaucomam ob oculos obiiciemus. Illum obcaecabimus, nequid videat. Glaucomam dixerunt veteres vitium illud oculorum, quo naturalis pupillae color in glaucum immutatur, atque impeditur visus. Sensus est: *Scoledro, conservo meo, fucum faciemus. Nos: gli daremo della polvere negli occhi.*

Eumque ita faciemus, ut, quod viderit, non viderit. Et faciemus, ut quod ille viderit, perinde sit quasi non viderit.

Haec duarum etc. Haec concubina hodie duarum mulierum personam sustinebit.

Hic et illic. Haec *divertibus* a Palaestrione dicuntur, conliguas militis et Periplectomenis aedes digito commonstrando.

Atque eadem erit; verum alia esse adsimulabitur.

Ita sublinetur os custodi mulieris.

Sed foris concrepuit hinc a vicino, sene:

Ipse exit. Illic est lepidus, quem dixi, senex.

ACTUS II. – SCENA II.

PERIPLECTOMENES, PALAESTRIO.

PERIPLECTOMENES.

Ni hercle defregeritis talos posthac, quemque in tegulis

Videritis alienum, ego vostra faciam latera lorea!

Mihi quidem iam arbitri vicini sunt, meae quid fiat domi:

Ita sublinetur os etc. Locutio proverbialis pro eo quod est decipere. Vide Aulul. iv. 2. 61.

Foris concrepuit hinc a vicino sene. Ianua huius vicini senis crepitum edidit. V. Aul. iv. 2. 58.

In hac scena culpatur Plautus, quod Palaëstrionem servum induxerit lutra commemorantem, quae ne coniectura quidem prospicere poterat. Huiusmodi sunt illa, quae pertinent ad geminam sororem, atque ad fraudem, qua Seclodrus, conservus erat ludificandus. Qui enim haec scire poterat Palaestrio, qui nondum cognoverat, Philocomasium visam fuisse apud Periplectomenem? Nec facit, quod haec scena prologi locum obtineat, in quo nonnulla interdum praenuntiari consueverunt ad fabulam pertinentia. Namque in aliarum comoediarum prologis loquitur aut poeta aut aliquis ex diis, quos latere non possunt quae mox spectatorum oculis observabantur. Quod sane de Palaestrione dici non potest.

Ni hercle. Hic primum loquens inducitur Periplectomenes senex, iratus, quod unus ex vicini servis ex tecto per impluvium inspectans, viderit Philocomasium, amicam militis, cum Pleuside osculari. Supplicium servis suis interminatur, nisi posthac quemcumque videriat in tegulis, praecipitem in viam deiciant. Deinde Periplectomenes et Palaestrio consilium ineunt, quemadmodum occurrant malo, quod sibi imminere arbitrantur.

Ni hercle defregeritis talos etc. Talus, pedis pars, hic ponitur pro cruribus. Sensus est: nisi crura fregeritis iis omnibus, quos posthac videritis in tecto, latera vestra virgis caedam.

Vostra faciam latera lorea. Vestrorum laterum corium ita scindam verberibus, ut inde lora fieri possint. Nos: *vi batterò di santa ragione.*

Mihi arbitri iam vicini sunt. Arbitri dicuntur testes, inspectores. Iam

Ita per impluvium introspectant. Nunc adeo edico omnibus:
 Quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis
 Extra unum Palaestronem, huc deturbatote in viam.
 Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
 Dicat, disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis!
 Atque adeo, ut ne legi fraudem fecerint talariae,
 Acuratote, ut sine talis domi agitent convivium.

5

10

vicini mel conscii sunt, speculantur quid fiat domi meae. Cf. dicta ad Aul. iv. t. 20.

Impluvium est locus in aedibus sine tecto, quo imber impluit. *Cavaedium* etiam dicitur, quasi *cavum aedium*. Ital. *il cortile*. Cf. *POEMA* de diff. verb. ad voc. *atrium*.

Quemque a milite hoc videritis hominem. Quemcumque hominem, hoc est servum, videritis huiusce militis. Casus ablativus cum praepositione *a* vel *ab* interdum ponitur pro casu patrio. Quae enim alicuius sunt, dici etiam possunt *esse ab aliquo*. Haec autem locutio usurpatur maxime ad significandos discipulos, sectatores, familiares et servos. Cic. pro Mur. xxxi: Nostris illi a Platone et Aristotele; de fin. iv. 3; Zeno et ab eo qui sunt; Tusc. ii. 3: Quid sentiant ii, qui sunt ab ea disciplina, nemo mediocriter quidem doctus ignorat. Quint. Inst. orat. iv. 2. 31: Plerique scriptores, maxime qui sunt ab Iocrate. Pl. Curc. ii. 82: Credo hercle, te esse ab illo. Psëud. ii. 2. 22: Esne tu, an non es ab illo milite macedonio? Id est ex familiaribus illius militis macedonii? Cf. Lucret. de rer. nat. ii. 49; Virg. Georg. ii. 243.

Extra unum Palaestronem. Excepto uno Palaestronem. Siquidem praepositio *extra* saepe exclusionem et remotionem significat.

Deturbatote. Praecipitem agite.

Quod ille dicat. Quamvis ille dicat, vel causam interponat, se gallinam aut columbam sectari, etc. Cf. Asin. iv. 1. 12; Ter. V. 9. 37.

Disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis. Actum est de vobis, nisi ad mortem illum verberaveritis. Itali: *guai a voi, se non me lo conciate pel di delle feste*.

Mulcassitis. Archaism. *Mulcaveritis*.

Atque adeo acuratote. Praesertim vero accuratote. Coniunctim usurpantur hae duae particulae, quum maius aliquid aut gravius additur. Idem valent atque *imo*, *quin etiam*, *prae caeteris*, *praesertim*.

Ut ne legi fraudem fecerint talariae. Ne peccent adversus legem talariae. Talaria vero lex est ratio et norma in usu talorum servanda.

Sine talis agitent convivium. Talis non ludant inter convivandum. Consvenerunt veteres talorum lusione convivia exhibitare.

Atque adeo agitent convivium. locatur Plautus in ancipiti verborum sensu. Quum videlicet *talus* significet pedis partem (*il tallone*), pariterque eburneum instrumentum (*il dado*), quo ludendi causa, ut nos hodieque, veteres utebantur; hoc sibi voluit Plautus: hoc praecacteris

PALAESTRIO.

Nescio quid malefactum a nostra huic familia est, quantum audio:

Ita senex talos elidi iussit conservis meis.

Sed me excepit; nihili facio, quid illis faciat ceteris.

Adgrediar hominem; et nunc advorsum me est quasi.

Quid agis, Periplectomene?

15

PERIPLECTOMENES.

Haud multos homines, si optandum foret,

Nunc videre et convenire, quam te, mavellem.

PALAESTRIO.

Quid est?

QUID TUMULTUAS CUM NOSTRA FAMILIA? OCCISI SUMUS.

Quid negotii est?

PERIPLECTOMENES.

Res palam est:

PALAESTRIO.

Quae res palam est?

PERIPLECTOMENES.

De tegulis

Modo nescio quis inspectavit vestrum familiarium

Per nostrum impluvium intus apud nos Philocomasium atque hospitem. 20

Osculantis.

vobis impero, ut talos seu crura vicini servis perfringatis, qui posthac lectum nostrum conscenderint.

Nescio quid malefactum etc. Nescio quid nostra familia in hunc senem peccaverit.

Talos elidi. Crura confringi.

Me excepit. Me exclusit.

Nihili facio, quid etc. Nihil pensi habeo quod malum sit ceteris illaturus.

Adgrediar hominem. Accedam ad illum colloquendi causa. Nos: *andrò a fargli motto.*

Et nunc advorsum me est quasi. Et quidem est quasi conversus ad me. *Italico: e pare venirmi incontro egli stesso.*

Si optandum foret. Si mihi facultas esset eligendi.

Quam te. Subaudi *magis.*

Occisi sumus. Nos: *siamo perduti.*

Res palam est. La cosa è chiara.

PALAESTRIO.

Quis homo vidit?

PERIPLECTOMENES.

THOS CONSERVOS.

PALAESTRIO.

Qui is homo est?

PERIPLECTOMENES.

Nescio: ita abripuit repente sese subito.

PALAESTRIO.

Suspicio,

Me pertisse.

PERIPLECTOMENES.

Ubi abiit, conclamo: Heus, quid agis tu? inquam. Mihi
Ille, abiens, ita respondit, se sectari simiam.

PALAESTRIO.

Vae mihi misero, quoi pereundum est propter nihili bestiam!
Sed Philocomasium hiccine etiam nunc est?

PERIPLECTOMENES.

Quom exhibam, hic erat.

PALAESTRIO.

Sis, iube transire huc, quantum possit, se ut videant domi
Familiars, nisi quidem illa nos volt, qui servi sumus,
Propter amorem suom omnis crucibus contubernalis dari.

PERIPLECTOMENES.

Dixi ego istuc, nisi quid aliud vis.

*Suspicio. Credo.**Nihili bestiam. Nullius pretii bestiam.**Sis. Si vis. Usurpatur haec particula quom quidpiam imperatur, et imperium quodammodo lenire cupimus. Itali: se ti piace.**Quantum possit. Quam celerrime possit.**Se ut videant domi. Ut ipsam domi esse videant.**Crucibus dari. Crucitari.**Omnis contubernalis. Arch. Omnes contubernaes. Contubernalia proprie dicitur miles, qui una cum aliis sub eodem tentorio habitat. Translate hic ponitur pro eo quod est familiaris, domesticus, qui in eadem domo cum aliis vivit.**Dixi ego istuc, nisi quid aliud vis. Si nihil aliud a me petis, hoc iam habe pro dicto. Nos: tienlo per detto.*

PALAESTRIO.

Volo. Huic dicito, utrumque, 30
Artem et disciplinam, obtineat et colorem.

PERIPLECTOMENES.

Quemadmodum?

PALAESTRIO.

Ut eum, qui se vidit vero, vincat, ne se viderit;
Si quidem centiens hic visa sit, tamen inficias eat.
Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam,
Confidentiam, confirmatam, fraudulentiam: 35
Qui arguat se, eum contra vincat iureiurando suo.
Domi habet animum falsiloquom, falsificum, falsiurium;
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala:

Huic, Arch. Huic, idest Philocomasio.

Utrumque artem et disciplinam, obtineat et colorem. Dicito Philocomasio, ut haec duo servet, artificium nempe et colorem; hoc est dicito huic ut simulet, neque mutet colorem.

Ut... vero vincat. Ut illum, qui ipsam in aedibus nostris vidit osculantem, argumentis convincat, non vidisse.

Si quidem centiens. Etiam si centies.

Os habet. Philocomasium est impudens. Eleganter os ponitur a Latinis pro impudentia. Cic. Verr. V. 10: Si Appii os haberem. Ovid. Her. xvi. 109: Non tibi plus cordis, sed minus oris adest.

Linguam. Subaudi mendacem.

Confidentiam. Audaciam.

Confirmatam. Animum firmum et imperturbatum.

Qui arguet se. Si quis illam convincat.

Domi habet animum falsiloquom etc. Illa domi habere dicimus, quae in nobis sita sunt, neque opus est, nos ab aliis mutuari. Philocomasium in promptu habet animum falsiloquom. Nos: *costei ha alla mano le bugie, gl' inganni, gli spergiuri.*

Delenifica facta. Facta quae homines alliciunt, et vel non sentientes in fraudem impellunt.

Nam mulier olitori..... ad omnis moles maleficas. Festive admodum Plautus hominem fraudulentum comparat cum olitori; mulieris fraudes et fallacias cum noxiis oleribus; malum vero mulieris ingenium cum horto, in quo olera illa nascuntur. Sensus est: si qua mulier est mala, necesse non habet astutias et fraudes ab aliis petere; has abunde suppeditat improba illius natura.

Domi habet hortum et condimenta ad omnis moles maleficas. 40

PERIPLECTOMENES.

Ego istaec, si erit hic, nuntiabo. Sed quid est, Palaestrio,
Quod volutas tute tecum in corde?

PALAESTRIO.

Paulisper tace,

Dum ego mihi consilia in animum convoco, et dum consulo,
Quid agam, quem dolum doloso contra conservo parem,
Qui illam hic vidit osculantem: id visum ut ne visum siet. 45

PERIPLECTOMENES.

Quaere; ego hinc abscessero abs te huc interim. — Illuc, sis, vide,
Quemadmodum adstitit, severa fronte curas cogitans!
Pectus digitis pultat: cor, credo, evocaturus foras.
Ecce avortit visus; laevo in femine habet laevam manum,
Dextera digitis rationem computat, feriens femur 50

Domi habet hortum etc. Ex ipso suo ingenio omnes malitias depromit mulier.

Moles maleficas. Machinas, dolos.

Quod volutas etc. Quid tecum ipse reputas?

Dum consilia in animum convoco etc. Dum perpendo, delibero.

Quem dolum conservo parem. Quo dolo conservum aggrediar.

Id visum ut ne visum siet. Ut, quod vidit, credat se non vidisse.

Illuc, sis, vide etc. Graphicam hic habes, lector, cogitabundi hominis descriptionem, qui vultu, gestu et totius corporis habitu interiorem animi sui notam patefacit.

Vide quemadmodum adstitit. Nos: *ve' qual positura.*

Curas cogitans. Cogitare est plura in unum cogero, unde aliquid colligamus. Itaque *curas cogitare* idem valet atque omnes curas suas ad rem unam convertere. Itali: *raccogliersi in un pensiero.*

Pectus digitis pultat. Ad hominum mores depingendos egregie comparata sunt haec verba. Haud raro enim fieri videmus, ut qui rem aliquam meditantur, et toti sunt in illa, cava manu summis digitis pectus appetant.

Cor, credo, evocaturus foras. Plautinus iocus ad exhilarandam caveam.

Dextera digitis rationem computat. Nos: *sa i suoi conti colle dita della mano destra.* Nimirum habebant vetores *δακτυλίου μέτρον*, quod numeros certis digitorum gestibus exprimere docebat. De hac veterum ratione computandi per digitos vido Nicolai Smyrnaei libellum *περί δακτυλίου μέτρον* in Possini Spicileg. Evang.; item disputationem Prisciani Caesariensis aliorumque in antiquitatib. rom. Io. Georgii Graevii, xl. 1675. Ad hunc morem spectant illa Plinii (Ep. II. 20.) verba de Regulo quodam: *Agitat digitos, computat nihil.* Cf. Ovid ex Pont. II. 3. 18; Senec Ep. LXXXVIII. 9; Quint. Inst. orat. I. 10.

Dexterum: ita, vehementer quod factu opus est, aegre suppetit,
 Concrepuit digitis: laborat. Crebro commutat status.

Eccere autem capite nutat! Non placet, quod reperit,

Quidquid est, incoctum non expromet: bene coctum dabit.

Ecce autem aedificat: columnnam mento subfulsit suo.

55

Apage: non placet profecto mi illa inaedificatio:

Nam os columnatum poëtae esse indauidi barbaro,

Ferrens femur dexterum. Irati hominis hoc est, cui aegre succurrit quid agendum sit.

Illa, vehementer quod factu opus est, aegre suppetit. In hunc ordinem digerenda sunt verba: ita aegre illi suppetit, quod vehementer factu est opus. Nos: *tanto egli stenta a trovare ciò che massimamente gli abbisogna.*

Concrepuit digitis: laborat. Crebro commutat status. Haec omnia Palaestronis animum produunt, in cogitatione aliqua defixi, atque in id praesertim laborantis, ut ex ingenio suo quidpiam excudat. Itali: *fa scricchiolare le dita, è inquieto, e va mutando positura.*

Eccere. Arch. *Ecce.*

Capite nutat etc. Capitis motu significat, sibi non placere quod haecenus excogitavit.

Quidquid est, incoctum non expromet etc. Translate aliquid coquere Latinis est etiam atque etiam considerare. Sic Liv. viii. 3: Omnibus consultationibus iuter se principes occulte romanum coquebant bellum. Incoctum non expromet, bene coctum dabit. Nos: *non si appiglierà ad alcun partito, senza averlo ben bene esaminato.*

Ecce autem. Haec formula usurpatur de rebus magnis, mirabilibus et de his, quae nova et improvisa animo accidunt. Cf. Curc. l. 2. 41; Men. V. 2. 34; Most. iii. l. 131; Virg. Aen. ii. 203; Cic. Verr. V. 34; de leg. l. 2. 5; de rep. l. 35.

Aedificat: columnnam mento subfulsit suo. Ludicrum dictum, quo significatur status Palaestronis, brachio, tamquam columna, mentum suum sustentantis, quemadmodum saepe faciunt, qui in aliqua cogitatione curaque versantur.

Apage. *ἄπαγε* est modus imperativus verbi graeci ἀπάγω, amoveo. Ital. *lungi, via.* Utuntur haec interiectione Latini, quum indignanter et fastidiose res amoliuntur, quae probari non possunt, aut iniucundos et molestos homines reiciunt; unquam vero, ut Graeci interdum soleant, in tranquilla compellatione.

Os columnatum poëtae esse indauidi barbaro etc. Pertinent haec verba ad Naevium, quem aiunt in vineula fuisse coniectum, proptereaquod comico lusus in potentiorum libidinem lactasset, et Scipionem praesertim maledicto laesisset. Columnatum vero per iocum appellat noster caput poëtae, hoc est brachio subnixum. Verisimile enim fit, eo statu sedisso Naevium in carcere, fabulis commentandis intentum, et de recuperanda libertate sollicitum. Neque mireris, lector, Naevium a Plauto barbarum

Quoi bini custodes semper totis horis adcubant.

Euge, euge, euscheme adstitit hercle, dulice et comoedice!

Nunquam hodie quiescet, priusquam id, quod petit, perfecerit. 40

Habet, opinor. Age, si quid agis! vigila! ne somno stude,

Nisi quidem hic agitari mavis varius! vigila! Tibi ego dico! Au,

Feriatu ne sis! Heus, ted adloquor, Palaestrio!

Vigila, inquam! expergiscere, inquam! lucet hoc, inquam!

PERIPLECTOMENES.

Viden' hostis tibi adesse tuoque tergo obsidium? consule! 45

appellari pro eo quod est latinum. Hoc enim dicitur Graecorum more, qui *barbarum* vocabant quidquid graecum non esset. Haud aliter in prologo *Asinariae* (vers. 10): Marcus, ait, hanc fabulam vortit *barbare*, hoc est *latine* reddidit.

Quoi bini custodes etc. Neque binos canes puto hic significari a poeta, uti quibusdam visum est, neque rursus duo vincula, ut aliis placuit, sed ambos lacertos, quibus homo meditabundus caput sustentaret.

Euge, euge. Particula laudantis a graeco εὐγε. Nos: *bene, benissimo.*

Euscheme. A graeco adverbio εὐχηματι, decore, venuste. Euscheme adstitit, hoc est ad decorum et venustatem gestum suum composuit. Cf. Triqum. III. 1. 24.

Dulice, graeco δουλιως, serviliter. Dulice et comoedice, idest praecare servi personam agit Palaestrio in comodia.

Habet, opinor. Tibi ego opinor, tandem Palaestrio consilium excogitavit, quod sequatur. Hoc autem Periplectomenes ex eo coniecit, quod Palaestriorem vidcat quiescentem.

Age, si quid agis! Formula hortantis et iubentis. Hac praesertim utimur, quum aliquem velimus monere, ut attentum animum ad illa adverterat, quae agit. Nos: *Via da bravo, attento a quello che hai per le mani.*

Agitari varius. Virgis adeo caedi, ut entis tua varii coloris fiat; hic videlicet rubrum, illic fuscum ex Virgarum ictu colorem contrahat. Cf. Poenul. Prol. 25; Pseud. I. 2. 12; Catull. LXIII. 351.

Au. Interfectio aliquid repudiantis, aut cum indignatione aliqua admonentis, aut precibus instantis, ut res aliter fiat.

Feriatu ne sis! Ne cesses ab opere.

Expergiscere, lucet hoc. Coelum lucet. Haec δουλιως a Periplectomene dicuntur, digito nempe aut vultu in coelum erecto. Sensus est: iam non est dormiendum, Palaestrio; vide, iam illucescit; operi instandum. Nos: *giò spunta il giorno.*

Viden' hostis tibi adesse etc. Lepide senex allegoria usus, a re militari deprompta, Palaestriorem monet ut rebus suis diligentissime prospiciat.

Tuo tergo obsidium. Hoc est plagas tuo tergo imminentes.

Opem auxiliarius. Vires et milites auxiliares.

Arripe opem auxiliumque ad hanc rem! Propere hoc, non placide, decet.

Antemoeni aliqua! aliquo tu autem circumduce exercitum!

Cura obsidum perduellis; nostris praesidium para!

Interclude inimicis conneatum; tibi muni viam,

Qua cibatus conneatusque ad te et legiones tuas

50

Tuto possit pervenire! Hanc rem age: res subitaria est.

Reperi! conminiscere! cedo calidum consilium cito:

Quae hic sunt visa, ut visa ne sint; facta infacta uti sient.

Magnam illic, *mi* homo, rem incipissis; magna moenis moenia!

Tute unus si recipere hoc ad te dicis, confidentia est,

55

Nos inimicos profligare posse.

PALAESTRIO.

Dico et recipio ad me.

PERIPLECTOMENES.

Et ego te impetrare dico id, quod petis.

Propere hoc, non placide, decet. Subaudi: fieri, accurari.

Antemoeni. Archaism. Ante muni, praemuni aliqua ratione tua castra.

Cura obsidum perduellis. Obsidium perduelles, rarior dictio pro vulgari: obsidium perduellium. Sic Sall. Fragm. hist. lib. 111: *Facta consultaque Alexandri aemulus erat Pompeius, hoc est aemulabatur.* Cura obsidum perduelles. Ital.: *procura di assediare i nemici.* Perduellis vero dicitur qui pertinaciter bellum gerit. Cic. Offic. I. 12: Illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine *perduellis* esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud maiores nostros dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.

Cibatus. Cibus, res frumentaria.

Conneatus. Omnis bellicus apparatus.

Hanc rem age. Idem quod, age si quid agis.

Res subitaria est. Res nulla mora est peragenda.

Conminiscere. Excogita.

Cedo. Ede, profer.

Calidum consilium. Est consilium subitarium, sudax, animosum. Cf. Epid. II. 2. 71; Torent. Eun. II. 3. 88; Liv. XXI. 32; Cic. Offic. I. 24.

Incipissis. Archaism. Incipis, aggredieris.

Magna moenis moenia. Difficile et magnum opus moliris.

Moenis. Archaism. Munis.

Recipere hoc ad te. Rei eventum et periculum in te suscipere.

Tute unus si profligare posse. Si tu promittis, fore, ut negotium periculo tuo conficiatur, spes est, posse nos inimicos profligare.

Dico et recipio ad me. Nos: lo dico, e l'impegno la mia fede.

Impetrare. Obtenturum.

PALAESTRIO.

At te Iupiter

Bene amet!

PERIPLECTOMENES.

At tu inpartì, amice, me, quod commentus.

PALAESTRIO.

Tace,

Dum in regionem astutiarum mearum te induco, ut scias
Iuxta mecum mea consilia.

PERIPLECTOMENES.

Salva sumes indidem.

60

PALAESTRIO.

Herus meus elephantì corio circumtentust, non suo,
Neque habet plus sapientiai, quam lapis.

PERIPLECTOMENES.

Egomet scio.

PALAESTRIO.

Nunc sic rationem incipissam, sic instituum astutiam,
Ut Philocomasio hanc sororem geminam germanam alteram
Dicam Athenis advenisse cum amatore aliquo suo

65

At te Iupiter bene amet. Formula bene precantis. Nos: *ti sieno propizi gli dei.**At tu inpartì etc.* Fac me participem consilii, quod excogitasti.*In regionem astutiarum mearum te induco.* Astutias meas tibi aperio.*Iuxta mecum.* Aeque ac ego. Cf. Aulul. iv. 3. 1; Pers. ii. 2. 67; Pseud. iv. 7. 62; Sall. Catil. LVIII.*Salva sumes indidem.* Comica locutio, translata a rebus creditis ac depositis, qua Periplectomenes pollicetur, se commissum arcanum nemini esse vulgaturum. Sensus verborum est: quae apud me deposueris, tu poteris ex eodem loco salva et integra recipere.*Herus meus elephantì corio etc.* Locutio proverbialis, quae idem sonat ac: herus meus crassa est Minerva, stupidus est, nihil sentit. Translata metaphora ab elephanto, cuius corium durissimum est atque impenetrabile. Itali: *il padron mio è un gran mestolone.**Neque habet plus sapientiai etc.* Bardus est atque hebes.*Incipissam.* Arch. Incipiam.

Tam similem, quam lacte lacti est: apud te eos hic devortier
Dicam hospitio. . . .

PERIPLECTOMENES.

Euge, euge, lepide! laudo commentum tuum!

PALAESTRIO.

Ut, si illanc concriminatus siet advorsum militem
Meus conservos, eam vidisse cum alieno oscularier,
Arguam hanc vidisse apud te contra conservom meum
Cum suo amatore amplexantem atque osculantem.

70

PERIPLECTOMENES.

Imo optume!

Idem ego dicam, si me exquaeret miles.

PALAESTRIO.

Sed simillumas

Dicito esse; et Philocomasio id praeciendum est, ut sciat,
Ne titubet, si quaeret ex ea miles.

PERIPLECTOMENES.

Nimis doctum dolum!

Sed si ambas videre in uno miles concilio volet,

75

Tam similem, quam lacte lacti. Locutio proverbialis, quum de rebus loquimur adeo similibus, ut internosci non queant. Cf. Amph. II. 1. 54; Merc. v. 9. 30. Haud aliter in proverbio est aquae et ovorum inter se similitudo.

Lacte. Arch. Lac.

Apud te devortier hospitio. Hic apud te hospitari. *Devortier*, archaism. divertero, diversari; quod est ad breve solum tempus apud aliquem commorari.

Ut, si illanc concriminatus etc. Sensus est: ut, si forte conservus meus accusaverit Philocomasium apud militem, dicens, se illam vidisse osculantem in domo tua hominem alienum, ego contra affirmem, eundem hunc meum conservum toto coelo errasse, et vidisse non Philocomasium, sed illius germanam sororem apud te amplexantem atque osculantem cum suo amatore.

Imo optume! Optimum profecto est commentum tuum. Nos: *P'hai inventata bella davvero!*

Si me exquaeret. Si quaeret ex me, si me interrogabit.

Philocomasio id praeciendum. Hac de re monenda est Philocomasium.

Ne titubet. Ne in respondendo anceps haereat.

Nimis doctum dolum! O dolum ingeniosissime excogitatum!

Sed si ambas videre in uno miles concilio volet. Hinc discant studiosi

Quid agimus?

PALAESTRIO.

Facile est: trecentae possunt causae conligi:

» Non domi est; abiit ambulatum; dormit; ornatur; lavat;

» Prandet; potat; occupata est; operae non est; non potest ».

Quantum vis prolationum, dum modo nunc prima via

Inducamus, vera ut esse credat, quae mentibitur.

80

PERIPLECTOMENES.

Perplacet, uti dicis.

PALAESTRIO.

Intro abi ergo, et, si isti est, mulierem
lube cito domum transire atque haec ei monstra: praecipe,
Ut teneat consilia nostra, quemadmodum exorsi sumus,
De gemina sorore.

quaenam sit propria significatio vocis *ambo*, quae ab indoctis saepe confunditur cum voce *uterque*. Nimirum *ambo* usurpatur de iis, qui aliquid coniunctim et nno tempore quidpiam faciunt; *uterque* ponitur de illis, qui diverso tempore et separatim quid faciunt. Hoc nempe sibi voluit Periplectomenes: si miles hasce duas sorores videre volet eodem tempore atque in eodem loco, quidnam consilii capiemus? Erit igitur italice: *ma se il soldato le vorrà vederç tutte due nello stesso tempo raccolte in un solo luogo, come faremo?*

Facile est. Elliptica dictio. Subaudi: facile est rem expedire, huic difficultati occurrere.

Trecentae possunt causae conligi. Innumerae possunt causae excogitari, ob quas ambae sorores in uno eodemque loco nequeant videri. Nimirum nobis licebit dicere: una ex his non est domi; abiit ambulatum etc.

Lavat. Nos: *è nel bagno.*

Potat. Potare dicuntur qui non ad naturae necessitatem, sed largius, affluenter atque ad ebrietatem usque bibunt.

Operae non est. Commodum non est, non est vacua. Ital. *non ha tempo.*

Quantum vis prolationum. Licebit nobis pro arbitrio rem differre, procrastinare.

Nunc prima via inducamus. Nunc initio ei persuadeamus.

Quae mentibitur. Archaism. Illa, quae Philocomasinum mentietur.

Isti. Romani Graecos imitati, casum dativum *isti* primum usurparunt ad locum designandum; postea vero addita littera demonstrativa *c*, fecerunt adverbium *istic*.

Domum transire. Intellige domum, ubi erat miles.

Haec. Subaudi: quae a nobis sunt excogitata ad fallendum militem.

Exorsi sumus. Inivimus.

PERIPLECTOMENES.

Docte tibi illanc perdoctam dabo.

Numquid aliud?

PALAESTRIO.

Intro. ut abeas.

PERIPLECTOMENES.

Abeo quidem.

PALAESTRIO.

Ego ibo domum 85

Atque *hemonem* investigando sumam operam, hinc dissimulando,
Qui fuerit conservos, qui hodie sit sectatus simiam.

Nam ille non potuit, quin sermone aliquem familiarium

Participaverit de amica heri, vidisse sese eam

Hic in proxumo osculantem cum alieno adolescentulo. 90

Novi morem ego: « Tacere nequeo, quae solus scio ».

Si invenio, qui vidit, ad eum vineas pluteosque agam.

Res parata est: vi pugnandoque hominem capere certa res!

Si ita non reperio, ibo odorans, quasi canis venaticus,

Usque donec persecutus vulpem ero vestigiis. 95

Docte perdoctam. Probe doctam. Perfamiliares sunt Plauto huiusmodi verborum lusus. Sic Cas. III. 1. 8: scite scitus; Cist. IV. 2. 91: misore miser; Rud. IV. 3. 38: impudenter impudens.

Numquid aliud? Formula abeantis. Subaudi: tibi dicendum restat? Nos: *hai tu altro a dirmi?*

Hemonem. Arch. Hominem.

Atque hemonem investigando sumam operam. Atque operam dabo homini investigando.

Hinc. Ob hanc causam.

Sermone aliquem participaverit etc. Aliquem participem fecerit sermonis sui de amica heri, dicens, se vidisse eam etc.

Novi morem. Subaudi: servorum.

Ad eum vineas pluteosque agam. A re militari allegoriam hausit noster, significaturus, se manibus pedibusque obnixè omnia facturum, ut Sceledro et militi fucum faciat, iisque persuadeat, duas esse sorores germanas, simillimas inter se. *Vineae* nimirum et *plutei* fuerunt machinae bellicae, tabulis et cratibus contextae; quibus machinis tecti milites, ad moenia obsessae urbis accedebant, ut illa diruerent, aut militare aliquid opus facerent.

Donec persecutus vulpem ero vestigiis. Donec vulpis vestigia ero persecutus, allegoria a venatione deprompta.

Sed fores concrepauerunt nostrae: ego voci moderabo meae:
Nam illic Philocomasio custos, meus conservos; it foras.

ACTUS II. - SCENA III.

SCELEDRUS, PALAESTRIO.

SCELEDRUS.

Nisi quidem ego hodie ambulavi dormiens in tegulis,
Certo edepol scio, me vidisse hic proxumae viciniae
Philocomasium herilem amicam sibi alienum quaerere.

PALAESTRIO.

Hic illanc vidit osculantem, quantum hunc audivi loqui.

SCELEDRUS.

Quis hic est?

PALAESTRIO.

Tuos conservos. Quid agis, Sceledre?

SCELEDRUS.

Te, Palaestrio,

5

Volupe est convenisse.

Voci moderabo meae. Tacebo.

Nisi quidem ego etc. Dum Palaestrio omni mente in ea cogitatione versaretur, ut conservum inveniret, qui Philocomasium viderat cum Pleuside osculantem in domo Periplectomenis, ecce Sceledrus illi occurrit, qui ultro omnia narrat, quae ex tecto prospexerat, dum simiam sectaretur. Quo facto Plautus servorum mores graphice expressit, qui natura loquaces, nihil ex iis quae audiunt aut vident reticere consueverunt.

Nisi quidem ego hodie ambulavi dormiens. Nisi hodie somniavi, me ambulasse in tegulis.

Hic proxumae viciniae. Illic in proxima vicinia. Haud raro apud comicos adverbium hic coniungitur cum casu patrio nominis, quod locum designat. Cf. Terent. Andr. l. t. 41: Phorm. l. 2. 45.

Sibi malam rem quaerere. Sibi damnum quaerere. Nos: *cercarsi il suo malanno.*

Quantum hunc audivi loqui. Ital.: *per quel che ho udito da costui.*

Volupe est. Gratum est.

PALAESTRIO.

Quid iam, aut quid negoti? fac sciam.

SCELEDRUS.

Metuo.

PALAESTRIO.

Quid metuis?

SCELEDRUS.

Ne hercle hodie, quantum hic familiarium est,
Maximum in malum cruciatumque insaliamus.

PALAESTRIO.

Tu sali

Solus: nam ego istam insulturam et desulturam nil moror.

SCELEDRUS.

Nescis tu fortasse, apud nos facinus quod natum est novum.

10

PALAESTRIO

Quod id est facinus?

SCELEDRUS.

Inpudicum.

PALAESTRIO.

Tute sci solite tibi;

Mihi ne dixis: scire nolo.

SCELEDRUS.

Non enim faciam, quin scias.

Quantum hic familiarium est. Quotquot servi hic sumus.

Maximum in malum cruciatumque insaliamus. Maximis cruciatibus simus afflicendi; locutione ab iis petita, qui supplicii causa crucem ascendere cogerentur. Unde Plautus crucisalos appellat servos, hoc cruciatu plectendos.

Tu sali solus: nam ego istam insulturam et desulturam nil moror. Comice iocatur noster hisce verbis, quibus significat, velle a se cruciatu amoliri, quos Sceledrus memoravit.

Nil moror. Hac dicendi forma utuntur Latini, quum aliquid respuunt, contemnunt, aut certe non magnopere curare videntur. Italicè: non mi piace cotesto salire e discendere.

Tute sci solite tibi. Tu solus id scito pro more; ut qui saepe talium factuorum tibi sis conscius.

Dixis. Dixeris.

Non enim faciam, quin scias. Particula enim asseverationem addit tum

Siniam hodie sum sectatus nostram in horum tegulis.

PALAESTRIO.

Edepol, Sceledre, homo sectatus nihili nequam bestiam.

SCELEDRUS.

Di te perdant!

PALAESTRIO.

Te istuc aequom, quoniam ocepisti eloqui.

15

SCELEDRUS.

Forte fortuna per inpluvium huc despexi in proximum;
Atque ego illi adspicio osculantem Philocomasium cum altero
Nescio quo adolescente.

PALAESTRIO.

Quod ego, Sceledre, scelus ex te audio?

SCELEDRUS.

Profecto vidi.

PALAESTRIO.

Tuteh?

SCELEDRUS.

Egomet duobus his oculis meis.

PALAESTRIO.

Abi! non verisimile dicis, neque vidisti.

imperativo, tum futuro, quum pro imperativo ponitur. Profecto non patiar, te id ignorare. Sic Most. V. 2. 12: Non enim ibis. Ego ferare faxo, ut meruisti, in crucem. Pers. II. 2. 63: Enim non ibis nunc vicissim. Cic. Phil. II. 13: Attende enim paullisper. Id. Verr. II. 34: Attendite enim diligenter.

Horum. Δυστυχῶς. Subaudi: vicinorum.

Homo nihili. Nullus pretii. Nos: *uomo da nulla*. Saepe huiusmodi conviciis se mutuo petunt servi Plautini. Quod quidem ad servorum mores et ingenium pertinet.

Te istuc aequom etc. Aequum est, deos te perdere.

Forte fortuna. Idem valet ac forte. *A caso.* Cf. Bacch. IV. 8. 75; Terent. Eun. I. 2. 54; Id. Phorm. V. 6. 1; Cic. Divin. II. 7.

Despexi in proximum. Deorsum adspexi in aedes vicinas.

Illi. Illuc. V. II. 2. 101.

Scelus. Hyperb. Facinus.

Duobus his oculis meis. Formula quidpiam firmissime adseverantis. Nos etiam: *l'ho veduto con questi due occhi*.

Abi! Vox indignantis.

SCELEDRUS.

Num tibi

20

Lippus videor?

PALAESTRIO.

Medicum istuc tibi melius percontarier.

Verum enim tu istanc, si te dī ament, temere haud tollas fabulam:

Tuis nunc cruribus capitique fraudem hinc capitalem creas:

Nam tibi iam, ut pereas, paratum est dupliciter, nisi supprinis

Tuom stultiloquium.

SCELEDRUS.

Qui vero dupliciter?

PALAESTRIO.

Dicam tibi.

25

Primumdum, si falso insimulas Philocomasium, hoc perieris;

Iterum, si id verum est, tu eī custos additus perieris.

SCELEDRUS.

Quid fuit me, nescio; haec me vidisse, ego certo scio.

* *Lippus.* Proprie dicitur qui oculos habet lacrimantes: Itali appellant *risposi*. Hic vero ponitur pro homine, cui obtusior sit oculorum acies.

Medicum istuc tibi etc. Haec de re melius medicum quam me interro-gaveris. Hoc pertinet ad exhilarandos spectatores. Longe enim aliud re-spondet Palaestrio atque illi exspectabant.

Istanc temere haud tollas fabulam. Nisi velis tibi deos iratos, cave, ne falsum hunc rumorem in vulgus feras. Itali: *guardati dal divulgare questa falsa notizia*.

Cruribus capitique fraudem hinc capitalem creas. Compedes atque extre-mum supplicium tibi paras hac fabula de Philocomasio adolescentem oscu-lante. *Fraus* videlicet saepe pro damno aut poena solet usurpari.

Dupliciter. Duobus modis vel duabus causis.

Qui vero dupliciter? Quomodonam dupliciter?

Primumdum. Hanc formam unus fortasse latinorum scriptorum usurpat saepe Plautus in rerum enumeratione: Bacch. II. 3. 25; Most. II. 1. 53: Omnia *primumdum* accides iam fac oclusae sient; Rud. Prol. 31: *Primumdum* huic urbi esse nomen urbi Diphilus Cyrenas voluit; Trin. I. 2. 61; Truc. I. 1. 10. Haec autem particula *dum* idem plane valet ac grae-cum *πρῶτον*. Vulgo scribimus: Et, primo quidem.

Iterum. Nos: in secundo luogo.

Tu eī custos additus perieris. Tu quod indiligenter illam custodieris, peribis.

Quid fuit me. Quid futurum sit de me.

PALAESTRIO.

Pergis; infelix?

SCELEDRUS.

Quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?

Quin etiam nunc intus hic in proximo est.

PALAESTRIO.

Eho, non domi est?

30

SCELEDRUS.

Vise; abi intro tute: nam ego mihi nil credi postulo.

PALAESTRIO.

Certum facered est.

SCELEDRUS.

Hic te opperiar; eadem illi insidias dabo,

Quam mox horsum ad stabulum iunix recipiat se a pabulo.

Quid ego nunc faciam? Custodem me illi miles tradidit.

Nunc si indicium facio, interii; si taceo, interii tamen,

35

Si hoc palam fuerit. Quid peius muliere aut audacius?

Dum ego in tegulis sum, illac haec hospitio se edit foras.

Edepol facinus fecit audax! Hocceine, si miles sciat. —

Credo hercle, has sustollat aedis totas atque hunc in crucem.

*Intus hic est. Abi intro. Cf. Aulul. 1. 2. 3.**Eho, non domi est? Nos: come? non è ella in casa? Particula eho, comicis frequentata, praemittitur interrogationi ad significandam admirationem ob rem vix credibilem. Plaut. Cist. 1. 1. 70: Eho, an amare occipere amarum est? obsecro. Most. II. 2. 23: Eho, an tu tetigisti has aedes? V. 1. 35: Eho, an negavit sibi datum argentum?**Certum facered est. Profecto id faciam. Nos: ben vi andrò.**Eadem. Subaudi opera. Eodem tempore. Plaut. Pseud. 1. 3. 98: Lanios inde accessam duos cum tintinnabulis. Eadem duo greges virgarum inde ulnearum adgero.**Insidias dabo. Insidias faciam. Observabo. Itali: starò a vedere.**Horsum. Hunc locum versus.**Ad stabulum iunix recipiat se a pabulo. Lepide noster Philocomasium, ab amatore domum redountem, comparat cum iuvenca, quae a pabulo se ad stabulum recipiat. Huiusmodi autem comparationibus abundanti comici poetae, qui ad popularem loquendi rationem accedere student.**Iunix. Sync. quasi iuvenix, iuvenca.**Si indicium facio. Si iudico quae vidi.**Aedis totas. Metonymice. Omnes servos, qui sunt in aedibus.**Hunc. Subaudi hominem. Per hoc pronomen seipsum designat Sceledrus.*

Quidquid hercle est, mussitabo potius, quam inteream male. 40
 Non ego possum, quae ipsa sese venditat, tutarier.

PALAESTRIO.

Sceledre, Sceledre!

SCELEDRUS.

Quis homo interimit?

PALAESTRIO.

Alter est audacior?

Quis mage dis inimicis natus, quam tu, atque iratis?

SCELEDRUS.

Quid est?

PALAESTRIO.

Iuben' tibi oculos ecfodiri, quibus id, quod nusquam est, vides?

SCELEDRUS.

Quid? nusquam?

PALAESTRIO.

Non ego nunc emam vitam tuam vitiosa nuce. 45

SCELEDRUS.

Quid negoti est?

PALAESTRIO.

Quid negoti sit, rogas?

SCELEDRUS.

Cur non rogem?

Mussitabo. Tacebo.

Quae ipsa sese venditat. Quae velit pudicitiam in propatulo habere.

Quis homo interimit? Quis me obtundit? Quisnam uimio clamore mihi est molestus?

Quis mage dis inimicis natus? Quis te infelicio?

Iuben' tibi oculos ecfodiri, etc. Palaestrio ex militis domo rediens, in quam, hortante Sceledro, ingressus erat, visurus an ibi esset Philocomasium, hisce verbis Sceledrum aggreditur, eique magnum aliquid malum portendit, propterea quod falso puellam sit criminatus. Nonne, ait, tibi iubes oculos ecfodiri, quibus ea vidisti quae nunquam fuerunt?

Non emam vitam tuam vitiosa nuce. Proverbialis locutio, qua significamus, aliquem in summo capitis discrimine versari. Nos: Non darei per la tua vita una lisca.

Vitiosa nuce. idem quod nuce cassa, nullius pretii.

PALAESTRIO.

Nonne tibi istanc praetruncari linguam largiloquam iubes?

SCELEDRUS.

Quamobrem iubeam?

PALAESTRIO.

Philocomasium eccam domi, quam in proximo
Vidisse aibas te osculantem atque amplexantem cum altero.

SCELEDRUS.

Mirum est, lolio victitare te, tam vili tritico.

50

PALAESTRIO.

Quid iam?

SCELEDRUS.

Quia luscitiosus.

PALAESTRIO.

Verbero, edepol tu quidem
Caecus, non luscitiosus: nam eam quidem eccillam domi.

SCELEDRUS.

Quid? domi?

PALAESTRIO.

Domi herele vero.

SCELEDRUS.

Abi! ludis me, Palaestrio.

Eccam. Ecce eam.*Aibas.* Archaism. Aiebas.*Lolio victitare.* Locutio proverbialis, quae de illis usurpatur, qui parum oculis valent, atque idem sonat ac *coecutire*. Siquidem lolium dicitur caliginem oculis offundero.*Mirum est, lolio victitare te, tam vili tritico.* Miror, te lolio vitam sustentaro, quum tanta sit tritici vilitas. Nos: *essendo a così buon mercato il frumento*.*Luscitiosus,* Graecis *μυωπ* vel *μυωδιστῆς*, ille est, qui interdiu parum videt. Itali: *di vista debole*.*Verbero.* Verberibus dignus. Convicium in malum servum. Nos: *spalle da bastone*.*Tu quidem caecus, non luscitiosus.* Hinc patet quid differant inter se caecus et luscitiosus. Ad rem Seneca, Benef. III. 1: *Luscitiosi oculi sunt, qui lucem reformidant; caeci, qui non vident.**Abi!* Particula indignantis. Abi! ludis me. Itali: *va, che tu vuoi la baia*.

PALAESTRIO.

Tum inquinatae mihi manus sunt.

SCELEDRUS.

Quidum?

PALAESTRIO:

Quia ludo luto.

SCELEDRUS.

Vae capiti tuo!

PALAESTRIO.

Tuo istuc, Sceledre; promitto fore,

Nisi oculos orationemque alia commutas tibi.

Sed fores concrepuerunt nostrae.

SCELEDRUS.

At ego illas observo foris:

Nam nihil est, qua hinc huc transire ea possit, nisi recto ostio.

Tum inquinatae mihi manus sunt. Comicus locus in ambiguo positus. Nimirum verba illa *ludis me* Palaestrio sic interpretatur, quasi Sceledrus dixerit: En, Palaestrio, ludis mecum (*giwocht con me*). Respondet autem Palaestrio: idcirco mihi manus sunt inquinatae, quia ludo cum te, homine lutulento.

Quidum? Particula *dum*, addita pronomini relativo *qui*, inservit interrogationi. Curnam? Plant. Amph. iv. 2. 13: M. Prodigium te fuisse oportet olim in adolescentia. Am. *Quidum?* Cf. Epid. ii. 2. 114; Men. I. 2. 51; Terent. Eum. ii. 2. 42.

Quia ludo luto. Quia ludo cum te, homine lutulento. Apud veteres *lutum* vel *coenum* fuit convicium in vilem ac sordidum hominem. Cic. in Pis. xxvi: O tenebrae, o *lutum*, o *sordies*; Id. Domit. xviii: O *coenum*, o portentum, o *scelus*; Cf. Catull. xlii. 13; Cic. Sext. viii; Plaut. Most. V. 2. 45.

Vae capiti tuo! Nos: quai a te!

Tuo istuc promitto fore. Istud vae capiti tuo promitto fore. Quae mala mihi praenuntias in caput tuum recident.

Nisi oculos orationemque commutas tibi. Nisi oculos tuos commutas, qui perperam vident, et verba, quae falso alios criminantur.

Alia. Subaudi ratione.

Illas observo foris. Intellige fores Periplectomenis, unde sperabat, se Philocomasium exeuntem esse visurum.

Nihil est, qua hinc huc transire etc. Nihil viae est, qua ex domo Periplectomenis in domum nostram ea possit transire.

Hinc huc etc. Haec verba *scelus* pronuntiantur a Sceledro.

Recto ostio. Ostio antico, in anteriori parteposito. Itali: *per la porta davanti*. Huic opponitur ostium posticum, *la porta di dietro*.

PALAESTRIO.

Quin domi eccam: nescio, quae te, Sceledre, scelera suscitant.

SCELEDRUS.

Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum: 60

Me homo nemo deterrebit, quin ea sit in his aedibus.

Hic obsistam, ne imprudenti huc ea se subrepsit mihi.

PALAESTRIO.

Meus illic homo est: deturbabo iam ego illuc de pugnaculis.

Vin' iam faciam, uti stultivium te fatearis. . .

SCELEDRUS.

Age, face.

Quin domi eccam. Imo ecce eam domi.

Quae te, Sceledre, scelera suscitant. Quae te agitant scelera. Ludit de more Plautus in verbis sono similibus.

Mihi ego video, mihi etc. Nempe hoc sibi vult Sceledrus: Monitoribus non egeo, qui oculos meos regant, meque doceant quid de rebus iudicandum mihi aut credendum sit. Nos: io non ho bisogno di consigliere; io veggo e conosco le cose, e presto gran fede a me stesso.

Me homo nemo deterrebit, quin ea sit etc. Nemo me eo deducet, ut credam, Philocomasium non esse in his aedibus Periplectomenis. Nessuno m'indurrà a credere, che ella non sia ecc.

Hic obsistam, ne imprudenti etc. Hic stabo in via speculaturus ad ostium, ne illa se mihi surripiat, quin sentiam. Perché la non si trafughi senza che io me ne ayveda.

Meus illic homo est: deturbabo etc. Ut haec verba plane assequatur lector, Sceledrum sibi ob oculos ponat, qui a Palaestrione aliquantulum secedens, ad Periplectomenis ianua propius accesserat, ut inde exeuntem Philocomasium necopinantem opprimeret. Interea Palaestrio haec secum: Meus ille homo est. Qua formula utimur latine, quum velimus significare, aliquem in insidias illi paratas incidisse, atque opportunam nobis illius fallendi occasionem esse ohlatam. Itali: l'uccello è in gabbia. Cf. Curc. 111. 61; Pseud. 11. 2. 6; 14. 7. 22.

Deturbabo iam illuc de pugnaculis. Pugnaculum locus est unde adversus hostem pugnamus. Iam illum de arce detrudam.

Iam. Statim, mox. Saepe usurpatur haec particula quum quidpiam illico fieri, vel futurum esso dicimus. Plaut. Asin. 1. 1. 76: Facio id ut paratum iam sit; Aul. 1. 2. 25: Iam ego hic ero. Cf. Terent. Eun. 14. 6. 26; Neautontim. 14. 6. 18; Horat. Sat. 1. 1. 16.

Vin' iam faciam, etc. Visne ut illico faciam, etc. Hic rursus Palaestrio colloquium serit cum Sceledro.

Stultivium. Stulte videntem.

PALAESTRIO.

Neque te quidquam sapere corde, neque oculis uti?

SCELEDRUS.

Volo.

65

PALAESTRIO.

Nempe tu istic ais esse herilem concubinam?

SCELEDRUS.

Atque arguo

Eam me vidisse osculantem hic intus cum alieno viro.

PALAESTRIO.

Scin' tu, nullum conneatum hinc esse et a nobis. . . ?

SCELEDRUS.

Scio.

PALAESTRIO.

Neque solarium neque hortum, nisi per impluvium?

SCELEDRUS.

Scio.

PALAESTRIO.

Quid nunc, si ea domi est, si faciam, ut exire hinc videas domo, 70
Dignus es verberibus multis?

Neque te quidquam sapere corde, neque oculis uti? Te perperam de rebus iudicare, neque oculis valere?

Nempe. Propria est colloqui haec particula, quae saepe usurpatur ab interrogante pro eo quod est: *nonne? estne ita?* Itali: *non è vero?*

Atque arguo eam me vidisse. Et contendo, affirmo, eam me vidisse. Nos: *è sostengo di averla veduta.*

Hic intus. In aedibus Periplectomenis.

Nullum conneatum hinc esse et a nobis? Nullum transitum esse ex hac domo et a nostra?

Solarium fuit apud Romanos locus in summis aedibus, lapidibus stratus, et soli expositus.

Neque solarium neque hortum, nisi per impluvium? Neque solarium esse neque hortum, qua in vicini aedes possit transiri, adeo ut oporteret impluvii murum transcendere? Nos: *che non vi ha nè un terrazzo, nè un giardino, per cui si possa passare; talehè converrebbe varcare il muro del cortile?*

Impluvium. Locus in aedibus sine tecto, in quem decidit pluvia.

Quid nunc? Quid nunc inquires?

Dignus es verberibus multis? Itali: *concederai tu allora di meritarti una buona bastonatura?*

SCELEDRUS.

Dignus.

PALAESTRIO.

Serva ista^s foris:

Ne tibi clam se subterducat istinc atque huc transeat.

SCELEDRUS.

Consilium est ita facere.

PALAESTRIO.

Pede ego iam illam huc tibi sistam in viam.

SCELEDRUS.

Agedum ergo face! — Volo scire, utrum ego id, quod vidi, viderim,
An illic faciat, quod facturum dicit, ut ea sit domi.

75

Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris;

Sed hic illi supparasitatur semper; hic ei proxumus;

Primus ad cibum vocatur; primo pulmentum datur.

Nam illic noster est fortasse circiter triennium,

Neque quoquam, quam illi, est in nostra melius famulo familia. 80

Consilium est ita facere. Nos: così ho intenzione di fare.

Pede ego illam etc. Illam statim ad te adducam, eamque pedibus stantem in via videbis.

Volo scire. Discedente Palaestrione, haec et sequentia secum ipse loquitur Sceledrus.

Nec rogo utendos foris. Neque alienis oculis utor. Né piglio ad imprestito gli occhi altrui.

Hic illi supparasitatur. Palaestrio domino nostro semper obsequitur. Interdum pronomina ille et ipse ponuntur pro nomine proprio hominis, qui satis sit notus, et licet non nominetur, statim tamen intelligitur qui sit; praesertim vero si agatur de domino. Vide adnot. ad l. 1. 24.

Hic ei proximus est. Nos: gli sta sempre a' fianchi.

Primo. Ei primo.

Pulmentum. Ponitur de cibo ad pultis modum facto, tenuioribus usitato, et servorum proprio.

Illic noster est fortasse circiter triennium, neque quoquam, etc. Vix tres anni effluxerunt, ex quo ille conservus est noster. Attamen est eo meliore conditione, quam nos; praecipuum locum apud herum obtinet. Haec quidem. secum ipse revolvens Sceledrus, conatur ex animo suo suspicionem evellere, quae ipsum pervasorat, Palaestriorem, videlicet militi infidelem, facere cum Philocomasio, eiusque amores obtigere.

Sed ego, quod ago, id me agere oportet, hoc observare ostium.
Hic obsistam: hac quidem pol certo verba mihi nunquam dabunt.

ACTUS II. - SCENA IV.

PALAESTRIO, PHILOCOMASIVM, SCELEDRVS.

PALAESTRIO.

Praecepta facito ut memineris.

PHILOCOMASIVM.

Toties monere mirum est.

PALAESTRIO.

At metuo, ut satis sis subdola.

PHILOCOMASIVM.

Cedo vel doctum, edocebo.

Memini malas, ut sint malae: mihi solae e quo superfit.

PALAESTRIO.

Age, iam nunc insiste in dolos: abs te ego procul recedam. —

Pol. Formula iurandi comicis perfamiliaris, ad cuius vim augendam alia interdum accedunt affirmationis vocabula: *certo*, *profecto*, *sane*. Cf. Plaut. Amph. I. 1. 215; Ter. Andr. I. 4. 2; Eun. IV. 4. 8; IV. 5. 5.

Praecepta facito etc. In hac scena Palaestrio et Philocomasium dolis et fallaciis Sceledrum aggreduuntur. Praesertim vero Philocomasium neque probris neque minis parcat; et iniecta etiam somnii narratione, summa ope nititur ut Sceledrus credat, se, quod reapse vidit, non vidisse. Et primo quidem Palaestrio puellam monet, ut praecepta meminerit, quibus illam docuit, quid facto opus esset.

Toties monere mirum est. Equidem miror, eadem a te me toties doceri.

At metuo, ut. At metuo, ne non.

Cedo vel doctum, edocebo. Da mihi hominem vel callidissimum; quidpiam tamen erit, quod a me discat.

Memini malas, ut sint malae. Scio quale sit malitiosarum ingenium.

Solae. Arch. Soli.

Mihi solae e quo superfit. Ex quo fonte malitiarum ego sola tot dolos haurio, ut redundent. Haud absurde diceret italice: *di malizia io sola ne ho da vendere*.

Iam nunc insiste in dolos. Quum res ita se habeat; quum, ut tute ais, sis vaferrima, incumbe in dolos.

Quid adstas, Sceledre?

SCELEDRUS.

Hanc rem gerod. Habeo auris: loquere, quid vis. 5

PALAESTRIO.

Credo, istoc exemplo tibi esse eundem ~~adstam~~ extra portam,
Dispessis manibus patibulum quom habebis.

SCELEDRUS.

Quannam ob rem?

PALAESTRIO.

Respicedum ad laevam! qui illaec est mulier?

SCELEDRUS.

Proh di immortales,

Heri concubina est haec quidem.

PALAESTRIO.

Mihi quoque pol ita videtur.

Agè, nunc iam, quando lubet

SCELEDRUS.

Quid agam?

Hanc rem gerod. Adsto.

Credo, istoc exemplo patibulum quom habebis. Ut Plautini huius loci sententiam assequaris, propone iam tibi ante oculos Sceledrum, qui distentis et passis manibus ad ianuam adstat Periplectomenis, ut Pbilocomasium apprehendat, quam inde sperat esse exituram. Palaestrio Sceledrum conspicatus in illo statu, credo, ait, tibi cito eundem esse extra portam hoc eodem exemplo (*in questa stessa positura*); passis videlicet manibus atque ad crucem alligatis. Improbi enim servi ad hunc modum extra portam Metiam ducebantur, ubi suppliciam de sontibus sumi solebat.

Respicedum. Frequenter comici particulam *dum* coniungunt cum verbis cohortantibus, cum imperativis et interiectionibus. Cf. *Plant. Cas. II. 6. 32; Men. II. 3. 73; Poen. V. 3. 103; Rud. III. 3. 5; Truc. II. 7. 66; Terent. Andr. I. 1: 1; Beaut. II. 3. 8; Hee. V. 4. 4; Phorm. II. 2. 15.* Falso autem veteres grammatici existimabant, hanc particulam vehementiam semper addere sententiae, et vim quamdam habere excitandi. Hoc non omnibus congruit exemplis; saepe vero praesens tantummodo tempus designat, haud aliter ac particula *de* apud Graecos.

Qui illaec est mulier? Qui pro genere feminino quae. Cf. *Asin. III. 1. 2.*

Quando lubet. Quoniam lubet.

PALAESTRIO.

Peri perpropere! 10

PHILOCOMASIVM.

Ubi istic bonus servos, propudi me qui maxume innocentem
Falso insimulavit?

PALAESTRIO.

Hem tibi! hic mihi dixit.

SCELEDRUS.

Tibi.

PHILOCOMASIVM.

Quem dixit

Tu te vidisse in proximo hic, sceleste, me osculantem?

PALAESTRIO.

Ac cum alieno adolescentulo dixit.

SCELEDRUS.

Dixi hercle vero.

PHILOCOMASIVM.

Tu' me vidisti?

SCELEDRUS.

Atque his quidem oculis.

PHILOCOMASIVM.

Carebis, credo, 15

Qui plus vident, quam quod vident.

SCELEDRUS.

Nunquam hercle deterrebor.

Peri perpropere! Locutio indignantis.

Ubi istic bonus servos? Ironice haec dicuntur a Philocomasio, eoque vultu, quem praesefere consueverunt qui in sinu gaudent, se alicui fucum fecisse.

Propudi. Probri, impudicitiae.

Hem tibi! Itali: *eccolo qua*.

Tibi. Subaudi *dixi*. Vox Sceledri affirmantis. Nos: *il dissi*.

Dixi hercle vero. Ex hisce duabus particulis coniunctis maior existit affirmationis vis. Nos: *lo dissi davvero*.

His quidem oculis. *Διευραξ*. Itaec ait Sceledrus, digitis nempe indice et medio porrectis oculos monstrando.

Carebis, credo. Subaudi *his oculis*. Hi videlicet oculi tibi effodientur.

Nunquam deterrebor, quin viderim etc. Nunquam fiet, ut non viderim etc.

Quin viderim id, quod viderim.

PHILOCOMASIVM.

Ego stulta moror multum,
Quae cum hoc insano fabulem, quem pol ego capitis perdam.

SCELEDRVS.

Noli minitari; scio crucem futuram tibi sepulcrum;
Ibi mei maiores sunt siti, pater, avos, proavos, abavos. 20
Non possunt tibi minaciis tuis hinc oculi fodiri.
Sed paucis verbis te volo, Palaestrio. — Obsecro, unde haec
Huc exit?

PALAESTRIO.

Unde, nisi domo?

SCELEDRVS.

Domo?

PALAESTRIO.

Me videto!

Ego stulta moror. En-comicum iocum in ambiguo positum. Singulari quadam significatione gaudet verbum *moror*, quum prima syllaba producit. Est enim a graeca voce *μωρῶς*, *stultus*, atque idem valet ac *desipio*. Huc faciunt quae habet Svetonius in vita Neronis, cap. xxxiii: (Nero) omnibus rerum verborumque contumeliis mortuum (Claudium) insectatus est, modo stultitiae, modo saevitiae arguens. Nam et *morari* eum inter homines desisse, producta prima syllaba, iocabatur. Cf. Plaut. Truc. iii. 1. 23. Nos: *io sono veramente pazzo*.

Fabulem. Colloquar.

Quem capitis perdam. Cui vitam adimam.

Ibi mei maiores sunt siti. Ibi maiores mei sunt sepulti; pro vulgari: ibi vitam finiverunt. Caeterum *hinc situs est*, *hic sita est*, *hic siti sunt*, solennes fuerunt formulae a verbo *sino* profectae, quas veteres Romani in epitaphiis usurpabant per litteras singulares H. S. E., H. S. S.

Non possunt tibi minaciis tuis hinc oculi fodiri. Minae tuae nullomodo facient, ut oculis caream, hoc est, ut ea non viderim, quae reapse vidi. Quae quidem verba, uti fit, gestu adiuvat Sceledrus, manum ad oculos admovendo.

Unde, nisi domo? Subaudi *sua*, vel *militis*.

Me videto! Fidem meam interpono, rem ita esse. Formula confidenter affirmantis, et alicuius rei eventum in se recipientis. Galli: *foi d'honneur*. Nos: *lo giuro sulla mia parola*: Cf. Merc. V. 4. 53; Trif. iii. 7. 79.

SCELEDRUS.

Video;

Nisi mirum est facinus, quomodo haec hinc potuerit transire;
 Nam certo neque solarium est apud nos neque hortus ullus, 25
 Nec fenestra, nisi clatrata. — Nam certo ego te hic intus vidi.

PALAESTRIO.

Pergin', scelestè, intendere hanc arguere?

PHILOCOMASIMUM.

Ecastor ergo

Mi haud falsum evenit somnium, quod noctu hac somniavi.

PALAESTRIO.

Quid somniasisti?

PHILOCOMASIMUM.

Ego eloquar. Sed, amabo, advertito animum.

Hac nocte in somnis mea soror gemina germana visa 30
 Venisse Athenis in Ephesum cum suo amatore quodam;
 Ili ambo hospitio huc in proximum devorti mihi sunt visi.

PALAESTRIO.

Palaestriionis somnium narratur. — Perge porro.

Videò. Palaestriionem iuranti iocose respondet Sceledrus: te quidem video; aliter videlicet quam decebat, graviorem illam Palaestriionis affirmationem interpretando. Quod quidem pertinet ad caveam hilarandam.

Nisi mirum est facinus. Itic particula *nisi* ponitur pro eo quod est *sed tamen, nisi quod*; atque excipiendi simul et adversandi vim oblinet. Graeci inquirunt $\epsilon\iota\sigma\iota$; Itali: *se non che*. Nisi mirum est facinus, quomodo haec hinc potuerit transire. Nos: *ma non so come costei abbia potuto passare di qui*. Haud aliter Cic. Ep. ad div. xii. 1. 73: De re nihil possum iudicare; *nisi* illud mihi certe persuadeo, te, talem virum, nihil temere fecisse.

Clatrata. Clatris, hoc est virgis ferreis vel ligneis munita.

Nam certo ego te hic intus vidi. Particula *nam* habet vim affirmandi, et inservit transitioni, quasi dicas: Certo autem ego te hic intus vidi. *E certamente io ti ho veduta qua dentro.* Haec quidem verba dubitatione aestuans Sceledrus convertit ad Philocomasium praesentem.

Intend, hanc arguere. Animum intendere ad Philocomasium accusandam.

Soror gemina germana. Soror eodem patre eademque matre uno partu necum in lucem edita.

Hospitio devorti. Commorandi causa divertere, hospitari, *fermarsi ad alloggiare*.

Palaestriionis somnium narratur. Haec secum ipse Palaestrio; quasi dicat: Euge optime! Philocomasium narrat quae ego dudum commentus sum.

PHILOCOMASIVM.

Ego laeta visa, quia soror venisset, propter eandem
Suspicionem maximam sum visa sustinere: 35
Nam arguere in somnis me meus mihi visus familiaris,
Me cum alieno adulescentulo, quasi nunc est, osculatam,
Quom illa osculata mea soror gemina esset suopte amicum.
Ita me insimulatam perperam falsum esse somniavi.

PALAESTRIO.

Satin' in vigilantis expetunt, quae in somnis visa memoras? 40
Praesentia hercule omnia! Heus, iam abi intro et conprecare.
Narrandum ego istuc Militi censebo.

PHILOCOMASIVM.

Facere certum,
Neque me quidem patiar probri falso inpune insimulatam.

SCELEDRUS.

Timeo, quid rerum gesserim; ita dorsus totus prurit.

Porro. Quom haec particula accedit ad verba, significat, quidpiam coeptum continuari.

Ego laeta visa, etc. Ego laeta quod soror venisset, propter eandem sororem in maximam suspicionem mihi videbar incidisse:

Arguere. Criminari.

Quasi nunc est. Uti nunc fit.

Falsum. Falso, immerito.

Satin' in vigilantis expetunt, quae etc. Nounes inter vigilantes accidunt, quae etc.?

Praesentia hercule omnia! Nos: affè che ogni cosa si è avverata!

Conprecare. Pertinet hoc verbum ad veterum superstitionem, qui multi erant in procurandis somniis. Nimirum, ut mala averterent, quae somnia iis portendebant, consueverunt Romani vino, ture ac mola salsa diis averruncis sacrificare. *Abi intro et conprecare,* hoc est: domum ingredi, et pacem ac veniam a diis petere, malorum depulsoribus. Cf. *Amphitr.* II. 2. 107 et seq.; *Martial.* Ep. VII. 54.

Narrandum ego istuc Militi etc. De industria ait Palaestrio, hoc esse militi narrandum, ut Sceledro praesenti metum iniiciat.

Facere certum. Hoc mihi certum est facere.

Ita dorsus totus prurit. Ea superstitione laborabant veteres, ut si quod ex membris forte pruriret, quidpiam mali huic immineret suspicarentur. Itac igitur prurigne iam verbera sibi servus omniatur. Cf. *Amph.* I. I. 130; *Bacch.* V. 2. 74; *Poen.* V. 5. 36.

PALAESTRIO.

Scin', te periisse? nunc quidem *est* domi certo.

SCELEDRUS.

Certa res est, 45

Nunc nostrum observare ostium, ubiubi est.

PALAESTRIO.

At, Sceledre, quaeso,

Ut ad id exemplum somnium quam simile somniavit,

Atque, ut tu suspicatus es, eam vidisse osculantem!

SCELEDRUS.

Non arbitraris?

PALAESTRIO.

Nae hercle opinor. — Obsecro, respisce!

Ad herum si haec res pervenerit, peristi ob oculos pulcre! 50

SCELEDRUS.

Nunc demum experior, prius mihi caliginem obstitisse.

PALAESTRIO.

Dudum edepol hoc planum quidem: quae hic usque fuerit intus.

SCELEDRUS.

Nihil habeo certi, quod loquar. Non vidi eam, etsi vidi.

PALAESTRIO.

Nae te edepol stultitia tua nos paene perdidisse!

*Scin' Scisno?**Certa res est, nunc nostrum observare ostium. Nos: ora voglio far la guardia alla nostra porta.**Ubiubi. Ubiicumque.**Ut. Quomodo. Inservit admirationi.**Ut ad id exemplum somnium quam simile somniavit! Quomodo somnium huic facto simillimum somniavit!**Atque, ut tu suspicatus es. Subaudi: atque somniavit, ut tu suspicatus es.**Non arbitraris? Subaudi: me eam non vidisse arbitraris?**Nae hercle. Gravior affirmatio.**Peristi ob oculos pulcre. Oculorum causa prorsus peristi.**Nunc demum experior. Nos: or finalmente conosco a prova.**Prius mihi caliginem obstitisse. Antea caliginem mihi obstitisse, quominus viderem.**Quae hic usque fuerit intus. Utpote quae fuerit hic in domo nostra.**Te edepol... nos... perdidisse! Animadvertite, lector, quemadmodum edepol eleganter iungatur cum modo infinitivo.*

Dum te fidelem facere hero voluisti, absumptus paene!
Sed fores vicini proximi crepuerunt: contisciscam.

ACTUS II. - SCENA V.

PHILOCOMASIVM, PALAESTRIO, SCELEDRVS.

PHILOCOMASIVM.

Inde ignem in aram, ut Ephesiae Dianae lautas laudes
Gratisque agam, eique ut Arabico fumificem odore amoene,
Quae me in locis Neptuniis templisque turbulentis
Servavit, saevis fluctibus ubi sum adflictata multum.

SCELEDRVS.

Palaestrio! eho, Palaestrio!

Propositum pertinacissime tenent Philocomasium et Palaestrio, aliamque machinam ad Sceledrum commoliuntur. Nimirum ex composito Philocomasium, germanae sororis personam gerens, ex aedibus Periplectomenis egressa, simulat, se paullo ante peregre venisse, et velle Dianae Ephesiae sacrificare, propterea quod illius opo ex gravi tempestate incolumis evaserit. Quibus dictis, per aedes Periplectomenis et parietem perfossum in domum militis se statim recipit. Sceledrus autem illuc de industria missus a Palaestrione ad capiendam machaeram, Philocomasium in lecto cubantem conspicitur. Quae res Sceledro omnem omnino dubitationem exemit.

Inde ignem in aram. Philocomasium ianua Periplectomenis egressa, haec verba convertit ad ancillam, eamque iubet ignem in aram indicere, ut Dianae sacrificet, et votum solvat, quod voverat, quum adversa tempestate iactaretur.

Ephesiae Dianae. Namque Ephesi, ubi res agitur, praecipua religione colebatur Diana.

Lautas laudes. Agnominatio t'auto perfamiliaris. Vox *lauta* pertinet ad veterum morem, qui sacra diis facturi aqua corpus ablueri solebant.

Eique Arabico fumificem odore amoene. Eique iucundos arabicos odores, hoc est thus arabicum incendam.

In locis Neptuniis templisque turbulentis. In regno Neptunio et in undis procellis. *Templa turbulenta* pro mari posuit noster, haud aliter ac Lucretius (V. 492) *fulgentia templa* pro coelo, et (I. 121) *Acherusia templa* pro inferis. Cf. Rud. IV. 2. 1-6.

PALAESTRIO.

Eho, Sceledre, Sceledre, quid vis? 5

SCELEDRUS.

Haec mulier, quae hinc exit modo, estne herilis concubina
Philocomasium, an non est ea?

PALAESTRIO.

Hercle opinor; ea videtur.

Sed facinus mirum est, quomodo hinc huc potuerit transire,
Si quidem ea est.

SCELEDRUS.

An dubium id tibi est, eam esse hanc?

PALAESTRIO.

Ea videtur.

Adeamus, adpellemus.

SCELEDRUS.

Heus, quid istuc est, Philocomasium? 10

Quid tibi istic hisce in aedibus debetur? quid negoti est?

Quid nunc taces? Tecum loquor.

PALAESTRIO.

Imo edepol tute tecum:

Nam haec nil respondet.

SCELEDRUS.

Te adloquor, viti probrique plena,

Quae circum vicinos vages.

Eho. Interiectio vocantis, comicis praesertim frequentata. Fere praemittitur interrogationi, quae cum quadam vehementia profertur.

Hinc. Ex domo Periplectomenis.

Hinc huc potuerit transire. Philocomasium potuerit ex aedibus nostris in domum Periplectomenis transire.

Siquidem ea est. Nos: *Seppure è dessa.*

Istuc. Archaism. *Istud.*

Quid tibi istic hisce in aedibus debetur? quid negoti est? Itali: *Con qual diritto sei tu entrata in codesta casa? che hai tu a fare costì?*

Imo edepol tute tecum. Subaudi *loqueris*. Hac particula *imo* corriguntur Sceledri verba, atque ad verum reducuntur. Nos: *anzi per mia fe' tu parli con te stesso.*

Quae circum vicinos vages. Quae vagaris circa aedes vicinorum.

PHILOCOMASIVM.

Quicum tu fabulare?

SCELEDRVS.

Quicum, nisi tecum?

PHILOCOMASIVM.

Quis tu homo es, aut mecum quid negoti est? 15

SCELEDRVS.

Meu' rogas, hem, qui sim?

PHILOCOMASIVM.

Quin ego hoc rogem, quod nesciam?

PALAESTRIO.

Quis ego sum igitur, si hunc ignoras?

PHILOCOMASIVM.

Mihi odiosus, quisquis es,

Et tu et hic.

SCELEDRVS.

Nos non novisti?

PHILOCOMASIVM.

Neutrum.

SCELEDRVS.

Metuo maxime. . . .

PALAESTRIO.

Quid metuis?

SCELEDRVS.

Enim ne nos nosmet perdiderimus uspiam:

Nam neque te neque me novisse ait haec.

PALAESTRIO.

Perscrutari hoc volo, 20

Sceledre, nos nostri an alieni simus: ne clam quispiam

Quicum tu fabulare? Cum quo nam loqueris? Simulat nempe Philocomasium, se auribus non accepisse, quae antea dicta sunt.

Quin ego hoc rogem? Cur hoc non rogem?

Enim ne nosmet etc. In responsione enim ab eo ponitur, qui rem, de qua agitur, accurate definit; atque idem valet ac *nempe, nimirum.*

Perscrutari hoc volo, nos nostri an alieni simus. Perscrutari volo, utrum ad nostram an ad alienam familiam pertineamus.

Nos vicinorum imprudentis aliquid inmutaverit.

SCELEDRUS.

Certe equidem noster sum.

PALAESTRIO.

Et pol ego. Quaeris tu, mulier, malum.

Tibi ego dico: heus, Philocomasium!

PHILOCOMASIAM.

Quae te intemperiae tenent,

Qui me perperam perplexo nomine adpelles?

PALAESTRIO.

Eho,

25

Quis igitur vocare?

PHILOCOMASIAM.

Glycere nomen est.

PALAESTRIO.

Iniuria es;

Falsum nomen possidere, Philocomasium, postulas.

SCELEDRUS.

Adige! testo.

PALAESTRIO.

Num decet id? meo hero num facis iniuriam?

Inprudens. Non sentientes. Senza che ce ne siamo avveduti.

Quaeris tu, mulier, malum. Nos: donna, tu vai cercando il tuo malanno.

Heus. Proprie usurpatur, quum aliquem vocamus, qui audire non velit. Cf. Menaechm. iv. 3. 22. Terent. Heaut. il. 3. 107.

Intemperiae. Insauiae.

Perperam. Male.

Perplexo nomine. Obscuro nomine et involuto.

Quis igitur vocare? Quo igitur nomine vocaris? Quis apud veteres communis erat generis.

Glycere. A graeca voce γλυκύς, dulcis.

Iniuria es; falsum nomen etc. Contra ius facis; falsum tibi nomen adsciscis.

Adige! testo. Accusa illam apud militem! ego testor. Itali: accusala presso il soldato; io farò da testimonia.

Meo hero num facis iniuriam? Nos: non è questo forse un offendere il mio padrone?

PHILOCOMASIVM.

Egone. . . .

PALAESTRIO.

Tute.

PHILOCOMASIVM.

Quae heri Athenis Ephesum adveni vesp̄eri

Cum meo amatore, adulescente Atheniensi?

PALAESTRIO.

Dic mihi,

30

Quid hic tibi in Epheso est negotii?

PHILOCOMASIVM.

Geminam germanam meam

Hic sororem esse inaudivi: eam veni quaesitum.

SCELEDRUS.

Mala es.

PHILOCOMASIVM.

Imo ecaster stulta multum, quae vobiscum fabuler.

Abeo.

SCELEDRUS.

Abire non sinam te.

PHILOCOMASIVM.

Mitte!

SCELEDRUS.

Manifestaria

Rest: non mitto.

PHILOCOMASIVM.

At iam crepabunt mihi manus, malae tibi,

35

Nisi me omittis!

*Imo stulta. E contrario stulta.**Mitte. Subaudi me. Nos: lasciamus andare.**Manifestaria rest: non mitto. Edissero. Res manifesta est, te malam esse, et dolos nectere. Itaque te non mitto.**At iam crepabunt mihi manus, malae tibi. Crepare est crepitum edere. Hic autem ponitur tanquam effectus pro causa, pro eo quod esset: tibi colaphum infringam, ita ut manus meo et maxillae tuae crepitum edant.*

SCELEDRUS.

Quid, malum, adstas? quin retines altrinsecus?

PALAESTRIO.

Nil moror, negotiosum mi esse tergum. Qui scio, an
Ista non sit Philocomasium atque alia eius similis siet?

PHILOCOMASIAM.

Mittis me, an non mittis?

SCELEDRUS.

Imo vi atque invitam, ingratiis,
Nisi voluntate ibis, rapiam te domum.

PHILOCOMASIAM.

Hosticum hoc mihi 40

Domicilium est, Athenis domus.

SCELEDRUS.

Et hic herus!

PHILOCOMASIAM.

Ego istanc domum

Neque moror, neque vos, qui sitis homines, novi neque scio.

Malum. Saepe interiectionis modo usurpatur ad indignationem significandam. *Quid, malum, adstas?* ait Sceledrus ad Palaestriorem. *Che diavolo te ne stai là inerte?*

Quin? Cur non?

Nil moror, negotiosum mi esse tergum. Nolo tergo meo quidpiam negotii esse cum virgis. Comica locutio pro vulgari: nolo tergum meum verberibus caedi.

Qui scio, an etc.? Quomodonam ego scire possum, an etc.?

Ingratiis. Tanquam adverbium ponitur, et significat *praeter voluntatem.*

Hosticum hoc mihi domicilium est, Athenis domus. Quem peregrinum dicimus, *hostem* veteres appellarunt. Quare *hosticum* domicilium est *peregrinum domicilium.* Hoc autem differunt inter se *domicilium* et *domus*, quod illud esse potest in alienis atque externis locis; haec vero in patrii tantum.

Et hic herus! Sabaudi est. Amarulenta quadam dieacitate Sceledrus militis mentionem iniicit, qui in proximis aedibus habitabat. Quo facto mendacium Philocomasio exprobrat, quae se Athenis domum habere praedicabat. Italice: *e qui è il tuo padrone!*

Istanc domum neque moror, neque etc. Nos: *nè mi cale di codesta casa, nè ecc.*

SCELEDRUS.

Lege agito: te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem,
Te huc, si amisero, intro ituram.

PHILOCOMASIUM.

Vi me cogis, quisquis es.

Do fidem, si amittis, istuc me intro ituram, quo iubes.

45

SCELEDRUS.

Ecce mitto.

PHILOCOMASIUM.

At ego abeo missa.

SCELEDRUS.

Muliebri fide fecisti!

PALAESTRIO.

Sceledre, manibus amisisti praedam: tam ea est, quam potis,
Nostra herilis concubina. Vin' tu facere hoc strenue?

SCELEDRUS.

Quid faciam?

PALAESTRIO.

Adfer mihi machaeram huc intus.

SCELEDRUS.

Quid facies ea?

PALAESTRIO.

Introrumpam recta in aedis: quemque hic intus videro

50

Lege agito. Vide adnotata ad Aulul. II. 7. 44.*Firmatam fidem.* Certam fidem.*At ego abeo missa.* At ego, manibus tuis dimissa, abeo quo lubet.*Muliebri fide.* Sublesta fide. Leviora enim muliebrina ingenia prae virilibus esse consueverunt.*Tam ea est, quam potis.* Subaudi est. Tam ea est, quam esse potest.*Ea, profecto est.* Cf. Casin. II. 3. 2; Stich. III. 2. 1.*Nostra herilis concubina.* Heri nostri concubina.*Vin' tu hoc facere strenue?* Visne tu quod ego tibi dicam celeriter facere?*Adfer mihi machaeram.* Palaestrio iubet Sceledrum militis domum ingredi, per speciem capiendae machaerae, re ipsa ut Philocomasium ibi in lecto iam cubantem videat.*Recta.* Subaudi via.*Introrumpam recta in aedis.* Italice: *furiando entrerò difilato nella casa di Prriplectomene.**Quemque.* Quemcumque.

Cum Philocomasio osculantem, eum ego obruncabo extempulo!

SCELEDRUS.

Visane est ea esse?

PALAESTRIO.

Imo edepol plane ea est: sed quomodo
Dissimulabat! Abi, machaeram huc efer!

SCELEDRUS.

Iam faxo hic erit.

PALAESTRIO.

Neque eques neque pedes profecto, quisquam tanta audacia,
Qui aequae faciat confidenter quidquam, quam quae mulieres 55
Faciunt. Ut utrobique docte orationem edidit!
Ut sublinitur os custodi cauto, conservo meo!
Nimis beat, quod conneatus transtinet trans parietem!

SCELEDRUS.

Heus, Palaestrio, machaera nihil opus.

PALAESTRIO.

Quid iam? aut quid opus est?

SCELEDRUS.

Domi eccam herilem concubinam.

Iam faxo hic erit. Nos: in un baleno l'avrai.

Neque eques, neque pedes etc. Animadvertite, lector, quam graphice haec Palaestronis verba sequioris sexus ingenium exprimant. Scilicet mulieres, quamquam suapte natura timidae ab iis refugiant, quae invicti animi magnitudinem ac robar desiderant, incredibilem tamen audaciam, ubi simulatione et fallaciis opus sit, expromere non dubitant.

Confidenter. Audacter.

Utrobique. Et quum suam, et quum sororiam personam sustineret.

Docte. Scite et prudenter.

Ut sublinitur os etc. Vide quae adnotavimus ad Aulul. iv. 2. 61.

Nimis beat. Nos valde beatos reddit. Nos multum iuvat. Particula *nimis* saepissime apud comicos idem valet ac *multum*, *valde*, *prorsus*.

Quod conneatus transtinet trans parietem! Quod ex domo Periplectomenis transitus datur in aedes nostras per communem parietem. Verbuni *transtinet* hic ponitur pro eo quod est *pertinet*, *extenditur*, *continuatur trans*. Hunc autem pervium parietem, quem supra iam memoravit (il. l. 64 et seq.), spectatoribus in memoriam revocat Palaestrio, quo facilius intelligant qui tandem id factum fuerit, ut Sceledrus Philocomasium in domo millis cubantem videat, quae paulo ante Periplectomenis ianua erat ingressa.

PALAESTRIO.

Quid? domi?

SCELEDRUS.

In lecto cubat. 60

PALAESTRIO.

Edepol nae tu tibi malam rem reperisti, ut praedicas. . . .

SCELEDRUS.

Quid iam?

PALAESTRIO.

Quia hanc attingere ausus mulierem hinc e proxumo.

SCELEDRUS.

Magis hercle metuo. Sed nunquam quisquam faciet, quin soror
Ista sit germana huius.

PALAESTRIO.

Eam pol tu osculantem hic videras.

Et quidem palam est, eam esse, ut dicis.

SCELEDRUS.

Quid propius fuit, 65

Quam ut perirem, si locutus fuisset hero!

PALAESTRIO.

Ergo, si sapis,

Mussitabis. Plus oportet scire servom, quam loqui.

Ego abeo a te, ne quid tecum consill commisceam;

*Tibi malam rem reperisti. Nos: hai cercato il tuo malanno.**Attingere. Tractare, male habere.**Mulierem hinc e proxumo. Mulierem, quae commoratur in proximis aedibus. Nimirum simulat Palaestrio, se credere, mulierem illam esse Philocomasii sororem geminam germanam.**Magis metuo. Vehementer metuo.**Ista. Nempe illa, quam vidimus ex domo Periplectomenis exeuntem.**Huius. Nempe Philocomasii, quae nobis nunc ante oculos adstat.**Quid propius fuit, quam ut perirem, si locutus fuisset hero! Quam parum abfuit quin perirem, si militi aperuissem quae vidisse putabam!**Si sapis. Nos: se hai fior di giudizio.**Mussitabis. Proprie mussitare est submissa voce loqui. Hic ponitur pro eo quod est dissimulandi causa tacere.**Ne quid tecum consill commisceam. Ne quid mihi tecum sit commune, et ne quid, ex contagione, incommodi accipiam.*

Atque ad hunc *ibō* vicinum: tuae mihi turbae non placent.
 Herus si veniet, si me quaeret, hic ero: hinc me arcesso.

ACTUS II. – SCENA VI.

SCELEDRUS, PERIPLECTOMENES.

SCELEDRUS.

Satin' abiit, neque herile plus negotium.
 Curat, quam si non servitatem serviat?
 Certo quidem illaec intus nostra in aedibus:
 Nam egomet cubantem eam modo obfendi domi.
 Certum est nunc observationi operam dare.

PERIPLECTOMENES.

Non hercle hīc homines me marem, sed feminam,
 Vicini rentur esse servi militis:
 Ita me ludificant. Meamne hic in via hospitam,
 Quae heri huc Athenis cum hospite advenit meo,

Tuae mihi turbae non placent. Itali: i tuoi garbugli non mi piacciono.

In postrema hac scena actus secundi, ut labantem iam Sceledrum magis magisque impellat, ac penitus de sententia deiiciat, Periplectomenes se illi iratum simulat, proptereaquod hospitam suam attingere sit ausus, eumque iubet primum in aedes suas, deinde in domum militis visere. Quo facto, Sceledrus in utroque loco mulierem conspicatus, sibi tandem persuadet, duas esse sorores tam similes, ut altera ab altera nequeat discerni.

Satin'. Est hic particula interrogantis cum quadam indignatione.

Herile negotium. Le faccende del padrone.

Illaec. Philocomasium.

Certum est nunc observationi etc. Nunc volo ianuam domus nostrae diligentissime observare, ne inde se Philocomasium surripiat.

Non hercle hīc homines. Haec, quasi aliud agens, secum ipse loquitur Periplectomenes; eo tamen consilio, ut audiat Sceledrus.

Non me marem, sed feminam etc. Feminam usurpat noster translate pro homine ignavo, imbelli et levioris ingenii.

Meamne hic in via hospitam, tractatam etc. Subaudi: an patienter feram, meam hospitam male haberi et ludificari hic in via?

Tractatam et ludificatam, ingenuam et liberam?

SCELEDRUS.

Perii hercle! hic ad me recta habet rectam viam.
Metuo, illaec mihi res ne malo magno fuit,
Quantum hunc audivi facere verborum senem.

PERIPLECTOMENES.

Accedam ad hominem. Tun', Sceledre, hic, scelerum caput,
Meam ludificasti hospitam ante aedis modo?

SCELEDRUS.

Vicine, ausculta, quaeso.

PERIPLECTOMENES.

Ego auscultem tibi?

SCELEDRUS.

Volo expurgare me.

PERIPLECTOMENES.

Tun' te expurges mihi,

Qui facinus tantum tamque indignum feceris?
An, quia latrocinamini, arbitramini,
Quidvis licere facere vobis, verbero?

Tractatam. Ah eo quod est *traho* verbum habemus frequentativum *tracto*; et idem valet atque huc illuc traho, rapio, vexo, contumeliose habeo. Itali: *malmenare*.

Ingenuam et liberam. Hoc differunt ingenuus et liber, quod ei libertatem attulerit nativitas, huic etiam manumissio, quum natus esset servus.

Recta. Subaudi *via*.

Hic ad me recta habet rectam viam. Cf. Pseud. iv. 7. 37. Nos: *costui ne viene difilato inverso me*.

Fuit. Archaismus. Sit.

Quantum hunc audivi etc. *Per quel che ho inteso dalle parole di questo vecchio.*

Sceledre ... scelerum. Agnominatio.

Scelerum. Sceleratorum. Vitium ponitur pro homine vitioso. Scelerum caput. Nos: *schiuma di tutti i ribaldi*. Cf. Bacchid. iv. 7. 31.

Ego auscultem Tun' te expurges? Apud Italos haec dicendi ratio eleganter abii in modum infinitivum. *Io ascoltarti Tu purgarti?*

An, quia latrocinamini? An quia militares viri estis, et arma tractatis? Vide quae adnotavimus ad vocem *latrones* I, 74.

SCELEDRUS.

Licetne . . . ?

PERIPLECTOMENES.

At ita me di deaque omnes ament,

Nisi mihi supplicium virgeum de te datur

Longum diutinumque a mane ad vesperum,

Quod meas confregisti imbrices et tegulas,

Ibi dum condignam te sectatus simiam;

25

Quodque inde inspectavisti meum apud me hospitem,

Amplexam amicam quom osculabatur suam;

Quodque concubinam herilem insimulare ausus es

Probri, pudicam, meque summi flagiti;

Tum, quod tractavisti hospitam ante aedis meas;

30

Nisi mihi supplicium stimuleum de te datur,

Dedecoris pleniorum herum faciam tuom,

Quam magno vento plenum est undarum mare.

SCELEDRUS.

Ita sum coactus, Peripleptomene, ut nesciam

Licetne? Subaudi: verba facere, ut me expurgem.*At ita me etc.* Vide, lector, quam sollerter irati senis mores effingat Plautus longissima hac verborum complexione, quae volvi uno spiritu vix posse videtur.*Ita me dii deaque omnes ament.* Formula irantis comicis frequentata. Nos: *così Dio mi aiuti.**Nisi mihi supplicium virgeum de te datur.* Nisi mihi tergo poenas pendes.*Supplicium longum diutinumque.* Dicitur diutinum quod sit sine intermissione; longum quod sit ad multum tempus. Italice: *un supplizio lungo e continuato.**Imbrices et tegulas.* Imbrex, sic dictus quod imbrem arceat, est curvus, et differt a tegula, quae est plana, et latera habet hinc inde erecta. Substratis tegulis imbrices superimponuntur.*Nisi mihi supplicium stimuleum de te datur.* Nisi tua latera stimulis conteruntur.*Dedecoris pleniorum herum etc.* Nimirum ex iure Romanorum, si cuius servus aliquem laesisset, vel servus ei tradebatur supplicio afficiendus, cui iniurius fuerat, vel dominus certam quandam pecuniae vim solvebat ex iudicium sententia; quod nisi fecisset, dedecore afficiebatur.*Pleniorum quam magno vento etc.* Sensus est: herum tuum faciam dedecoris pleniorum quam mare undarum est plenum, ubi magnus ventus est exortus.*Ita sum coactus.* Eo sum redactus, tanta dubitatione aestuo.

Utrum postulare me prius tecum aequom siet;
 Nisi, si istaec non est haec, neque haec est militis,
 A me expurgari haec tibi videatur aequius;
 Sicut etiam nunc nescio, quid viderim:
 Ita istaec huius similis est nostrae tua,
 Si quidem non eadem est.

PERIPLECTOMENES.

Vise ad me intro: iam scies.

SCELEDRUS.

Licetne?

PERIPLECTOMENES.

Quin te iubeo. At placide noscita.

SCELEDRUS.

Ita facere certum est.

Postulare tecum. Verbum simplex pro composito usurpat noster. Postulare pro expostulare, increpare, queri.

Prius aequom. Magis aequum.

Nisi, si istaec non est haec. Hic locus mire torsit interpretes; donec Bothius pauca quaedam immutando, quae librarii oscitantes vitlaverant, nisi genninam, at probabilem sane lectionem nobis exhibet. Sensus est: nescio ntrum magis aequum sit te increpare, o Periplectomene; nisi aequius tibi videatur, me tibi purgare, si Philocomasinum non est peregrina illa quam tu domi habes; neque illa tua est concubina militis.

Ita istaec huius similis etc. Ita peregrina illa tua est similis Philocomasii, concubinae militis.

Siquidem non eadem est. Italice: *seppure non è la stessa persona.* Mirum in modum conferunt postrema haec verba ad significandam dubitationem, qua Sceledri mens fluctuabat. Qui cogitans, se Philocomasium nuper vidisse in domo militis, fidem adlungebat Periplectomeni, testanti duas esse geminas sorores, tam similes, ut vix ac ne vix quidem internosci possent. Sed mox oculis suis magis fidens, quam alienis verbis, ad priorem opinionem relabebatur, se videlicet ex tecto per impluvium vidisse domi apud Periplectomenem Philocomasinum cum adolescente osculantem.

Vise ad me intro, iam scies. Ingredere domam meam, et statim cognosces Philocomasium et hospitam meam non unam esse eandemque personam.

Licetne? Snaudi intrare.

Quin te iubeo. Quin immo te hortor ut ingredaris.

At placide noscita. Sed explora tranquille, neque ullo modo hospitae meae molestus sis.

PERIPLECTOMENES.

Heus, Philocomasium, cito

Transcurre curriculo ad nos: ita negotium est.

Post, quando exierit Sceledrus a nobis, cito

Transcurrito ad vos rursus curriculo domum.

Nunc pol ego metuo, ne quid infuscaverit;

Si hic non videbit mulierem, aperitur dolus.

45

SCELEDRUS.

Proh di immortales! similiorem mulierem

Magisque eandem, utpote quae non sit eadem, non reor

Deos facere posse.

PERIPLECTOMENES.

Quid nunc?

SCELEDRUS.

Commerui malum.

50

PERIPLECTOMENES.

Quid igitur? ean' est?

SCELEDRUS.

Etsi'ea est, non est ea.

PERIPLECTOMENES.

Vidistin' istam?

Heus, Philocomasium, cito transcurre etc. Interea dum Sceledrus noscitur ingreditur, Periplectomenes in domum militis properans, Philocomasium monet, ut nulla interposita mora ad aedes suas transcurrat.

Curriculo. Currendo, celeriter.

Ita negotium est. Ita facto opus est.

Nunc pol ego metuo. Haec secum Periplectomenes, militis domo egrediens.

Metuo, ne quid infuscaverit. Metuo, ne Philocomasium ordinem turbaverit rei gerendae, ne satis accurate et studiose mandata peregerit. Nos: *temo non abbia fatto qualche imbroglio.*

Proh di immortales! etc. Secum Sceledrus rediens ex domo Periplectomenis.

Quid nunc? Subaudi credis.

Commerui malum. Verbum *commerui* fero in malam partem accipitur.

Quid igitur? Interrogando usurpant Latini particulam *igitur* ad significandam amarulentam ironiam aut vehementiorem indignationem.

Vidistin' istam? Accurati.

SCELEDRUS.

Vidi et illam et hospitem,
Complexum atque osculantem.

PERIPLECTOMENES.

Eam' est?

SCELEDRUS.

Nescio.

PERIPLECTOMENES.

Vin' scire plane?

SCELEDRUS.

Cupio.

PERIPLECTOMENES.

Abi intro ad vos domum
Continuo: vide, sitne istaec vestra intus domum.

55

SCELEDRUS.

Licet; pulcre admonuisti. Ego iam ad te exhibo foras.

PERIPLECTOMENES.

Nunquam edepol hominem quemquam ludificarier
Magis facete vidi et magis miris modis.
Sed eccum egreditur.

SCELEDRUS.

Periplectomene, te obsecro

Per deos atque homines perque stultitiam meam
Perque tua genua. . . .

60

Plane. Aperte, perspicue, clare.

Intus domum. In domo.

Licet. Particula assentientis. Nos: *bene.* Cf. Bacchid. I. I. 1.

Pulcre admonuisti. Itali: *piacemi il tuo consiglio.*

Iam. Stalim, illico. Vide Aulul. I. 2. 11; cf. Asin. I. 1. 76; Ter. Eun. iv. 6. 26; Heaut. iv. 6. 18; Horat. Sat. I. 1. 16.

Per stultitiam meam. Qua videlicet putavi, me vidisse Philocomasium osculantem; quod reapse non videram.

Perque tua genua. Apud veteres genua erant misericordiae consecrata, uti habet Servius ad Virg. Ecl. vi. 4. Quare genua illorum tangebant, quibus supplicabant. Hinc dictio: obsecrare per genua. Cf. Cure. V. 2. 32; Rud. I. 5. 16.

PERIPLECTOMENES.

Quid obsecras me?

SCELEDRUS.

Inscitiae

Meae et stultitiae ignoscas. Nunc demum scio,
 Me fuisse exordem, caecum, incogitabilem:
 Nam Philocomasium eccam intus.

PERIPLECTOMENES.

Quid nunc, furcifer?

Vidistin' ambas?

SCELEDRUS.

Vidi.

PERIPLECTOMENES.

Herum exhibeas volo.

60

SCELEDRUS.

Meruisse equidem me maximum fateor malum,
 Et tuae fecisse me hospitae aio iniuriam;
 Sed meam esse herilem concubinam censi,
 Quoi me custodem herus addidit miles meus:
 Nam ex uno puteo similior nunquam potis
 Est aqua aquae sumi, quam haec est atque ista hospita.
 Et me despece ad te per inpluvium tuum
 Fateor. . . .

65

PERIPLECTOMENES.

Quidni fateare, ego quod viderim?

Quid obsecras me? Obsecrare est per sacra et carissima postulare.
Incogitabilem. Nos: *spensierato*.

Ambas. Vide adnotata ad II. 2. 95.

Herum exhibeas volo. Volo herum ad me adducas, a quo rationem
 repetam facinoris tui.

Ex uno puteo similior etc. Proverbialis locutio ad significandam dua-
 rum rerum similitudinem. Cf. Menaech. V. 9. 30.

Haec est atque ista hospita. Philocomasium atque hospita quae domi
 apud te est.

Despece. Syncope. Despexisse.

Quidni fateare, ego quod viderim? Quidni, vox admirantis cum ironia.
 Nos: *che gran fatto! confessarmi ciò che ho veduto!*

SCELEDRUS.

Sed Philocomasium me vidisse censi.

PERIPLECTOMENES.

Ratusne istic me esse omnium minumi preti,

Si ego me sciente paterer, vicino meo

Eam fieri apud me tam insignite iniuriam?

SCELEDRUS.

Nunc demum a me insipienter factum esse arbitror,

Quom rem cognosco; at non malitiose tamen

Feci.

PERIPLECTOMENES.

Imo indigne: namque hominem servom suos

Domitos habere oportet oculos et manus

Orationemque.

SCELEDRUS.

Ego nunc si post hunc diem

Muttivero, etiam quod egomet certo sciam,

Dato excruciatum me! egomet me dedam tibi!

Nunc hoc mi ignoscas, quaeso.

PERIPLECTOMENES.

Vincam animuni meum,

Ne malitiose factum id esse abs te arbitrer.

Ignoscam tibi istuc.

SCELEDRUS.

At di tibi faciant bene!

Ratusne istic me etc. An me tam parvi pretii hominem existimas, ut sciens ac prudens patiar, tam insignem iniuriam vicino meo fieri?

Suos domitos habere oportet oculos et manus orationemque. Itali: *dece tenere in freno gli occhi, le mani e la lingua.*

Si muttivero. Si vel unum verbum proferre audebo. Nos: *se oserò fiutare.*

Dato excruciatum me! egomet me etc. Dato me ad excruciantum. Ego met me tibi dedam, ut arbitrato tuo me punias.

Vincam animuni meum, ne etc. Conabor mihi persuadere, id a te malitiose factum non fuisse.

At di tibi etc. *Gli dei te ne rendano mercede.*

PERIPLECTOMENES.

Nae tu hercle, si te di amant, linguam conprimes
 Posthac; etiam illud, quod scies, nesciveris;
 Ne videris, quod videris!

SCELEDRUS.

Bene me mones.

85

Ita facere certum est. Sed satine oratus's? — Abit. —
 Numquid nunc aliud me vis?

PERIPLECTOMENES.

Ne me noveris. —

SCELEDRUS.

Dedit hic mihi verba! Quam benigne gratiam
 Fecit, ne iratus esset! Scio, quam rem gerat:
 Ut miles, quom extemplo a foro adveniat domum,
 Domi comprehendat. Una hic et Palaestrio
 Me habent venalem; sensi et iamdudum scio.
 Nunquam hercle ex ista nassa ego hodie escam petam:
 Nam iam aliquo aufugiam et me occultabo aliquot dies,
 Dum haec consulescunt turbæ atque iræ leniunt.

90

95

Etiam illud quod scies, nesciveris. Etiam illa quæ scies reticebis, haud aliter ac si nescires.

Satine oratus's? Satine es precibus victus? *Sei tu placato?*

Aliud me vis? Subaudi *facere.*

Ne me noveris. Volo ut me utaris, quasi ignotus tibi sim.

Dedit hic mihi verba! etc. Hic, ait Sceledrus conversus ad spectatores, simulat se mihi veniam dedisse, nec mihi iam esse iratum.

Scio quam rem gerat: ut miles, etc. Scio quid sit acturus: faciet ut herus me domi comprehendat, vixdum e foro rediverit.

Me habent venalem. Me prodere parant.

Nunquam ex ista nassa etc. Allegoriam ex re piscatoria petit Plautus, quæ idem valet atque *escam magno cum periculo consectari*. Siquidem nassa est piscatorii vasis genus, quo quum intravit piscis exire non potest. Sensus est: hodie profecto non committam, ut herus me domi capiat, tamquam piscem in nassa; ita ut virgarum supplicium iam effugere nequeam.

Iam aliquo aufugiam. Illico aufugiam aliquo.

Dum haec consulescunt turbæ. Dum hæ turbæ conquiescunt. Passim apud Plautum et Terentium legitur hæc in casu nominativo generis feminini, numeri multitudinis.

Iræ leniunt. Monet Gellius (N. A. xviii. 12.), id quoque a Latinis habitum fuisse tamquam elegantiae genus, ut pro verbis habentibus patiendi

Iam nunc satis pipulo inpio merui mali. —
 Verum tamen, de me quidquid est, ibo hinc domum. —

PERIPLECTOMENES.

Ille hinc abscessit. Sat edepol certo scio,
 Occisam saepe sapere plus multo suam.
 Quine inducatur, ne id, quod vidit, viderit? 100
 Nam illius oculi atque aures atque opinio
 Transfugere ad nos. Usque adhuc actum est probe:
 Nimum festivam mulier operam praebuit.
 Redeo in senatum rursus: nam Palaestrio
 Domi nunc apud me, Sceledrus nunc autem foras: 105
 Fræquens senatus poterit nunc haberier.

significationem agentia ponerent. Hinc *irae leniunt* pro eo quod est *irae leniuntur*. Quod quidem passim occurrit apud alios optimae notae scriptores.

Iam nunc. Graeci *ἤδη* etc. iam ante hoc tempus, iam ex hoc tempore. Nos: *già fin d'ora*.

Pipulo inpio. In vulgatis editionibus legebatur: *et plus nimio*. Solleter Bothius ex veterum codicum auctoritate reposuit *pipulo inpio*. *Pipulus* a pipatu gallinarum dictus, ponitur translato a Plauto pro *clamore, convicto, contumelia*. (Cf. Aulul. III. 7. 32). *Pipulo inpio* haud absurde interpreta-beris: *colle mie malvagie ed ingiuriose parole*.

De me quidquid est. Quidquid de me futurum sit.

Occisam saepe sapere plus multo suam. Subaudi: quam sapit iste Sceledrus. Ludit hic more suo Plautus in ambiguo sensu verbi *sapere*, quod proprie significat *saporem habere*, translate vero *sapientia praeditum esse*. Nimirum Periplectomenes laetus, quod sibi doli ex sententia successerint, festive locatur, dicens, carnem suillam multo plus saporis habere, quam Sceledrum sapientiae, qui videlicet eo adductus est ut credat, se non vidisse quod reapse viderat.

Quine inducatur etc. Ille nempe qui inducitur etc.

Nam illius oculi atque aures etc. Sensus est: nam ille videt, audit, opinatur, uti nos volumus.

Usque adhuc etc. Hactenus res bene successit.

Nimum festivam mulier etc. Philocomasium praeclaram operam nobis et utilem praebuit.

Redeo in senatum. Redeo in domum meam, ubi senatus habetur; ubi videlicet ego, Pleusides, Palaestrio et Philocomasium de agendis consul-tamus.

Fræquens senatus poterit haberier. Omnes poterimus in consilium con-venire.

Ibo intro, ne, dum absum, illis sortito fuam.

Illis sortito fuam. Sim illis sortitioni; illi me sortiantur. Perstat Periplectomenes in allegoria. Quoniam videlicet domum suam *senatum* appellaverit, propterea quod ibi consilia haberentur de Sceledro et milite ludificandis, usurpat etiam vocem *sortito*. Namque solemne erat apud Romanos, ut in *senatu sortitio* iudicum fieret, ad quos pertinebat in unaquaque causa sententiam ferre. Praeterea in *senatu* etiam consules provincias *sortiebantur*. Sensus igitur est: ibo in domum meam, ne, dum ego absum, illi, hoc est Pleusides, Palaestrio et Philocomasium, sortitione mihi partes assignent, quas sustinere debeo. *Sortito* est casus dativus antiquus vocis *sortitus*. *Fuam*, ἀρχαίως pro *sim*.

ACTUS III.

SCENA I.

PALAESTRIO, PLEUSIDES, PERIPLECTOMENES.

PALAESTRIO.

Cohibete intra limen etiam vos parumper, Pleusides.
Sinite me prius perspectare, ne uspiam insidiae sient,
Concilium quod habere volumus: nam opus est nunc tuto loco,

Ad longiusculam haec scopam exhilarandam mirum in modum conferunt faceta quaedam Periplectomenis dicta; qui etsi quatuor et quinquaginta iam annos natus, caelebs tamen, praestans valetudine et viribus, atque a curis vacuus, quae patremfamilias ut plurimum mactare consueverunt, festive nugatur de cruda et viridi sua senectute, de matrimonio, de feminis et de amoribus, quibus lepidi et venustiores illi senes adhuc indulgent, quos nupera locutione gallice dicimus *vieux lions*. Deliberantibus autem Palaestrio proponit quid facto opus sit, ut militi ludos faciant, et Philocomasium ab illo abducant. Eius consilio ceteri assentiuntur; et unusquisque ad suas partes agendas instruitur.

Cohibete intra limen etiam vos etc. Domo egrediens Palaestrio, remanete, ait sodalibus suis, adhuc parumper in aedibus.

Pleusides. Subaudi et ceteri. Sic enim saepe unum praesentium compellendo, omnes alloquimur. Cf. Epid. II. 2. 18: Sed, *here*, optima *Vos* video opportunitate ambo advenire. Virg. Aen. IX. 525: *Vos*, o *Calliope*, precor *adspirare* canenti.

Perspectare. Curiosius et diligenter circumspicere.

Ne uspiam insidiae sient, concilium quod habere volumus. Ne quispiam nobis, concilium habituris, insidietur. Vox *quod* vel est particula causalis: quia volumus habere concilium; vel habetur tamquam pronomen relativum, et hic erit verborum ordo: ne quod concilium habere volumus, ei uspiam insidiae sient.

Unde inimicus ne quis uostras spolia capiat auribus;
 Nam bene consultum consilium surpitur saepissime; 5
 Si minus cum cura auf *κατὰ λόγον* locus loquendi lectus est:
 Nam bene consultum inconsultum est, si inimicis sit usui:
 Neque potest, quin, sid inimicis usui est, obsit mihi:
 Quippe si resciverint inimici consilium tuom,
 Tuopte tibi consilio ocludunt linguam et constringunt manus, 10
 Atque eadem, quae illis voluisti tu facere, faciunt tibi.
 Sed speculabor, ne quis aut hinc a laeva aut a dextera
 Nostro consilio venator adsit cum auritis plagis.
 Sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam est probe:
 Evocabo. Heus, Periplectomene et Pleuside, progredimini! 15

PERIPLECTOMENES.

Ecce nos tibi obedientis.

PALAESTRIO.

Facile est imperium in bouis.

Sed volo scire, eodem consilio, quod intus meditati sumus,
 Si gerimus rem.

Unde inimicus ne quis nostras spolia etc. Metaphora ex re bellica de-
 prompta. Ex quo loco nemo ex inimicis nostris familiaribus possit consilia
 auribus excipere.

Bene consultum consilium. Optimum consilium.

Surpitur. Sync. Surripitur.

Κατὰ λόγον. Ordine, prudenter, sapienter. Haud raro Plautus graecas
 locutiones versibus inserit.

Nam bene consultum inconsultum etc. Namque salubria consilia fiunt
 pessima, si inimicis prosint.

Sid inimicis. Veteres Latini, haud secus atque Itali, interdum literam
 d vocibus adpungebant ad vitandum hiatum.

Ne quis nostro consilio venator adsit etc. Metaphora a re venatoria de-
 sumta. Ne quis ex insidiis consilia nostra auribus capiet.

Cum auritis plagis. Plagae sunt retia, quibus ferae capiuntur.

Sterilis hinc prospectus probe. Ex hoc loco nemo unus prospicitur.

Usque ad ultimam plateam. Platea est via lata in urbe. Usque ad ul-
 timam plateam, hoc est usque ad finem plateae.

Evocabo. Subaudi, eos. Nos: *gli farò venir fuori.*

Facile est imperium in bouis. Facile est exerece imperium inter bonos.

Si. Particula dubitandi pro *an*. An rem geramus.

PERIPLECTOMENES.

Magis ad rem esse non potest utilibus.

PALAESTRIO.

Imo quid tibi?

PLEUSIDES.

Quodne vobis placeat, displiceat mihi?

Quis homo sit magis meus?

PERIPLECTOMENES.

Quamvis loquere lepide et commode. 20

PALAESTRIO.

Pol ita decet hunc facere.

PLEUSIDES.

At hoc me facinus misere macerat,

Meumque cor corpusque cruciat.

PERIPLECTOMENES.

Quid id est, quod cruciat? cedo.

PLEUSIDES.

Me tibi istuc aetatis homini facinora puerilia

Obicere, neque te decora neque tuis virtutibus,

Ea te expetere: ex opibus summis mei te honoris gratia 25

Mihique amanti ire opitulatum, atque ea te facere facinora,

Quae istaec aetas fugere facta magis quam sectari solet.

Magis utilibus. Pleonasm. Utilius.*Quid tibi? Sabaudi videtur.**Quodne vobis placeat, displiceat mihi?* Hominis verba alienae sententiae se se facile accommodantis. Haud aliter Cas. II. 3. 26: Omnia quae tu vis.*Quis homo sit magis meus?* Quinam rebus meis melius consulit quam tu?*Quamvis loquere lepide.* Tu loqueris valde lepide.*Cedo.* Dic, narra.*Istuc aetatis homini.* Homini istius, hoc est tam exactae aetatis.*Facinora puerilia obicere.* Ea tractanda committere, quae iuvenilem aetatem deceant; cuiusmodi sunt res amatoriae.*Neque te decora.* Neque te digna.*Ea te expetere.* Ea a te petere.*Ex opibus summis.* Summa ope, summa contentione.*Ire opitulatum.* Opitulari.*Ea te facere facinora, quae fugere facta magis quam sectari etc.* Ea te facere, quae ista aetas tua magis solet fugere, quam amare.

Eam pudet tibi me in senecta obicere sollicitudinem.

PERIPLECTOMENES.

Novo modo tu, homo, amas, si quidem te quidquam, quod faxis,
pudet.

Nihil amas; umbra es amantum mage, quam amator, Pleusides. 30

PLEUSIDES.

Hancine aetatem exercere meo amoris gratia!

PERIPLECTOMENES.

Quid ais tu? itan' tibi ego videor oppido Acherunticus?

Tam capularis tamve tibi diu videor vitam vivere?

Nam equidem haud sum annos natus praeter quinquaginta et qua-
tuor:

Clare oculis video, sum pernix manibus, sum pede mobilis. 35

Tibi obicere sollicitudinem. Tibi molestiam creare.

Quod faxis. Quod facias.

Nihil amas, umbra es amantum, etc. Tu non dicendus es amare; tenuis es amantum species magis quam amator.

Hancine aetatem exercere etc. Anne decet, me, amoris mei causa, affectam istam aetatem tuam agitare, vexare!

Quid ais tu? itan' tibi ego etc. Periplectomenes, cui aetas adhuc viget atque acerrimis integerrimisque est sensibus, aegre fert, se tamquam senem haberi, quem invenilia studia, Insus et τὴ ἀγροδιότης defatigent. Quare alacritatem suam praedicat, sequo ad fovendos Pleusidis amores ultro paratissimum profleitur. Quo facto Plautus caelibis mores graphice expressit, qui canescente iam aetate ljuvenatur.

Tibi ego videor oppido Acherunticus? tam capularis etc.? Anne tibi videor omnino decrepita, tamquo morti proximus? *Acherunticus*, ad Acherontem brevi iturus; *capularis*, a capulo dictus, hoc est feretro, in quo cadavera efferrantur. Itali: *parti egli che io sia all'ultima de crepitezza; e coi piè nella fossa?*

Nam. Commode usurpatur haec particula in re quapiam exponenda; quum videlicet aliquid addimus, quo antecedentis sententiae veritatem illustremus; atque idem valet ac *revera*. Sic Periplectomenes quum dixisset, se nondum esse acherunticum, rem confirmaturus ait: *revera non sum annos natus praeter quatuor et quinquaginta; clare oculis video etc.* Nos: *di fatto non ho che cinquantaquattro anni; ho buona vista ecc.* Haud aliter Lydus paedagogus in Bacchid. III. t. 1: *Fandite atque aperite propere ianuam hanc Orci, obsecro. Num equidem haud aliter esse duco; quippe quo nemo advenit, nisi quem spes reliquere omnes.*

Sum pernix manibus. Manus habeo ad quidvis faciendum expeditas. *Pernix*, a pernitendo dictus, differt a *celere* et *veloci*, et usurpatur proprie de illo, qui nisum et conatum possit exprimere.

Pede mobilis. Pedibus celer. Homerus passim de Achille: *ποδας ἄλκιυς*.

PALAESTRIO.

Si albus capillus hic videtur, ne utiquam ibi ingenium senex;
Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles.

PLEUSIDES.

Pol id quidem experior ita esse, ut praedicas, Palaestrio:
Nam benignitas quidem huius oppido adulescentuli est.

PERIPLECTOMENES.

Imo, hospes, magis quom periculum facies, magis nosces meam
Comitatem erga te amantem. 40

PLEUSIDES.

Quid opus nota noscere?

PERIPLECTOMENES.

Ut apud te exemplum experiundi habeas, ne vages foris.
Nam nisi qui ipse amavit, aegre amantis ingenium inspicit;
Sed ego amoris aliquantum habeo humorisque etiam in corpore,
Neque dum exarui ex amoenis rebus et voluptariis. 45
Vel cavillator facetus vel conviva commodus

Si albus capillus etc. Etiam si huic iam canescant capilli, ingenium tamen et mores non sunt seniles.

Amussitata sua sibi ingenua indoles. Perfecta in Periplectomene indoles est, propria et natura insita; nondum aetate vitata. *Amussitata*, hoc est ad amussim, ad regulam exacta; metaphoricè.

Benignitas. Animus liberalis et proclivis ad benefaciendum, cuiusmodi adolescentum esse solet.

Hospes. Blanda appellatio peregrini hominis.

Quom periculum facies. Nos: quando mi metterai alla prova.

Ut apud te exemplum experiundi habeas, etc. Ubi quis habet domi facultatem experiri, non quaerat foris experimentum. Eleganter interdum usurpant Latini personam secundam (habeas) pro tertia (habeat) *Ut pro eo quod est ubi, quando, si.*

Nisi qui ipse amavit etc. Qui non amarunt, amantium ingenium fastidiunt.

Amoris, humoris. Paronomasia.

Aliquantum habeo humoris... etiam in corpore. Viribus adhuc valeo et succi plenus sum.

Neque dum exarui ex amoenis etc. Nondum sum voluptatibus exhaustus atque aridus, tamquam pumex.

Cavillator facetus. Dicteris, iocis et facetis utens. Nos: faecto mottegiatore.

Conviva commodus. Conviva comis, urbanus, atque aliorum voluntati se se facile accommodans.

Item ero, neque ego unquam oblocutor sum alteri in convivio:
 Incommoditate abstinere me apud convivas commode
 Conmemini, et meae orationis iustam partem persequi,
 Et meam partem itidem facere, quom aliena est oratio. 50
 Minime sputator, screator sum, itidem minime muccidus:
 Post Ephesum sum natus; non enim in Apulis, non Animulæ.

PLEUSIDES:

O lepidum semisenem, si, quas memorat, virtutes habet,

Neque unquam oblocutor etc. Haec verba magis aperiunt significatio-
 nom vocis *commodus*. Nunquam in conviviiis alios loquentes interpello,
 aut illorum sententiae pertinacius obsisto; qui plerumque senum mos est.
 Quom enim diutius vixerint quam ceteri, facile sibi persuadent, se re-
 rum usu et sapientia ceteris longe antecellere. Quare natura contentiosi
 esse consueverunt.

Incommoditate. Importunitate.

Commode. A tempo.

Conmemini, et meae orationis iustam partem etc. Scio non diutius lo-
 qui quam deceat, neque suam aliis partem praeripere. Haud aliter Phi-
 lenium in *Asin.* III. 1. 14: Et meam partem loquendi et tuam trado tibi.

Quom aliena est oratio. Ubi alii loquuntur. In hisce versibus urbanum
 hominem agnoscis, bene moratum, atquo optimis instructum praeceptis,
 quae hac de re habet Tullius (*de offic.* I. 37): Sit igitur . . . serpio . . .
 lenis, minimequo pertinax: insit in eo lepos. Nec vero, tamquam in pos-
 sessionem suam vororit, excludat alios; sed quom reliquis in rebus; tum
 in sermone communi vicissitudinem non iniquam putet.

Minime sputator, screator, muccidus. Sputator dicitur qui saepe spuit;
 screator (graeco *σπέρων*), qui valido quodam sonitu et conatu catarrhum e
 pectore oicit; muccidus vero dicitur, cui muccus seu pituita o uariis
 fluit. Quao quidem do pertinent, ut doceat Periplectomenes, so nondum
 senum morbis laborare.

Post Ephesum sum natus, etc. Apud Ephesum, hoc est in aliquo pago
 apud eam urbem, vel ruro in patris praedio. Ephesus urbs fuit Asiae mi-
 noris in Ionia, cuius cives morum olegantia in primis florebant. Gloriatur
 autem Periplectomenes, se apud Ephesum natum esse, propterea quod
 mores hominibus ingenerantur tum ex stirpe gonoris ac seminis, tum ex
 iis rebus, quae ab ipsa natura loci ad vitam suppeditantur, tum vero ex
 illorum ingenio, quorum convictu et consuetudine, a teneris praesertim,
 utuntur.

Non enim in Apulis, non Animulae. Animula parva urbs fuit in Apulia.
 Apuli autem rustici atquo iuvenusti habebantur.

Semisenem. Vox a Plauto conficta, ut faceret Periplectomenom nomi-
 naret, qui licet corpore iam senex, animo tamen et moribus, ut ipse te-
 statur, erat adolescens.

Atque quidem plane educatum in nutricatu Venerio!

PERIPLECTOMENES.

Plus dabo, quam praedicabo, ex me venustatis tibi. 55
 Neque ego ad mensam publicas res clamo neque leges crepo,
 Neque alienum ego unquam scortum subagito in convivio,
 Neque praecipio pulpamentum neque praevorto poculum,
 Neque per vinum unquam ex me exoritur dissidium in convivio;
 Si quis ibi est odiosus, ab eo domum, sermonem segrego; 60
 Venerem, amorem amoenitatemque ad cubans exerceo.

PLEUSIDES.

Tui quidem edepol omnes mores ad venustatem valent.

Educatum in nutricatu Venerio! Quem gremio suo epurit ipsa Venus, leporis et venustatis mater, de qua italus poeta:

*O figlia alma d'Egioco
 Leggiadro onor dell'aeque,
 Per cui le grazie apparvero
 E il riso al mondo nacque.*

Neque publicas res clamo, neque leges crepo. Neque ineptis clamoribus et verbosa contentione, uti senes solent, loquor de rebus publicis, aut leges tantummodo in ore habeo. Quod quidem ad mensam odiosum et molestum est, ubi convivae levia et iocosa, quam gravia et seria malunt.

Neque alienum scortum subagito etc. Neque aliorum amicas attracto, hoc est licentius et impudice tango in convivio. Huiusmodi licentiam graviter reprehendit Chremes in Clithone filio apud Terentium, Heaut. II. 3. 9 et seq.: Vidin' ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere? Istaec quidem contumelia 'st, hominem amicum recipere ad te, atque eius amicam subigitare.

Neque praecipio pulpamentum. Neque celeri manu pulpamentum rapio aut equam mihi porrigatur. Pulpamentum, hoc est cibus e pulpa concisa factus, ponitur pro quolibet obsonio et cibo lautiore.

Praevorto poculum. Praeoccupo poculum, capio poculum priusquam mihi a pincerna ministretur. Hoc pertinet ad Romanorum mores, apud quos erant pueri eximia plerumque forma, qui convivis ministrabant; magister autem convivii (graeco *πυλῆρτος, συμποσιάρχος*) leges bibendi forebat, quas violare non licebat.

Per vinum. Per ebrietatem.

Sermonem segrego. Sermonem abrumpo.

Ad cubans. Quum mensae accumbo.

Venerem, amorem amoenitatemque exerceo. Haud absurde nos: *so essere grazioso, amabile e piacevole.*

Ad venustatem valent. Te venustum faciunt.

Cedo tris mi homines aurichalco contra cum istis moribus!

PALAESTRIO.

At quidem, illuc aetatis qui sit, non invenies alteram
Lepidiorem ad omnes res, nec qui amicus amico sit magis.

PERIPLECTOMENES.

Tute ut me fateare faciam esse adolescentem moribus:

Ita apud omnes comparebo tibi res benefactis frequens.

Opusne erit tibi advocato tristi, iracundo? Ecce me.

Opusne leni? Leniorem dices, quam mutum est mare;

Liquidiusculusque ero, quam ventus est Favonius.

Vel hilarissimum convivam hinc indidem expromam tibi,

Cedo tris mi homines aurichalco contra cum istis moribus! Da mihi tres homines cum istis moribus, et tibi aequi ponderis aurichalcum dabo. Nos: *dammi tre uomini costumati come te, e darotti tanto oricalco quanto pesano.*

Aurichalco contra. Haec particula *contra* eleganter usurpatur quum res similes sunt inter se comparandae. Ubi vero res pondere examinantur, vox *contra* est propria ponderis oppositi. Unde ortae sunt proverbiales dictiones *auro contra*, *aurichalco contra*, quae idem valent ac: *auro* vel *aurichalco contra* appenso; pretio aut valore auri vel aurichalchi. Sic Plautus, Epid. III. 3. 29: *Nae tu habes servum graphicum et quantivis pretii; non carus est auro contra.* Ital.: *non sarebbe caro anche comprandolo a peso d'oro.* Id. Curcul. I. 3. 45: *auro contra* cedo modestum amatorem. *Aurichalcum.* Ital. *oricalco.* Dnbitant etiamnum critici quodnam metalli genus hac voce sit intelligendum. Illud solum constat, hoc metallum habitum fuisse a veteribus tamquam omnium pretiosissimum.

Illuc aetatis qui sit. Qui sit illa aetate, qua est Periplectomenes.

Lepidiorem ad omnes res. Aptiorem ad omnes res.

Tute me ut fateare etc. Faciam ut tu ipse fatearis, me esse adolescentem ad mores quod attinet.

Ita apud omnes etc. Ita me comem atque humanum habebis in omnibus rebus.

Advocato tristi, iracundo. In iudiciis *advocatus* dicitur qui alteri in causa adest. Extra rem forensis *advocatus* ponitur pro eo qui consilio aut opera aliquem invet.

Ecce me. Singularis formula, qua aliquis praesentem se sistit, vel adesse dicit. Nos: *eccomi qua.*

Mutum mare. Metaph. Mare tranquillum.

Liquidiusculus. Translate. Aliquanto placidior, serenior.

Hilarissimum convivam hinc indidem etc. Hilarissimum convivam ex hoc eodem loco tibi proferam. Ego idem ero tibi hilarissimus conviva. It.: *dallo stesso luogo io ti caverò fuori un lietissimo commensale.*

Vel primarium parasitum atque obsonatorem optimum;
Tum ad saltandum non cinaedus malacus aequè est atque ego.

PALAESTRIO.

Quid ad illas artis optassis, si optio eveniat tibi?

PLESIDES.

Huic pro meritis ut referri pariter possit gratia
Tibique, quibus nunc me esse experior summae sollicitudini.
At tibi tanto sumtui esse, mihi molestum est.

PERIPLECTOMENES.

Morus es:

Nam in mala uxore atque inimico si quid sumas, sumtus est;
In bono hospite atque amico quaestus est, quod sumitur:

Primarium. Praecipuum, excellentem.

Parasitum. Parasitus a graecis vocibus παρα ad, et σίτος cibus, dictus fuit qui adulationibus, aliisque id genus artibus, beatorum coenas captabat. Galli appellant *piqueur d'assiettes*. Nos: uno *seroecone*. Hic vero ponitur vel pro servo, cui eligendarum epularum cura erat demandata, uti quibusdam videtur, vel, mea quidem sententia, pro homine morigero, qui alienam gratiam studeat accipere.

Obsonatorem. Servum qui cibos in cocenam coëmebat, vulgo *lo spenditore*. De huiusmodi servis Seneca, Ep. XLVI: Adhuc obsonatores, quibus domnici palati notitia subtilis est; qui sciunt, cuius rei illum sapor excitet, cuius delectet aspectus, cuius novitate nauseabundus erigi possit, quid iam ipsa satietate fastidiat, quid illo die esuriant.

Cinaedus malacus. Cinaedus a κίνατος moveo dictus est, *pantomimus, saltator*. Malacus (μαλακός), *mollis, flexibilis*. Cf. Aulul. III. 7. 8: *Mollior mage quam ullus cinaedus*. Hic pone iam tibi, lector, ante oculos Periplectomenem canis iam capillis, at strenua facie, rubicundum, pollitulum, iuvenili quadam alacritate ac gesticulatione, uti fit, senile corpus ad numeros moventem, et tute intelliges, quantopero ad caveo risum excutiendum conferant verba, quae hactenus onucleavimus, ab illo prolata.

Quid ad illas artis optassis, si optio eveniat tibi? Quinam ad huiusmodi mores quidpiam addeudum putaret, quamvis huiusce rei facultas ei daretur.

Huic pro meritis etc. Equidem opto, ut mihi liceat gratiam pro meritis referre Periplectomeni, et tibi, o Palaestrio, quibus, experior me esse maximae curae!

At tibi etc. Sermonem a Palaestrioue ad Periplectomenem convertit Pleusides.

Morus. Μῆρος, *stultus*.

In mala uxore. Ob malam uxorem, pro mala uxore.

Sumas sumitur. Simplex verbum, uti saepe, pro composito, *insumas, iusumitur*.

Sumtus est. Damnum est.

Et quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro est.

80

Deum virtute, ut transeuntem accipiam, apud me copia est.

Es, bibe, animo obsequere mecum atque onera te hilaritudine.

Liberæ aedes, liber sum autem ego: me volo uti libere.

Nam mihi deum virtute, dicam, propter divitias datas

Licuit uxorem dotatam genere summo ducere;

85

Sed mihi nolo oblatricem in aedis intrmittere.

PLEUSIDES.

Cur nevis? nam procreare liberos lepidum est opus.

PERIPECTOMENES.

Hercle vero liberum *med esse*, id multo est lepidius.

PALÆSTRIO.

Tu homo et alteri sapienter potis es consulere et tibi.

PERIPECTOMENES.

Nam bona uxor, si ea quidem deductu est usquam gentium,

90

Ubi eam possiem invenire? Verum egon' eam ducam domum,

Quæ mihi nunquam hoc dicat: « Eme, mi vir, lanam, unde

pallium

Malaçum et calidum conficiatur tunicaeque hibernæ bonæ,

Sapienti lucro est. Ex sapientis iudicio lucrum est.

Deum virtute, ut transeuntem accipiam, apud me copia est. Deorum gratia et auxilio ea mihi divitarum copia est, ut hospites hac transeuntes domi excipere possim.

Es, bibe, animo obsequere atque onera te hilaritudine. Nos: mangia, bevi, pensa a danti vel tempo qui con me, e stare allegro.

Liberæ aedes. Meae sunt aedes.

Me volo uti libere. Volo omnes me libere utantur.

Oblatricem. Metaphora a canibus ducta. Mulierem clamorosa et iurgantem.

Liberos procreare liberum med esse. Ludit more suo Plautus in verbis *liberos-liberum*. Quam quidem agnominacionem in italiam linguam nequicquam transferat interpres.

Lepidum est opus. Iucundum est opus.

Si ea quidem deductu est usquam gentium. Si bona quidem mulier alicunde potest deduci. *Deducere* pro simplici *ducere*.

Pallium. Graecam vestem memorat Plautus; scena enim agitur Ephesi.

Malacum. Nos: *morbido*.

Calidum. Effectus pro causa. Calorem afferens.

Tunicae hibernæ bonæ. Tunicas ponit in numero multitudinis. Veteribus enim duas aut etiam plures tunicas gestare mos fuit frigoris arcendi

Ne algaeas hac hieme » (hoc nunquam verbum ex uxore audias);
 Verum, priusquam galli cantent, quae me somno suscitet,
 Dicat: « Da mihi, vir, Calendis meam quod matrem iuverit;
 Da, qui farcit; da, qui condit; da, quod dem Quinquatribus,
 Praecantatrici, coniectrici, hariolae atque haruspicae.
 Tum piatricem clementer non potest quin munerem.
 Iampridem, quia nil abstulerit, suscenset ceraria.
 Tum obstetrix expostulavit mecum, sibi missum parum.
 Quid? nutrici non missurus quidquam, quae vernas alit?
 Flagitium est, si nil mittatur, quo supercilio spicit.

causa. Sic Svetenius, Aug. LXXXI: tunc *quatennis* cum pingui toga *tunicis*, et subucula et thorace laneo muniebatur.

Priusquam galli cantent. Ante solis exortum.

Calendis. Subaudi *martis*. His enim praecipue selebant matronae Iunoni sacrificare, et sibi invicem munera mittere.

Meam quod matrem iuverit. Quod matri meae placeat.

Da qui farcit, da qui condit. Para mihi fartorem (*il pasticciere*) et coquum.

Quinquatribus. Quinquatria dicta fuerunt festa quae celebrabantur Romae XIII cal. aprilis in honorem diei natalis Minervae. Hoc vero nomen obtinuerunt vel quod fierent post diem quintum Id. mart., vel quod dichus quinque continuarentur. Per hos autem dies matronae munuscula etiam missitabant, et, perinde ac viri in Saturnalibus, coeam ancillis apponebant. De his fusius Ovidius, Fast. III. 809 et seqq.

Praecantatrici. Intellige mulicrem, quae profitebatur, se thessalicis carminibus mala pellere. Huiusmodi sagis superstitionis matronae saepe praedicis utebantur; haud aliter ac nostra aetate vaferrimas illas mulieres adhibent, quas vulgo dicimus: *magnetizzatrici*.

Coniectrici. Quae somnia interpretatur.

Hariolae. Quae futura vaticinatur.

Haruspicae. Quae futura ex victimarum extis conicit.

Piatricem. Die octave aut nono ex quo infans natus erat, consueverant Romani ei nomen imponere. Hunc diem *Iusticum* appellabant a Iustrando, propterea quod sacerdes quaedam, *piatrix* dicta, recens natum Iustrabat, hoc est religiosis quibusdam ritibus expiabat.

Tum piatricem clementer non potest quin munerem. Nequeo quin piatrici aliquod munus dem, nisi maximam mihi invidiam velim conflare.

Quia nil abstulerit. Subaudi a me. Qued nullum ei munus contulerim.

Ceraria. Quae cereos parat in sacrificia.

Obstetrix. Quae opera sua parturientes iuvat.

Expostulavit mecum. Quæsta est apud me.

Non missurus quidquam? Nonne es missurus aliquid?

Vernas. Servos domi natos.

Haec atque huius similia alia damna multa mulierum
 Med uxore prohibent, quae huius similis sermones serat. 105

PALAESTRIO.

Di tibi propitii sunt hercle: nam si semel amiseris
 Libertatem, haud facile te in eundem rursus restitues locum.

PLEUSIDES.

At illaec laus est, magno in genere et in divitiis maximis.
 Liberos hominem educare, generi monumentum et sibi.

PERIPLECTOMENES.

Quando habeo cognatos multos, quid opus sit mihi liberis? 110
 Eos pro liberis habebo, qui mihi mittunt munera.
 Nunc bene vivo et fortunate, atque ut volo, atque animo ut lubet;
 Bona mea in morti cognatis dicam, inter eos partiam.
 Illi apud me edunt; me curant; visunt quid agam, ecquid velim.
 Priusquam lucet, adsunt; rogitant, noctu ut somnum ceperim. 115
 Sacrificant? dant inde partem mihi maiorem, quam sibi;

Damna mulierum. Damna, quae ex mulieribus profisciscuntur.

Med uxore prohibent. Me deterrent ab uxore ducenda.

Mihi sermones serat. Sermones mecum habeat. Hic velim animadvertas, lector, quam ingeniose Noster, tum mulierum ingenium expresserit, quae nullum sumtui modum facientes, viros usquequaque petitionibus fatigant, tum vero caelibis hominis mores, qui nuptias aversatus, multus est in enumerandis incommoditatibus, quibus mariti plurimis interdum modis cruciantur. Quae quidem Periplectomenis verba haud dissimilem Plautinum locum (Anul. iii. 7. 31 et seqq.) in memoriam nobis revocant; quem si adeas, nae tu hercle comicam Sarsinatis vim, animique foecunditatem deprehendes.

Di tibi propitii sunt hercle. Nemo sane te est beatior.

At illaec laus est, magno in genere etc. At illud laudandum, hominem summo loco natum et divitiis affluentem, liberos educare, qui patris et generis memoriam ad posteros transmittant.

Quando. Quandoquidem.

Quid opus sit mihi. Quid mihi opus est.

Ut volo, atque animo ut lubet. Itali: come mi pare e piace.

Bona mea in morti cognatis dicam. Mea bona moriens cognatis legabo.

Dicam. Hoc pertinet ad ius romanum; siquidem heredes, ait Ulpianus (Dig. xxviii. 1. 21), palam, ita ut exaudiri possint, nuncupandi sunt.

Sacrificant? dant inde etc. Qui in Romanorum institutis plauē hospes non sit, abunde uovit, hanc consuetudinem apud illos tenuisse, ut peracto sacrificio convivium cum amicis celebrarent, aut victimae partem ad amicos et cognatos mitterent.

Abducunt ad exta me; ad se ad prandium, ad coenam, vocant.
 Ille miserrimum se retur, minunium qui misit mihi.
 Illi inter se certant donis; egomet mecum mussito:
 Bona mea inhient, dum certatim nutricent et munerent.

PALAESTRIO.

Nimis bona ratione nimiumque ad te et tua multum vides,
 Et tibi sunt gemini et trigemini, si te bene habes, filii.

PERIPLECTOMENES.

Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum. In liberis
 Censerem ecmori: cecidissetne ebrius aut de equo uspiam?
 Metuerem, ne ibi defregisset crura aut cervices sibi.

Abducunt ad exta me. Me vocant ad convivium, ad comedenda exta victimae immolatae, quae *lustralia* dicebantur. Huc autem convivio carissimum tantum adhibebatur, aut prepinqua cognatione coniuncti.

Egomet mecum mussito. Ego autem submissa voce mecum ipse alo.

Bona mea inhient. V. *Autul.* 11. 2. 17.

Dum certatim nutricent et munerent. Festivo Periplectomenes callidas artes tangit, quibus Romani divitum hereditates captarent. De his fusiis Horatius, *Sat.* 11. 5. 10: Turdus, Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc, Res ubi magna nitet, domiue seue; dulcia poma, Et quoscumque foret cultus tibi fundus honores, Ante lareni gustet venerabilior lare dives.

Nimis bona ratione. Subaudi *facis*.

Ad te et tua. Spectantis ad te et res tuas.

Si te bene habes. Si bene vivis.

Pol, si habuissem. Subaudi *liberos*.

In liberis censerem ecmori: cecidissetne etc. Si liberi mihi essent, tot angoribus adsidue premerer, ut mori viderer. Namque metuorem, ne quis ex illis de equo cecidisset, ne sibi crura defregisset etc. Huiusmodi anxietatibus iactatum Micionem nobis exhibet Terentius (*Adelph.* 1. 1. 10 et seqq.) ob Aeschinem, fratris filium, quem adoptaverat: Ego quia non reddiit filius, quae cogito! Et quibus nunc soluciter rebus! ne aut ille alserit, Aut uspiam exciderit, aut praefregerit aliquid. Ceterum in hac Periplectomenis persona, caelibatus commoda laudantis, videtur Plautus voluisse innumeros illes lautiores hominos facete notare, qui a nuptiis abhorrebant, quo liberius magisque ex sententia viverent; nude corrupti Romanorum mores potissimum orichantur. tunc vero intelligitur, cur iam inde ab auro urbis conditae ccc. M. Camillus et M. Postumius censors (Valer. Max. 11. 9. 1.) iussissent aera, poetae nomino, eos qui ad senectutem caelibes pervenerant, in aearium deferre; Augustus autem, evaganti licentiae freua iniocutus, nobilissimam illam legem Iuliam Pappiam Poppaeam de maritandis ordinibus sanciret.

PALAESTRIO.

Huic homini dignum est divitias esse, et diu vitam dari,
Qui et rem servat et qui bene habet, suisque amicis est volup.

PLEUSIDES.

O lepidum caput! Ita me di deaque ament, aequom fuit,
Deos paravisse, uno exemplo ne omnes vitam viverent,
Sicuti merci pretium statui, pro virtute ut veneat, 130
Quae inproba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperet:
Itidem divos dispartisse vitam humanam aequom fuit;
Qui lepide ingeniatus esset, vitam longinquam darent;
Qui improbi essent et scelesti, iis adimerent animam cito.
Si hoc paravissent, et homines essent minus multi mali, 135
Et minus audacter scelesta facerent facta; et postea,
Qui probi homines essent, esset his annona vilior.

PERIPLECTOMENES.

Qui deum consilia culpet, stultus inscitusque sit,

Huic homini dignum est etc. Hic homo dignus est qui divitiis affluat,
et diu vivat.

Rem. Divitias.

Bene habet. Supp. se. Nos: si tratta bene.

Volup. Apocope. Pro volupe, adiectivum neutrum obsoletae vocis masculinae volupis, quod idem valet ac iucundum, gratum. Suis amicis est volup, amicis suis gratificatur.

O lepidum caput! O hominem urbanum et liberalem! Haud aliter Terent. Eun. III. 3. 25: O capitulum lepidissimum!

Aequom fuit, deos paravisse, etc. Oportuisset, ut dii ita res humanas comparassent, ut non omnes uno modo viverent.

Sicuti merci pretium statui. Sicuti aequom fuisset, merci pretium statui.

Pro virtute. Habita ratione dignitatis. Nos: *secondo la qualità.*

Quae inproba. Quae deterior est.

Dominum pretio pauperet. Dominum pretio privet.

Itidem. Eodem prorsus modo.

Dispartisse. Distribuisse.

Lepide ingeniatus. Optima praeditus natura. *Ingeniari* obsoletum est verbum.

Animam. Vitam.

Qui probi homines essent, his annona vilior. Sensus est: si probi homines diuturna, improbi autem brevi ulerentur vita, fieret, ut illis res ad vitam necessariae abundarent, et viliori pretio pararentur. Sic Horat. Ep. I. 12. 24: Vilis amicorum est annona.

Quique eos vituperet. Nunc iam istis rebus desisti decet:
 Nam volo obsonare, ut, hospes, tua te ex virtute et mea
 Meae domi accipiam benigne lepide et lepidis victibus.

PLEUSIDES.

Nil me poenitet iam, quanto sumtui fuerim tibi.
 Nam hospes nullus tam in amici hospitium devorti potest,
 Quin, ubi triduom continuom fuerit, iam odiosus siet;
 Verum ubi dies decem continuos illius iterasti donum,
 Tametsi dominus non invitus patitur, servi murmurant.

PERIPLECTOMENES.

Servientis servitatem servos mi introduxi ego,
 Hospes, non qui mi imperarent, quibus ego essem obnoxius.
 Si illis aegre est, mihi quod volupe est, meo remigio rem gero;
 Tamen id, quod odio est, faciendum est cum malo atque ingratiis. 150
 Nunc, quod ocepi, obsonatum pergam.

Istis rebus desisti decet. iam decet haec omittere.

Obsonare. Obsonia parare ad coenam.

Tua ex virtute et mea. Uti to et me decet.

Lepidis victibus. Lautis cibis et suaviter conditis.

Nil me poenitet iam, quanto sumtui fuerim tibi. Urbana grati adolescentis responsio. Haud parvi mihi videntur sumtus, quos mei causa iam fecisti. Itali: *e ti par poco tutto quello che hai già speso per mia cagione?* Cf. Stich. iv. t. 4: Si duarum (puellarum) *poenitebit*, addentur duae. Sic Cic. Att. xii. 28: *Non poenitet me quantum iam profecerim.*

Hospes nullus tam in amici hospitium iam odiosus siet. Nullus hospes uti potest tam amici hominis hospitio, ut oi non sit molestus, si plusquam tres dies continuos apud illum commoretur. Huc spectat illud Italorum proverbium: *Pioggia e forestiere, tre giorni e poi annoia.*

Illius iterasti domum. Apud illum diversaris.

Servi murmurant. Nos: *i servi cominciano a brontolare.*

Servientis servitatem servos. Iteratis huiusmodi vocibus gaudet Plautus, quo pertinent ad caveam exhilarandam.

Mi introduxi. Mihi comparavi.

Si illis aegre est. Si molestum illis contingit.

Meo remigio rem gero. Meis remigibus navim impello. Metaphoram ex re nautica depromsit Noster, quae idem valet ac si scripsisset: ad meam voluntatem omnia fiunt. Haud aliter apud Goldonium, *Don Tòdero Bron-ton: El paron de casa son mi.*

Cum malo atque ingratiis. Velint nolint. Graeci ἢ ἀγέρας; nos: *a loro marcio dispetto.* *Ingratiis*, casus ablativus adverbialiter positus.

Quod ocepi. Quo ire cogitabam.

PLEUSIDES.

Si certum est tibi,

Commodulum obsona, ne magno sumtu: mihi quid vis sat est.

PERIPLECTOMENES.

Quin tu istanc oratiouem hinc veterem atque antiquam amoves?

Nam proletario sermone nunc quidem, hospes, utere:

Nam hi solent, quando adcubuere, ubi coena adposita est, dicere: 155

» Quid opus fuit istoc sumtu tanto nostra gratia?

» Insanivisti hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decem. »

Sed iidem homines nunquam dicunt, quamquam adpositum est
ampliter:

» Iube illuc demi! tolle hanc patinam! remove pernam: nil moror.

» Aufer illam offam penitam! probus hic conger frigidus: 160

» Remove! abi, aufer! » Neminem eorum haec adseverare audias;

Si certum est tibi. Si hoc statuisti ac deliberasti.*Commodulum obsona, ne magno sumtu.* Emo modica et vilia obsonia.*Quin?* Particula indignantis. Cur non?*Quin tu istanc orationem hinc etc.* Vah! apage istam orationem veterem atque obsoletam. Itali: *va via con questi tuoi discorsi vietati è comuni fuori d'uso.* Haec duo verba (*vetus et antiquus*) saepe coninctim usurpat Plautus, ita tamen, ut vocem *antiquus* posteriore loco ponat, quippe quae longius tempus significat, et dicitur de iis, quae ob maximam antiquitatem iam usurpari sinit desita. Cf. Amphitr. Prol. 118; Most. II. 2. 45; Pers. I. 2. 1; Trinum. II. 2. 100.*Proletario sermone.* Sermone vulgari, qui plebeinam et pauperem hominem decet. Proletarii enim dicti fuerunt tenuissimi homines in plebe romana, qui nihil in rempublicam, praeter prolem, conferebant.*Nostra gratia.* Itali: *per cagion nostra.**Insanivisti.* Insanire dicitur translate qui in sumtibus faciendis modum excedit. Hinc Plinius (Hist. nat. XIII. 29; XIX. 5.) *insaniam* mensarum et vestium appellat nimiam epularum et vestium magnificentiam.*Quamquam adpositum est ampliter.* Etiam si coena copiose et laute sit parata.*Patinam.* Continens posnit pro contento.*Pernam.* Coxam suis salitam, vulgo *prosciutto.**Nil moror.* Itali: *non voglio altro.**Offam penitam.* Absegmen, seu frustum carnis porcinae cum cauda.*Probus hic conger frigidus.* Conger, piscis marinus, anguillae similis. Sensus est: hic conger, etiam frigidus, optimus erit.*Remove, abi, aufer.* Has igitur epulas remove, abi, aufer et serva in diem crastinum.*Haec adseverare.* Serio haec dicere.

Sed procellunt se et procumbunt dimidiati, dum adpetunt.
Quod eorum causa obsonatum est, culpant, et comedunt tamen.

PLEUSIDES.

Fit pol illuc ad illuc exemplum.

PALAESTRIO.

Ut docte et perspecte sapit!

Bonus bene ut malos descripsit mores!

PERIPLECTOMENES.

Haud centesimam

165

Partem dixi atque, otium re si sit, possim expromere.

PALAESTRIO.

Igitur id, quod agitur, huic primum praevortū decet.

Nunc huc animum advortite ambo. Mihi opus est opera tua.

Periplectomene: nam ego inveni lepidam sycophantiam,

Qui admutiletur miles usque caesariatus, atque tūi

170

Sed procellunt se et procumbunt dimidiati, dum adpetunt. Sed se se protendunt, et dimidia corporis parte proni imminent ferculis saque vehementer appetunt. Graphica sane Periplectomenis verba, qui expressam lurconum imaginem nobis exhibet, exquisitorēs epulas inbiantium.

Fit pol illuc ad illuc exemplum. Res profecto sic se se habet.

Ut docte et perspecte sapit! Ut callide et dilucide omnia novit!

Centesimam partem atque, etc. Centesimam partem, quam possum enarrare. Particula *atque* inservit eleganter comparationi, quae, licet paullo obscurior, continetur hisce verbis: *centesimam partem atque*. Sic Bacchid. iv. 4. 73: *Nimis bellus atque* ut esse maximo optabam locus. Caesar, Bell. Gall. I. 28: *In parem iuris libertatisque conditionem atque ipsi erant*, receperunt.

Otium re si sit. Si per tempus liceret. *Re*, *appellati* pro dativo rei.

Igitur id quod agitur, etc. Sensus est: quum igitur huic rei tractandae nunc tempus non suppetat, illud orit anteponendum, de quo acturi huc convenimus.

Nunc huc animum advortite ambo. Nos: *ora ascoltate mi attentamente tutti e due*.

Sycophantiam. Fallaciam, dolum.

Qui. Ablativus omnis generis.

Admutiletur miles usque caesariatus. Tondeatur miles, bene capillatus. *Admutilare, tondere*, translate pro decipere. *Usque*, multum, valde. Militis caesariem laudavit Artotrogus, act. I. v. 64. Hanc rursus tangit Palaestrio, propterea quod Pyrgopolinices caesariem suam magnifico iactaret, haud aliter ac venustiores nostri adolescentes longam comam, et barbam usque ad pectus promissam, ostentare consueverunt.

Huic amanti ab Philocomasio hanc efficiamus copiam, ut
Hinc eam abducat habeatque.

PERIPLECTOMENES.

Dari istanc rationem volo.

PALAESTRIO.

At ego mi anulum dari istum tuum volo.

PERIPLECTOMENES.

Quam ad rem usui sui est?

PALAESTRIO.

Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo.

PERIPLECTOMENES.

Utere; accipe.

PALAESTRIO.

Accipe a me rursum rationem doli,

175

Quam institui.

PERIPLECTOMENES.

Purgatis ambo tibi operam damus auribus.

Uti huic amanti ab Philocomasio efficiamus copiam. Ut Pleusidi amanti copiam Philocomasii faciamus. Itali: per procacciare a questo innamorato gli abbracciamenti di Filocomasio. Ubi notanda rarior illa locutio: copiam facere ab Philocomasio pro eo quod est Philocomasii copiam facere; casus nempe ablativus pro genitivo positus. Sic Lucretius l. 730: Fulgorem reverentur ab auro; Virg. Georg. II. 243: Dulces ab fontibus undae; Liv. I. 21: Mettus Curtius, ab Sabinis princeps, ab arce decurreerat; Id. XXI. 37: Per eosdem dies ab Hierone classis ostium cum magno comœatu accessit.

Ut hinc eam abducat habeatque. Nos: perchè se la conduca via di qui, e se la tenga.

Dari istanc rationem volo. Cupio, hanc doli rationem, quam excogitasti, mihi narrari.

Quam ad rem usui sui est? A che cosa ti dee servire?

Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo. Particula igitur cum futuro composita saepe idem valet ac tum, postea. Sic Amphitr. I. 1. 144: Clare adversum fabulabor, hic ausculet quae loquar. Igitur magis modum in maiorem in se se concipiet metum. Bacchid. III. 4. 19: Decretum est remunerare iam omne aurum patri. Igitur mihi inopi atque inani subblandibitur. Casin. II. 2. 39: Nox magis quam otium mihi et tibi erit, igitur tecum loquar.

Accipe. Subaudi anulum.

Rursum. Contra; vicissim.

Purgatis ambo etc. Ambo attentas tibi aures praebemus.

PALAESTRIO.

Herus meus ita magnus moechus mulierum est, ut neminem
Fuisse adaeque, neque futurum credam.

PERIPLECTOMENES.

Credo ego istuc item.

PALAESTRIO.

Itaque Alexandri praestare praedicat formae suam;
Itaque omnis se ultro sectari in Epheso memorat mulieres 180

PERIPLECTOMENES.

Edepol quin te de isto multi cupiant non mentirier;
Sed ego, ita esse, ut dicis, teneo pulcre: proiu, Palaestrio,
Quam potis, tam verba confer maxume ad conpendium.

PALAESTRIO.

Ecquam tu potes reperire forma lepida mulierem,
Quoi facetiarum cor corpusque sit plenum et doli? 185

Moechus mulierum. Vox *mulierum* redundat. Amator mulierum.

Adaeque. Aequae. Velustior haec vox, quae apud Plautum solum occurrit, semper componitur cum vocabulis negantibus, *nemo*, *nunquam*, *neque*, *nullus*. Cf. Captiv. v. 4.3; Casin. III. 5.45; v. 1.3; Cistell. I. 1.57; Mostell. I. 1.29.

Item. Etiam, quoque. Sic Carcul. I. 1.27: Ego *item* volo. Cic. de amic. II. 7: Itaque ex me quaerunt, credo ex hoc *item* Scaevola. Id. Ep. ad fam. VI. 3.1: Hoc *item* tempore brevior esse debeo.

Itaque Alexandri praestare praedicat formae suam. Itaque se formosiores praedicat Paride, Priami filio, qui et Alexander dictus est. Apte vero Palaestrio Pyrgopoliticem comparat cum Paride, quem externo formae cultu feminis placere studentem carpit Homerus Iliad. III. 54 et seq.: Οὐκ ἔν τε χρῆσται κέλευσε, τὰ τε δὲ ἄρ' Ἀργεῖος, ἢ τε κέλευ, τὰ τε αἶδοι, ὅτ' ἐν κοίταις μεγίστη. Cf. Horat. Od. I. 15.13. seqq.

Itaque omnis se ultro sectari etc. Itaque gloriatur, se ab omnibus ephesiis mulieribus peti. *Sectari* in hoc loco est verbum amatorium, a re venatoria translatum.

In Epheso. Ephesi. Nota locutionem a vulgari syntaxi recedentem. Haud aliter Plin. H. N. II. 75: Constat in *Berenice*, urbe Troglodytarum, hoc idem fieri.

Mentirier. Παρηγορῆ.

Teneo pulcre. Pro certo habeo.

Verba confer maxume ad conpendium. Rem brevibus verbis expedi.

Ecquam. Num aliquam. Hinc exorditur Palaestrio doli narrationem a se excogitati ad fallendum militem.

Quoi facetiarum cor etc. Quae tota facetiis et dolis constat.

PERIPLECTOMENES.

Ingenuamne, an libertinam?

PALAESTRIO.

Aequi istuc facio, dummodo

Eam des, quae sit quaestuosa, quae alat corpus corpore,
Quoque sapiat pectus; nam cor non potest, quod nulla habet.

PERIPLECTOMENES.

Lautam vis, an, quae sit nondum lauta?

PALAESTRIO.

Siccam, succidam,

Quam lepidissimam potes, quamque adolescentem maxume. 190

PERIPLECTOMENES.

Habeo eccillam meam clientam, meretricem adolescentulam.
Sed quid ea usus est?

PALAESTRIO.

Ut ad ted eam iam deducas domum,

Itaque eam huc ornata adducas in matronarum modum:

Aequi istuc facio. De hoc non laboro. Nos: di questo non m'importa.

Quae sit quaestuosa, quae alat corpus etc. Quae corpus suum in quaestum conferat.

Quoque sapiat pectus; nam cor non potest. Subaudi sapere. Cavillatur in hoc loco servus scenae exhilarandae causa: mulierem, ait, volo, cui pectus, non eni cor sapiat; nulla enim mulier habet cor. Quae verba idem valent ac si dixisset: volo mulierem sapientem, si ulla quidem sapiens inveniri potest. Namque veteres sapientiam in corde collocabant, quo omnes feminas carere testatur Palaestrio.

Lautam vis, an, quae sit nondum lauta? Visne mulierem quae virum iam sit experta, an virginem? Romanae enim feminae postquam Veneri essent operatae, solebant corpus lavare. Huc spectant quae habet Ovidius, Amor. III. 7. 83 et seq.: Neve suae possent intactam scire ministrae, Deceus hoc sumta dissimulavit aqua.

Siccam mulierem dicimus, quae gracilis quidem sit, sed non macilentia.

Succidam. Succum plenam, musteam. Hali: *pienotta*. Nos subalpini: *piena d' gius*.

Lepidissimam. Venustissimam.

Habeo eccillam. *Succidam.* Eccillam dicimus de muliere absente, ostendentes locum ubi est.

Clientam. Quae est in meo patrocinio.

Usus est. Opus est.

In matronarum modum. Uti matronae esse solent.

Capite comto; crinis vittasque habeat, adsimuletque, se
Tuam esse uxorem. Ita praecipendum est.

PERIPLECTOMENES.

ERRO, quam insistas viam. 195

PALAESTRIO.

At scies. Sed ecqua ancilla est illi?

PERIPLECTOMENES.

Est prime cata.

PALAESTRIO.

Ea quoque opus est: ita praecipito mulieri atque ancillulae,
Ut simulet, se tuam esse uxorem et deperire hunc militem;
Quasique hunc anulum faveae suae dederit, ea porro mihi,
Militi ut darem; quasique ego re sim interpres.

PERIPLECTOMENES.

Audio. — 200

Nae me surdum verberabit.

PALAESTRIO.

Tute si audis, recta ego

Meis dabo; a tua mi uxore dicam delatum et datum,

Capite comto; crinis vittasque habeat. Habeat longam et comtam caesariem cum vittis. Quibus verbis significat Plautus habitum, quo ingouuae et honestae mulieres a meretricibus distinguebantur. Illis enim longiores erant crines, vittis ligati, et stola ad talos usque demissa. His e contrario curtati capilli et brevior vestis. Cf. Tib. Eleg. I. 6. 67: Sit modo casta, doco; quamvis non vitta ligalos impediatur crines, nec stola longa pedes.

Ita praecipendum est. Haec omnia clientae tuae sunt praemonstranda.

Erro, quam insistas viam. Nescio quo tandem evadas.

Prime cata. Apprimo solers, callidissima.

Deperire hunc militem. Efflicim amare hunc militem.

Faveae. Faveam dixerunt Romani ancillam quod domino suo favorot.

Ea porro mihi. Illa autem mihi.

Re. Arch. Rei.

Interpres. Nos: mezzano.

Nae me surdum verberabit. Hic profecto eadem saepius iterando me obtundet.

Recta. Supp. via. Nos: a dirittura.

Meis dabo. Numerum multitudinis pro singulari posuit, ut saepe comici. Anulum hero meo dabo.

Ut sese ad eum conciliarem. Ille eiusmodi est: cupiet miser,
Qui, nisi adulterio, studiosus re nullae aliae est, improbus.

PERIPLECTOMENES.

Non potuit reperire, si ipsi Soli quaerendas dares, 205
Lepidiores duas ad hanc rem, quamde ego. Habe animum honum.

PALAESTRIO.

Ergo adcreas et properes opus. — Nunc tu ausculta, Pleusides.

PLEUSIDES.

Tibi sum obediens.

PALAESTRIO.

Hoc facito. Miles domum ubi advenerit,
Memineris, ne Philocomasium nomines.

Ut sese ad eum conciliarem. Ut militem ad illam adducerem. *Conciliare* est verbum amatorium. Ille dicitur *conciliare*, qui legitimas nuptias, vel lenocinando amores lungit.

Ille eiusmodi est: cupiet miser. Vide quam proprie Plautus *cupientem* potius quam *amantem* dixerit Pyrgopolinicum, qui totus esset in amoribus. Latinis enim *cupere* idem valet atque *immoderate amare*. Ilinc Phaedromus in *Curculione* (l. 1. 3.) interrogatus a Palinuro servo quonam concubia nocte proficisceretur: Quo Venus, ait, Cupidoque imperat, suadetque Amor. Ubi ex Servii sententia (ad Aeneid. iv. 194.), verbum *imperat* Cupidinis violentiam ostendit; *suadet* vero Amoris moderationem significat. Idem Plautus in fragmentis apud Non. v. 1: *Cupido te conficit, anne amor?* Et quo significantius immoderatum hunc militis amorem notaret Noster, addidit epithetum *miser* pro adverbio *misere*, vehementer. Cf. Cistell. l. 2. 12; Ter. Adolph. iv. 5. 54.

Qui, nisi adulterio, studiosus etc. Qui nulli alii rei studet, nisi adulterio. Nota insolitam locutionem *studiosum esse alicui rei... Nullae aliae.* Ἀρχαίως. Nulli alii.

Inprobus. Lascivus, audax, impudens.

Non potuit reperire, si ipsi Soli etc. Si duas aptas puellas ipsi Soli, qui omnia videt, quaerendas dedisses, aptiores profecto ad hanc rem reperire non potuisset, quam ego reperi. Cf. Stich. l. 2. 55: *Mulierem (uxorem) neque tu reperies, neque sol videt.*

Habe animum donum. Nos: *sta di buon animo.* Quibus dictis Periplectomenes abit clientam suam adornaturus ex Palaestriionis praeceptis.

Ergo adcreas et properes opus. Ergo diligenter et nulla interposita mora rem perface. Haec Palaestrio ad senem abeuntem; deinde ad Pleusidem conversus: *nunc, ait, tu ausculta.*

Hoc facito. Formula, qua aliquem monemus ut animum advertat ad ea, quae sumus dicturi. Itali: *attento, bada bene.*

PLEUSIDES.

Quam nōminem?

PALAESTRIO.

Glyceram.

PLEUSIDES.

Nempe eandem, quae dudum constituta est.

PALAESTRIO.

Pax, abi! 210

PLEUSIDES.

Meminero. Sed quid meminisse id referat, ego ted amem

PALAESTRIO.

Ego enim dicam tū, quando usus poscet: interea tace.

Ut nunc, etiam hic agit, actutum partis defendas tuas.

PLEUSIDES.

Ego eo intro igitur.

PALAESTRIO.

I, et praecepta sobrie ut cures face.

Quam nōminem? Quam nominabo?

Nempe eandem, quae dudum constituta est. Eodem videlicet fictitio nomine, quod ruper Philocomasio constituimus.

Pax, abi! ἡσῆ, graeca interiectio, qua sermonem abrumpimus, et silentium nobis aut aliis indicimus. Haec quidem *ἀσπρῆς* profert servus, indice ad os admoto. Nos: *basta, vattene.*

Sed quid meminisse id referat, ego ted amem Sed te peramanter rogo, ut dicas mihi quid referat meminisse Heic Pleusidem plura dicere conantem interpellat impatiens servus, inquires: hoc dicam tibi quando opus erit.

Ut nunc, etiam hic agit, actutum partis defendas tuas. Diu multumque interpretum ingenium torsit hic locus, cuius obscuritas ex eo praesertim manabat, quod perperam a librariis fuisset interpunctus. Sed posita hac interpretatione, et subaudiendo verbum *est*; omnia sat erant perspicua. Nimirum: ut nunc est, ut nunc res se habet, hic, nempe Periplectomenes, nondum partes suas absolvit, adhuc agit quod ei mandatum est de adornanda clientela sua in matronae modum. Vix cum hic rem expedierit, tunc tuum erit partes tuas defendere, vicem tuam implere, et huc Philocomasium adducere. Quare dicas italice: *per ora costui sta ancora operando, presto farai anche tu la tua parte.*

Actutum. Confestim. Multa in medium afferunt grammatici de huiusce adverbii origine; quae tamen satis probabili argumento non confirmantur. A comicis frequentatum, rarius occurrit apud historicos atque oratores.

Sobrie. Attente, caute, prudenter.

ACTUS III. - SCENA II.

PALAESTRIO, LUCRIO.

PALAESTRIO.

Quantas res turbo! quantas moveo machinas!
 Eripiam ego hodie concubinam militi,
 Si centuriati bene sunt manipulares mei.
 Sed illunc vocabo. Heus, Sceledre, nisi negotium,
 Progredere ante aedis: te voco, Palaestrio.

LUCRIO.

Non operae est Sceledro.

PALAESTRIO.

Quid iam?

Ne forte Sceledrus consilium ludificandi militis perturbaret, quod iniurant Pleusides, Palaestrio et Periplectomenes, ingeniose Plautus in hac scena Lucrionem puerum narrantem inducit, quemadmodum Sceledrus conservus, ita se in merum ingurgitaverit, ut nunc crapulam edormiens, altos rhonchos edat. Hinc vero spectatores statim intelligunt, nihil iam a Sceledro esse timendum; praeterea solvuntur in risum ob Lucrionis verba, graphica quadam et festiva simplicitate operam memorantis, quam Sceledro dedit in exhauriendis cadis.

Quantas res turbo! quantas moveo machinas! Quantas turbas concito, quantos dolos struo!

Si centuriati bene sunt manipulares mei. Allegoria ex re bellica. *Centuriare*, in centurias distribuere. *Manipulares*, milites manipuli mei. Si milites mei sunt bene instructi atque ad pugnam parati. *Manipularium* nomine intellige Periplectomenem, Pleusidem et mulieres, quorum opera Palaestrio concubinam Pyrgopolinici erepturus erat.

Heus. Hac particula utimur quum aliquem vocamus ut nos exaudiat, aut uti e longinquo ad nos accedat, aut uti ad nos se convertat. Itali: *o là*. Cf. Aulul. II. 2. 86; II. 3. 2; Merc. IV. 4. 60; v. 2. 69; Mil. III. 1. 16; Pseud. IV. 7. 22.

Nisi negotium. Supp. est tibi.

Te voco, Palaestrio. Ego Palaestrio te voco.

Non operae est Sceledro. Non est commodum Sceledro huc venire ad te; non vacat, est occupatus. Cf. II. 2. 98. Liv. IV. 8: Nequo consulibus, quum tot populorum bella imminerent, *operae erat* id negotium agere.

Quid iam? Quare?

LUCRIO.

Sorbet dormiens.

PALAESTRIO.

Quid? sorbet?

LUCRIO.

Illud, stertit, volui dicere;

Sed quia, quom stertas, consimile est quasi sorbeas.

PALAESTRIO.

Eho, an dormit Sceledrus intus?

LUCRIO.

Non naso quidem:

Nam eo magnum clamat. Tetigit calicem clanculum.

10

PALAESTRIO.

Dormit?

LUCRIO.

Ita: nardini amphoram, cellarius.

Sorbet dormiens. Festiva Lucrionis responsio, pro eo quod est arcte et graviter dormit. Rem ab effectis significat Noster. Saepe enim fit, ut nobis dormientibus spiritus difficulter per fauces meet, ac sonitus ille exaudiatur, qui fieri solet, quum liquidum aliquid sorbemus. Hinc videlicet vernacula illa nostratium locutio: *piè un brod*, quae idem valet ac *dormire profondamente*.

Illud volui dicere. Familiaris sermonis formula, quum videlicet pro eo quod dictum est, aliud reponimus, quod nobis aptius videatur.

Stertit. Dormiens strepitum per nares edit.

Sed quia consimile etc. Sensus est: quum eundem fermo sonum emittant qui stertunt ac sorbent, idcirco Sceledrus stertens dictus est a me sorbere.

Eho. Interrogationi praeponitur, quae fit cum quadam vehementia, quum quidpiam est a nobis auditum mirabile aut vix credibile. Cf. *ii. 3. 30*; *Most. v. 1. 35*. Terent. *Andr. iii. 3. 20*; *Heaut. iii. 2. 26*.

Non naso quidem. Insulsus locus ex illorum genere, quibus in scena uti consueverunt scurriles illae personae, quas Romani *sanniones*, nos *zanni* appellamus. Dormit quidem Sceledrus, non autem nasus eius, qui altum clamorem edit.

Tetigit calicem. Exhaustit poculum. Itali: *ha baciato il bartotto*.

Ita. Particula respondentis cum affirmatione. Nos: *si*. Cic. *de orat. ii. 2. 43*: Quidnam, inquit Catulus, an laudationes? Id enim video poni genus tertium. *Ita*, inquit Antonius. *Horat. Sat. ii. 7. 2*: Davusne? *Ita*; Davus. Cf. *Plaut. Amphitr. I. 1. 208*; *Terent. Andr. v. 2. 8*; *Eun. iv. 4. 54*.

Nardini amphoram, cellarius. Subaudi: dormit. Sceledrus cellao vi-

PALAESTRIO.

Eho, tu sceleste, qui illi suppromus 's, eho!

LUCRIO.

Quid vis?

PALAESTRIO.

Qui lubitum est illi condormiscere?

LUCRIO.

Oculis, opinor.

PALAESTRIO.

Non te istuc rogitō, scelus.

Procede huc! Periisti iam, nisi verum scio!

Promsisti tu illi vinum?

LUCRIO.

Non promsi.

nariae praepositus edormit, hoc est dormiendo concoquit amphoram nardini. *Nardini*. Lantissima fuerant apud Romanos vina murrhae aut nardi odore condita, quae *murrhina* aut *nardina* appellabant. *Amphoram*, a graecis vocibus *ἀμφι*, *utrinque* et *φορ*, *porto*, dixerunt veteres vas vitinarum plerumque fictilo, duabus ansis praeditum, quibus prehendi et portari poterat. Amphora capiebat duas urnas, tres modios, octo congios, octo et quadraginta sextarios, heminas seu cotylas sex et nonaginta. Si vero ad mensuras nostras exigatur, continet litri 26 1/2. Itali: *il nostro cantiniere sta digerendo un' anfora di buon nardino*.

Eho. In hoc loco inservit indignationi et contumelliae. Cf. Bacch. II. 3. 40; Casin. II. 3. 21; Pers. II. 3. 2; Terent. IV. 2. 27; Phorm. IV. 4. 3.

Eho, tu sceleste. Conviciatur Palaestrio Lucrioni, qui, utpote promus vicarius, particeps esse debuit huiusce furti, quod Sceledrus admisit. Nos: *ah birbante!*

Suppromus. Qui vices gerit promi seu cellarii.

Qui lubitum est illi condormiscere? Qui? Ambiguae significationis vox, *quomodo?* vel *quare?* Ex hac vero ambigua significatione occasionem capiat Lucrio scurrillis acuminis. Nimirum perinde ac si Palaestrio quaesivisset: Quomodo dormit Sceledrus? Respondet: Oculis, uti quidem opinor, ille dormit. Sic apud Mercat. I. 2. 7: *Charinus*: Qui potuit ridere? *Achantio*: Oculis. *Charin*. Quo pacto? *Achant*. Biantibus.

Non te istuc rogitō, scelus. Hoc a te non peto, sceleste.

Procede huc. Nos: *vien qua*.

Periisti iam, nisi verum scio. Usurpatur iam de re proximo tempore futura, vix cum aliud erit factum. Itali: *se non mi dici il vero, io ti ammazzo qui di presente*, vel: *se non mi dici il vero, sei morto*.

PALAESTRIO.

Negas?

LUCRIO.

Nego hercle vero: nam ille vetuit dicere.
 Neque equidem heminas octo expromsi in urceum,
 Neque illic calidum exhibit in prandium.

PALAESTRIO.

Neque tu bibisti?

LUCRIO.

Di me perdant, si bibi,

20

Si bibere potui.

PALAESTRIO.

Quid iam?

LUCRIO.

Quia enim obsorbui:

Hercle vero. Coniunguntur duae particulae affirmativae, quo maior affirmandi vis existat. Cf. Asin. II. 1. 1; II. 2. 106; III. 3. 96; Curc. III. 5; Mostell. III. 1. 18; alibi que passim.

Heminas octo. Fuit hemina, uti supra dictum est, sexta et nonagesima pars amphorae.

Urceus. Vas plerumque fictile, ansatum, ad aquam ministrandam, quod heminam ferme capiebat.

Neque illic calidum exhibit in prandium. Sunt qui putent, haec Lucrionis verba pertinere ad romanum morem, quo vinum atque aquam calidam biberent. Nos vero arbitramur, in hoc loco *calidum*, ambiguae significationis vocabulum, de industria a Plauto usurpari, ut scurrilis ioci occasionem mox praebet Lucrioni respondentem: *obsorbui*: nam nimis *calebat*; caeterum *calidum* hic poni translate pro eo quod est *celere, subitum, promptum*, eodem plane sensu, quo Noster, Epid. I. 2. 39: Huic homini, ait, opus est quadraginta minis celeriter *calidis*. Quod, sententia quidem nostra, confirmatur etiam significatione verbi *exhibere*, quod idem sonat ac *totum bibere*; ita ut sensus sit: Neque illo (Sceledrus) has octo heminas omnes subito bibit in prandium. Itali: *né egli si bevve subito tutto quel vino a pranzo. Illic.* Archaism. Ille.

Quid iam? Nos: *Come?*

Quia enim. Particula *enim*, quae prima fronte videtur redundare, inservit asseverationi, et ponitur a Lucrione, ut iam dicta accuratius definiat, et clarius explicet. Quasi responderet: Non bibi, *idcirco* quia obsorbui. Nos: *nol bevvì, appunto perché il tracannai tutto ad un sorso.* Haud aliter Pulcius, *Morg.* XIX. 63: *Or di due otri te n'hai fatto un sorso.*

Nam nimis calebat, amburebat gutturem.

PALAESTRIO.

Alii ebrii sunt, alii poscam potitant!
Bono suppromo et promo cellam creditam!

LUCRIO.

Tu idem hercle faceres, si tibi esset credita.
Quoniam aenulari non licet, nunc invides.

35

PALAESTRIO.

Eho, an nunquam promisit antehac? responde, scelus!
Atque, ut tu scire possis, edico tibi:
Si falsa dixis, nae otio excruciabere!

LUCRIO.

Ita vero? Ut tu ipse me dixisse delices,
Postea sagina ego eiciar cellaria;
Ut tibi, si promtes, alium suppromum pares.

30

Nam nimis calebat, amburebat gutturem. En Lucrionis locum, de quo supra memoravi. Ludit uimirum in ambigua significatione vocis *calidum*. Quasi vero hoc vocabulum proprie sumpsisset: celeriter, ait, atque uno spiritu vinum illud obsorbui, quia mihi amburebat gutturem. Nostrates dicerent: *am brusava 'l gariot*.

Alii ebrii sunt, etc. Supp. servi.

Poscam. Aquam aceto mixtam, qua, pro vino, utebantur miseri homines de plebe et servi.

Bono suppromo etc. Subaudi o *cellam etc.* Ironica Palaestrionis verba admirationem suam testantis.

Tu idem hercle etc. Animadvertite procax servi ingenium.

Aenulari. Imitari.

Edico tibi. Aperte tibi dico.

Dixis. Dixeris.

Nae otio excruciabere! Diu sane excruciaberis. Nos: *affè che ti darò un carpiccio dei buoni.*

Ita vero? Itali: Sì, eh?

Ut me dixisse deliers. Id a me velles intelligere, ut postea mo prodas, et indices, me haec dixisse.

Postea sagina eiciar, cellaria. Tunc eiciar ex cella vinaria me saginante. In vino enim plurimam vim inesso aiunt ad corpus saginandum. Nostri de plebe dicerent: *allora io sarò privato della mia pacchia.*

Ut tibi, si promtes. Ut, si tu fias promus, si cellae vinariae praeficiaris, me eiecto, alium tibi suppromum quaeras.

PALAESTRIO.

Non edepol faciam: age, eloquere audacter mihi.

LUCRIO.

Nunquam edepol vidi promere; verum hoc *hac* erat.

Mihi imperabat; ego promebam postea.

35

PALAESTRIO.

Ain', inlecebra? Capite sistebant cadi?

LUCRIO.

Non hercle: tam istic valide casabant cadi,

Si in cella paulo erant nimis loculi lubrici.

Ibi erat bilibris aqualis sic propter cados;

Ea saepe decies complebatur *de* die.

40

Audacter. Libere, sine metu.*Verum hoc hac erat.* Nos: *ma la cosa stava così.**Ain'?* Formula interrogantis cum admiratione.*Inlecebra.* Vox ironice blandientis. *Ain', inlecebra?* Nos: *Che di' tu mai, bella gioia?**Capite sistebant cadi?* Cadus, vas fictile, turbinata figura, vino condendo et servando accommodatum. Itali: un *barile*, un *gran fiasco*. Subalpini: una *damigiana*. Capite aulem sistere dicuntur cadi, quum sunt inversi vel inclinati, ut inde vinum promatur. Nimirum miratur Palaestrio qui tandem fieri potuerit, ut Lucrioni, puero, sat virium esset ad invergendos cados. Quare ita illum interrogat: Anne cadi sic erant inclinati, ut inde vinum facile posses expromere?*Non hercle.* Subaudi: cadi non erant hercle inclinati.*Tam.* Veteres posuerunt pro *tamen*. Cf. Men. II. 3. 36; Pseud. v. 1. 24.*Istic.* In cella vinaria. *deuricchi*.*Valide.* Facile.*Casabant.* Verbum frequentat. a *cado*. Notabant, invergebantur, inclinabantur.*Paulo nimis loculi lubrici.* Loci paulo magis lubrici. Lubrica hic dicitur terra argillosa humectata. Lucrilo pergit more suo iocari. Eius autem verborum hic sensus est: cadi non erant quidem inclinati; nullo tamen negotio poterant invergi, si modo locus aliquis esset in cella lubricus. Quare haud multis viribus opus erat ad promendum vinum.*Ibi erat bilibris aqualis.* In eo loco erat vas aquarium duas libras continens.*Sic.* Uti fieri solet.*Propter cados.* Prope cados.*Ea saepe decies complebatur etc.* Vas illud aquarium saepe decies in diem vino complebatur.

PALAESTRIO.

Eam plenam atque inanem fieri?

LUCRIO.

Maxime.

Ubi bacchabatur aula, casabant cadi.

PALAESTRIO.

Abi, abi intro iam. Indu cella vos vinaria

Bacchanal facitis: iam hercle ego herum adducam a foro. —

LUCRIO.

Perii, exeruciabit me herus, domum si venerit,

Quom haec facta scibit, quia sibi non dixerim!

Fugiam hercle aliquo, atque hoc in diem extollam malum.

Ne dixeritis, obsecro, huic, vostram fidem.

PALAESTRIO.

Quo te agis?

45

Eam plenam atque inanem fieri? Haec Palaestrio cum admiratione: illane aequalis complebatur atque exhanriebatur decies in diem?

Maxime. In familiari sermone est vox respondentis ad affirmandam alterius sententiam vel dictum. Itali: *Mai sì*.

Ubi bacchabatur aula, casabant cadi. Facete Lucrio aulam bacchantem dicit, pro eo quod est: quum conservi mei, aula exhausta, ebrii bacchabantur, tunc cadi vacuati invertebantur, cadebant. *Aula.* Olla, arceus, aequalis.

Abi, abi. Vox repetita indignationem significat.

Indu, ex graeco *ἵδω* sive *ἵδω*, usurpatum fuit a veteribus pro in praepositione. Ennius apud Macrob. Sat. vi. 9: *Venti . . . indu mari magnos fluctus extollere certant.* Idem apud Gell. xii. 4: *Indu foro lato.* Cf. Lneret. ii. 1095; v. 103; vi. 891.

Bacchanal facitis. Ebrii tumultuamini, omnia turbatis, Baccharum ritu, atque fieri solet in locis Baccho sacris. Galli: *Vous faites le diable à quatre.* Vide quae adnotavimus ad Aulul. iii. 6. 3.

Iam hercle. Cf. adnotata ad Aulul. i. 2. 11.

Scibit. *Ἀγγαρία.* Sciet.

Hoc in diem extollam malum. Hoc malum in aliud tempus differam. Poenul. ii. t. 53: *Res serias Omnes extollo ex hoc die in altium diem.*

Ne dixeritis. Haec ait Lucrio ad spectatores conversus. Haud aliter Euclio, Aulul. iv. 5. 4. seqq.

Huic. Hero

Quo te agis? Quo abis?

LUCRIO.

Missus sum alio. Iam huc revenero.

PALAESTRIO.

Quis misit?

LUCRIO.

Philocomasium.

PALAESTRIO.

Abi. Actutum redi.

50

LUCRIO.

Quaeso tamen, tu partem infortuni meam,
Si dividetur, me absente accipito tamen.

PALAESTRIO.

Modo intellexi, quam rem mulier gesserit.
Quia Sceledrus dormit, hunc subcustodem suum
Foris ablegavit, dum eapse huc transiret. Placet.
Sed Periplectomenes, quam ei mandavi, mulierem
Nimis lepida forma ducit. Di hercle hanc rem adjuvant.
Quam digne ornata incedit, haud meretricie!
Lepide hoc succedit sub manus negotium.

55

Iam huc revenero. Cito redibo.

Quaeso tamen, tu partem infortuni meam, etc. Improbulus Lucrio ad exhilarandam caveam Palaestrioui partem verberum facete adprecatur, quibus ab hero una cum Sceledro aliisque conservis erit caedendus ob exhaustos cados in cella vinaria. Quaeso, ait, si adventante hero supplicium servis dividetur, debitam mihi partem, me absente, accipito.

Mulier. Philocomasium.

Foris. Foras.

Huc transiret. Accutus est. In aedes Periplectomenis.

Placet! Nos: bene!

Sed Periplectomenes, etc. Vix abierat Lucrio, cum Palaestrio adventantem videt Acroteleutium meretricem, matronali habitu, ex praeccepto suo, exornatam.

Nimis lepida. Pulcherrima.

Digne ornata. Decore ornata.

Lepide. Bene, recte.

Hoc succedit sub manus negotium. Res sub manus succedere dicuntur, quae feliciter atque ex sententia contingunt; metaphora translata a figulis, qui argillam manibus suis tractantes ad arbitrium lingunt. Pers. iv. l. 2: Soteli illa (res) recte sub manus succedere.

ACTUS III. - SCENA III.

PERIPLECTOMENES, ACROTELEUTIUM, MILPHIDIPPA,
PALAESTRIO.

PERIPLECTOMENES.

Rem omnem, Acroteleutium, tibi, tibi que una, Milphidippa,
Domi demonstravi ordine. Hanc fabricam fallaciasque
Minus si tenetis, denuo volo percipiatis plane.
Satis si intellegitis, aliud est quod potius fabulemur.

ACROTELEUTIUM.

Stultitia atque insipientia haec *et falsa falsitas* sit,
Me ire in opus alienum aut tibi meam operam pollicitari,
Si ea in opificina nesciam aut mala esse aut fraudulenta.

PERIPLECTOMENES.

At melius est monerier.

ACROTELEUTIUM.

Meretricem conmoneri,
Quam sane magni referat, mihi clam est! Quid? egone frustra,

In hac scena, in qua Acroteleutium a Palaestrione monetur, quid facto et dicto opus sit, id praesertim Plauto propositum fuisse videtur, ut callidum et versutum meretricum ingenium nobis ob oculos poneret, quae ad fallendos homines mirum in modum sunt comparatae.

Acroteleutium. Pleraque meretricum atque ancillarum nomina apud Romanos graeco fonte manabant. Haec a voce *λεπος*, *summus* et *τελος*, *finis* dicta est, Acroteleutium, quasi comoediae summum finem imponens.

Milphidippa. Qui equum alteri adducit *πιδίππος* dicitur a Graecis. Milphidippa vero appellatur haec ancilla Acroteleutii, quasi equam militi adducens.

Ordine. Recte.

Fabricam. Dolos.

Minus si tenetis. Si probe non nostis.

Falsa falsitas sit. Παρωμομασία. Inanis fraus esset.

Me ire in opus alienum. Me alienum opus aggredi.

Si ea in opificina. Si in illo opere faciendo.

Nata. Astuta, callida.

Mihi clam est. Ego nescio.

Postquam adhibere aures meae tuam moeram orationis,
Tibi dixi, miles quemadmodum potis esset deasciari?

10

PERIPLECTOMENES.

At nemo solus satis sapit: nam ego multos saepe vidi
Regionem fugere consili prius, quam repertam habere.

ACROTELEUTIUM.

Si quid faciendum est mulieri male atque malitiose,
Sibi immortalis memoria est meminisse et sempiterna;
Sin bene quid aut fideliter faciendum est, eo deveniunt,
Obliviosae extempulo ut fiant, meminisse nequeunt.

15

Postquam adhibere aures meae etc. Saepe Latini a gustu verba transferunt ad auditum. Sic *bibere, adhibere*, pro eo quod est attente, studiose, avide audire. Horat. Ep. 1. 2. 67: Nunc *adhibe* puro Pectore verba, puer. Id. Od. 11. 13. 31: Pugnas et exactos tyraunos Densum humeris *bibit* aure vulgus. Cf. Aulul. 111. 8. 64: Nimirum lubenter *edi* sermonem tuum.

Tuam moeram orationis. Mora a graeco verbo *μειρα*, *divido*, unde *μερα*, *pars*. Orationis tuae partem.

Egone frustra . . . tibi dixi, etc.? Au temore, stulte, imprudenter te monui, etc.? Proprio particula *frustra* additur verbis, quae rem temere actam indicant.

Miles quemadmodum potis esset deasciari? Proprie *deasciare* est ascia laevigare; translate opprimere, capere, circumveire, male mulcare. Anne ego te recte non monui, quo domum modo miles posset male mulcari? Nos: *Come il soldato si potesse acconciare pei di delle feste?*

Nemo solus satis sapit. Graeci: Οὐδὲς ἀνθρώπου αἰεὶς ἴσμενα οὐδὲς. Itali vero: *E' veggono più quattr'occhi che due.*

Regionem fugere consili prius quam repertam habere. Multos saepe vidi, qui vellent ad aliorum sapientiam confugere, atque errare mallent, quam recto et sapienter agere.

Si quid faciendum est mulieri etc. Verba in hunc ordinem sunt digerenda: memoria immobilis et sempiterna est mulieri ad recordandum ea, quae male et malitiose illi sunt facienda. Ubi notandus hellenismus: *memoria est meminisse*, pro eo quod esset: *memoria est ad memorandum*. Haec autem maledicta, quae mulier in mulieres coniicit, spectatorum risum facile excutit.

Fideliter. Bona fide.

Eo deveniunt. Subaudi *mulieres*. Quemadmodum saepe in familiari sermone fieri solet, prius singulari numero, postea plurali utitur Acroteleutium.

Extempulo. Statim, continuo. Scaliger in Couiect. v1. 2: « *Extempulo*, inquit, verbum est sacrorum, sicut *ilicet* indiciorum. Ut cuim hoc, dimisso senatu, sic et illud, sacrificio patrato, a praecone pronuntiabatur. Quo significabat, ut exirent ex templo. Quod quia cito fiebat, inde pro *cito* et *propre* sumi coeptum est. Hanc vocem saepissimè usurpat Plautus.

PERIPLECTOMENES.

Ergo istuc metuo, quod venit vobis faciendum utrumque:
Nam id proderit mihi, militi male quod facietis ambae.

ACROTELEUTIUM.

Dum ne inscientes quod bonum faciamus, ne formida. 20
Mala nulla meretrix (ne pave), peiora ubi conveniunt.

PERIPLECTOMENES.

Ita vos decet. Consequimini.

PALAESTRIO.

Cesso illis obviam ire?

Venire salvom gaudeo. Lepide hercle ornatus cedis.

PERIPLECTOMENES.

Bene opportuneque obviam es, Palaestrio. Hem, tibi adsunt.
Quas me iussisti adducere et quo ornatu.

PALAESTRIO.

Heus, noster esto! 25

Palaestrio Acroteleutium salutat.

qui, metri causa, *extempulo* interdum ponit pro *extemplo*. Hoc autem ex eo profectum videtur, quod romana plebs *tempulum* potius pronuntiaret, quam *templum*; teste etiam Grutero, apud quem (Inscript. p. 323, .1.) legitur: *eurator tempuli*.

Ergo istuc metuo, quod etc. Quum meretrix dixerit, solero mulieres, si quid mali sit faciendum, firma uti memoria, sequi vero ac lenta, si bene sit faciendum, ob hanc scilicet causam metuo, respondet Periplectomenes; quum vobis utrumque sit agendum, et bene et male simul. Quae enim bona in militem conferetis, mihi officiant, ex eius autem malis maxima commoda ad me redundabunt.

Dum ne inscientes.... Mala nulla etc. Sensus est: Nil tibi est formidandum, dummodo non inscientes, hoc est probe admonitae bonum faciamus. Nulla meretrix dici potest mala, ubi homines peiores adsunt. Quo quidem festive et mordaciter iaciuntur in Periplectomenem et Palaestriionem, a quibus ait meretrix, se malitia superari.

Consequimini. Nos: venitemi dietro.

Cesso illis obviam ire? Palaestrio Periplectomenem et mulieres conspiciat in via ad se accedentes: Quid moror, ait secum ipse, illis obviam ire?

Venire salvom gaudeo. Supp. *tc.* Solemnis salutandi formula. Itali: *tu sia il ben venuto.*

Lepide hercle ornatus cedis. Bene hercle instructus incedis. Nos: *ben fornito davvero.*

Heus, noster esto! Blandientis et probantis formula. Nos: *bravo!*

ACROTELEUTIUM.

Quis hic, amabo, est,

Qui tam pro nota nominat me?

PERIPLECTOMENES.

Hic noster architectust.

ACROTELEUTIUM.

Salve, architecte.

PALAESTRIO.

Salva sis. Sed dic mihi, ecquid hic te

Oneravit praeceptis?

PERIPLECTOMENES.

Probe meditatam utramque duco.

PALAESTRIO.

Audire cupio, quemadmodum: ne quid peccetis, paveo.

PERIPLECTOMENES.

Ad tua praecepta de meo nihil his novom adposivi.

ACROTELEUTIUM.

Nempe ludificari militem tuom herum vis?

PALAESTRIO.

Elocuta es.

ACROTELEUTIUM.

Lepide et sapienter, commode et facete, res parata est.

PALAESTRIO.

Atque huius uxorem esse te volo adsimulare

Pro nota nominat me. Tanquam notam me nominat.*Hic noster architectust.* Translate *architectus* ponitur pro auctore et machinatore alicuius rei. Hic est noster fabricator atque inventor fallaciarum. Cic. Cluent. xxii: ipsum principem et *architectum* sceleris absolverent.*Salve architecte.* Animadvertite, lector, meretriciam alacritatem et confidentiam. *Buon di, architetto.**Ecquid hic te oneravit praeceptis?* *Διακρίσις.* Anne hic te cumulate praeceptis instruxit? Itali: *avestu da costui tutte le debite istruzioni?**Probe meditatam.* Bene doctam.*Audire cupio, quemadmodum.* Subaudi: fueritis edoctae*Adposivi.* Addidi.*Elocuta es.* Formula affirmantis. Nos: *benissimo.*

ACROTELEUTIUM.

Fiat.

PALAESTRIO.

Quasi militi animum adieceris, simulare

ACROTELEUTIUM.

Sic futurum est. 35

PALAESTRIO.

Quasique haec res per me interpretem et tuam ancillam ei geratur

ACROTELEUTIUM.

Bonus vates poteras esse: nam, quae sunt futura, dicis.

PALAESTRIO.

Quasique anulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me,
Quem rursus ego militi darem tuis verbis.

PERIPLECTOMENES.

Vera dicis.

Quid istis nunc memoratis opust, quae commemorare?

ACROTELEUTIUM.

Meliust: 40

Nam, mi patrone, hoc cogitato: ubi probus architectust,

*Quasi militi animum adieceris. Quasi militis amore sis capta.**Quasique haec res etc. Ital.: Come se io e la tua serva fossimo i mezzani di questa faccenda.**Interpretem. Internunciium, auctorem.**Bonus vates poteras esse. Festive haec dicuntur affirmandi causa. Haud aliter Asin. iii. 2. 33: Argenti viginti minas habesne? Hariolare. Nos: tu la indovini.**Tuis verbis. Tuo nomine.**Quid istis nunc memoratis opust, etc.? Quid iuvat haec commemorare, quae probe tenent?**Meliust. Suppone: haec praelittere.**Mi patrone. Patrono respondet elienta. V. iii. 1. 192. Iam inde ab urbis exordio, ut aliqua inter patricios et plebeios necessitudo intercederet, a Romulo cautum fuerat, ut quilibet plebeius quem vellet ex ordine patriciorum sibi patronum seu defensorem deligeret, cuius elientis a colendo diceretur. Quemadmodum enim patroni munus fuit elientis causa illa omnia facere, quibus parentes liberis suis prospiciunt; ita elientis erat patronum colere, eumque pro viribus iuvare. Hanc igitur Acroteleutium in fidem et clientelam suam receperat Periplectomenes.**Hoc cogitato. Nos: tu dexti pensare, che ecc.**Probus. Peritus.*

Bene lineatam si semel carinam collocavit,
 Facile esse navem facere, ubi fundata et constituta est.
 Nunc haec carina satis pro re fundata et bene statuta est:
 Adsunt fabri, architectique a te, a me, haud inperiti;
 Si non nos materiarius remoratur, quod opus, qui det,
 (Novi indolem nostri ingeni) cito erit parata navis.

PALAESTRIO.

Nempe tu novisti militem, meum herum?

ACROTELEUTIUM.

Rogare mirum est.

Popli odium quidni noverim, magnidicum, cincinnatum.

Bene lineatam carinam. Infimam navis partem probe ad lineam describam.

Ubi fundata et constituta est. Ubi valido fundo est constituta. Haud aliter Ovid. Pont. iv. 3. 5: Dum mea puppis erat valida fundata carina.

Architecti a te, a me, haud inperiti. Architecti, quos ego tuque satis bene edocuimus.

Materiarius. Dicitur qui materiam, seu ligna ad aedificandum suppeditat.

Novi indolem nostri ingeni. Vim ingenii nostri. Itali: *conosco la nostra abilità.* Hic habes allegoriam, in qua per navim intelligitur negotium de milite decipiendo; per carinam totius machinationis fundamentum ad circumveniendum militem comparatae; per fabros Periplectomenes et mulieres; per architectum Palaestrio; per materiarium miles, qui fallaciae materiam praebet.

Nempe tu novisti militem, meum herum? Particula *nempe* in interrogatione occupat alterius affirmationem, quam ex eius dictis iam coniectura auguramur. Quae quidem interrogatio fit de re, quam compertam habemus, sed iterum et aperte confirmatam volumus, ut omnem plane dubitationem exuamus. Quare ponitur pro eo quod est: *nonne? estne ita?* Nos: *tu conosci il soldato mio padrone, non è egli vero?* Cf. II. 3. 66; Aulul. II. 1. 14; Bacch. II. 2. 11; Ib. IV. 4. 38; Most. II. 3. 16; Pers. Satyr. III. 1; Cic. Brut. III: *Nempe eum dicis*, Inquit, quo isto omnem rerum memoriam breviter, et, ut mihi quidem visum est, perditigenter complexus est?

Rogare mirum est. Miror equidem, te id a me petere.

Popli odium quidni noverim? Cur non cognoscam hominem populo odiosissimum? Nos: *Come potrei non conoscere un uomo odiato dall'universale?*

Quidni? Formula vehementer affirmantis.

Magnidicum, cincinnatum, moebum, unguentatum. Omnia magna de se praedicantem, capillos habentem intortos, unguentis oblitum? Haec quidem ad contentum. Nos: *quel millantatore dai capelli ricciuti, quell'adultero profumato?*

Moechum unguentatum?

PALAESTRIO.

Num ille te nam novit?

ACROTELEUTIUM.

Nunquam vidit: 50

Qui noverit me, quis ego sum?

PALAESTRIO.

Nimis lepidus fabulare.

Eo potis est, rem lepidius pol fieri.

ACROTELEUTIUM.

Potius, ut hominem

Mihi des, quiescas cetera? Ni ludificata lepide

Ero, culpam omnem in me impingitote.

PALAESTRIO.

Agite igitur, intro abite!

Insistite hoc negotium sapienter!

ACROTELEUTIUM.

Alia cura.

55

PALAESTRIO.

Age, Periplectomene, has nunc iam duc intro; ego ad forum illum

Conveniam atque illi hunc anulum dabo atque praedicabo

A tua uxore esse mihi datum, eamque illum deperire.

Hanc ad nos, quom extemplo a foro veniemus, mittitote.

Qui noverit etc. Quomodo noverit.

Quis. V. adnot. ad Aulul. II. 1. 16.

Eo potis est, rem lepidius pol fieri. Eo quod miles te nunquam viderit, nec noverit, multo melius certe fieri potest, quod nos mente agitamus.

Potius, ut hominem etc. Tu modo da mihi hominem; de ceteris me sis sollicitus. Itali: *Fa solo ch'io l'abbia nelle mani, quanto al resto non dartene briga.*

Insistite hoc negotium sapienter! Curate hoc negotium prudenter!

Alia cura. Formula, qua iubemus aliquem esse securum. Nos: *Vivi tranquillo, pensa ad altro.* Cf. Cas. III. 4. 23; Tor. Phorm. II. 1. 5

Age. V. adnot. ad Aulul. I. 1. 1.

Iam. Statim.

Praedicabo. Aperte dicam.

Eamque illum deperire. Ital.: *che essa l'ama perdutamente.*

Quom extemplo. Vix cum, quom primum.

Quasi clanculum ad me missa sit.

PERIPLECTOMENES.

Faciemus: alia cura.

60

PALAESTRIO.

Vos modo curate: ego illunc probe iam oneratum huc adciebo.

PERIPLECTOMENES.

Bene ambula; bene rem gere! At ego hoc nunc si efficiam plane,
Ut concubinam militis meus hospes habeat hodie,
Atque hinc Athenas avehat, si hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris?

ACROTELEUTIUM.

Datne eapse mulier operam? 65

PALAESTRIO.

Lepidissumam et comissumam.

ACROTELEUTIUM.

Confido, confuturum.

Ubi facta erit conlatio nostrarum malitiarum.

Haud vereor, ne nos subdola perfidia pervincamur.

Probe oneratum. Subaudi: verbis, dolis, errore etc.; probe captum, illaqueatum, circumventum, eo demum adductum, ut illa aggrediatur, quae volumus. Nos: *bene accalappiato*.

Bene ambula. Itali: *Buona passeggiata*.

Bene rem gere! Locutio bonum rei exitum precantis. Nos: *buona fortuna!*

Meus hospes. Pleusides.

Dolum dolamus. Paronomasia. Dolare proprie est dolabra, seu ascia aliquid levigare; translate valet *perficere*. Dolum dolare, *condurre a fine una frode*.

Tibi. Palaestrioni, architecto.

Datne eapse mulier operam? Anne mulier illa (Philocomasium) opera sua consilium nostrum adiuvat? Itali: *Filocomasio ci presta anch'essa la mano?*

Lepidissumam et comissumam. Supp. operam. Sollertissime et lubenti animo nos adiuvat.

Confido, confuturum. Spero equidem, fore, ut res ex animi nostri sententia perficiatur, succedat.

Ubi facta erit conlatio nostrarum malitiarum. Quum malitias nostras in unam contulerimus.

PERIPLECTOMENES.

Abeamus ergo intro, haec uti meditemur cogitate:

Ut adcurate et commode hoc, quod agendum est, exsequamur: 70

Ne quid, ubi miles venerit, titubetur.

ACROTELEUTIUM.

Tu morare.

Cogitate. Cautè, prudenter.

Titubetur. Proprie *titubare* ponitur de lingua vel pedibus; metaphor. de animo.

Tu morare. Supp. *me.* Tu moram mihi affers festinare cupienti. Formula, qua quis se ad aliquam rem paratissimum profitetur. Nostrates proverbialiter: *Tu predichi ad un convertito.*

ACTUS IV.

SCENA I.

PYRGOPOLINICES, PALAESTRIO.

PYRGOPOLINICES.

Volup est, quod agas, si id procedit lepide et ex sententia.
 Nam ego hodie ad Seleucum regem misi parasitum menm.
 Ut latrones, quos condux, hinc ad Seleucum duceret,
 Qui eius regnum tutarentur, mihi dum fieret otium.

PALAESTRIO.

Quin tu tuam rem cura potius, quam Selenci: quae tibi
 Conditio nova luculenta fertur per me interpretem.

Quae iam inde ab initio fabulae dicta sunt de Pyrgopolinices ingenio et moribus, maximam verisimilitudinem conciliant sycophantiis, quae adversus illum struntur in actu hoc quarto. Quod quidem obiter animadvertendum putavi, ut pateat nexus, quo singulae huius comoediae partes, quasi cognatione quadam inter se continentur. Quum enim miles in actu primo tam vana et stolidi natura feratur, ut credat, se ab omnibus mulieribus ob corporis sui formam misere amari, probabile omnino fit, inflatum et levioris ingenii hominem nunc fidem adiungere Palaestrioni nuncianti, esse matronam pulchritudine insignem, quae illum depereat. eique annulum mittat, amoris sui pignus. Qua ductus persuasione statim cogitat de dimittenda Philocomasio, quo liberius novis amoribus indulgeat.

Volup est, quod agas. Placet mihi quod agis.

Ex sententia. Uti cupimus.

Latrones. Vide adnot. ad act. I. v. 76.

Conduxi. Coegi, conscripsi.

Mihi dum fieret otium. Dum ego aliquantisper quiescerem.

Conditio. Dicitur proprie oblata leuitimarum nuptiarum occasio. Itali: *partito.* (V. Anul. II. 2. 60). Sed interdum, ut in hoc loco, transfertur etiam ad res amatorias, hoc est ad illiciti concubitus opportunitatem. Conditio splendida. Nos: *una proposizione vantaggiosa*

PYRGOPOLINICES.

Imo omnis res posteriores pono, atque operam do tibi.

Loquere: auris meas profecto dedo in ditionem tuam.

PALAESTRIO.

Circumspicedum, ne quis nostro hic auceps sermoni siet:

Nam hoc negoti clandestino ut agerem, mandatum est mihi.

10

PYRGOPOLINICES.

Nemo adest.

PALAESTRIO.

Hunc arrhabonem amoris primum a me accipe.

PYRGOPOLINICES.

Quid hic? unde est?

PALAESTRIO.

A luculenta atque a festiva femina,

Quae te amat, tuamque expetissit pulcram pulcritudinem.

Eius nunc mi anulum ad te ancilla porro ut deferrem dedit.

Omnis res posteriores pono. Omnia postpono.

Operam do tibi. Vide adnot. ad Aulul. II. 1. 21. Cf. Bacchid. IV. 9. 72; Curc. II. 2. 9; Terent. Phorm. I. 2. 12.

Auris meas dedo in ditionem tuam. Ita est natura comparatum, ut saepe homines in sermone familiari dicendi formulas, proverbia, similitudines, ex arte arripiant, quam factitare consueverunt. Quapropter apte naturam imitatur Plantas, qui Pyrgopolinicum ita loquentem inducit, ut ditionem usurpet ex arte imperatoria petitam. Nimirum dedere nos nostraquo in hostium ditionem, est in re militari: *rimettere noi e le cose nostre nel potere del nimico*. Translate vero Noster: auris meas dedo in ditionem tuam, pro eo quod est: attentas tibi aures meas accommodo.

Circumspicedum. Forma comicorum propria in verbis cohortantibus, imperativis et interiectionibus.

Ne quis nostro hic auceps sermoni siet. Ne quis sermonem nostrum aucupetur, capiet. Nos: *che nessuno stia qui ad origliarci*.

Arrhabonem. Pignus. Haec Palaestrio, anulum militi porrigens.

Quid hic? Unde est? Quid sibi vult hic anulus? Unde venit?

A luculenta atque a festiva femina. Ab illustri, divite et venusta femina.

Expetissit. ἄρξωσας. Expetit.

Pulcram pulcritudinem. Locutio Plauto frequentata ad caveam hilarandam. Intellige: eximiam pulcritudinem. Haud aliter Capt. IV. 1. 7: Hic amoenitate amoena amoenus oneravit dies; Cas. II. 3. 1: Nitoribus nitidis antovenire.

Ad te porro ut deferrem. Particula porro accedit ad verba, quam significatur rei agenda continuatio.

PYRGOPOLINICES.

Quid? ean' ingenua. an festuca facta e serva libera est?

PALAESTRIO.

Vah! 15

Egone ut ad te ab libertina esse auderem internuntius,
 Qui ingenuis satis respondere nequeas, quae cupiunt tui?

PYRGOPOLINICES.

Nuptan' ista, an vidua?

PALAESTRIO.

Et nupta et vidua.

PYRGOPOLINICES.

Quo pacto potis

Vidua et nupta esse eadem?

Ean' ingenua? Femina illa estno libera a nativitate?

An festuca facta e serva libera est? An vindicta fuit apud praetorem manumissa? Pertinet haec locutio ad Romanorum instituta, apud quos servi poterant triplici modo in libertatem vindicari, censu videlicet, testamento et vindicta. Servi manumittebantur censu, quum domino assentiente nomen suum et bona profitebantur apud censores, qui singulis quinquennii censum Romae agebant. Manumittebantur testamento, quum dominus moriens testamento servis libertatem dabat. Postremo dicebantur manumitti vindicta, quum apud praetorem vel consulem in urbe, in provincia apud praesidem vel procuratorem, dominus servum suum manu tenens, hunc hominem, aiebat, liberum esse volo. Quibus verbis prolatis, eum manu dimittebat. Deinde praetor virgam, quam vindictam vel festucam appellabat, servi capiti imponens, dicebat: aio te liberum more Quiritium. Postremo lictor eiusdem servi faciem manu, tergum virga percutiebat, eumque circumagebat. Quo facto, servus liber erat. Alii festucam interpretantur non virgam, sed paleam, quam lictor in sinum servi manumissi iaciebat.

Vah! Interiectio aversantis atque improbantis. Nos: oibò.

Egone ut ad te ab libertina etc.? Egone essem tam demens, ut auderem venire ad te tanquam internuntius (mezzano) libertinae?

Qui ingenuis satis respondere nequeas. Respondere heic verbum est amatorum: ingenuis satisfacere. Nos: soddisfare, bastare. Cf. Boccac. Decam. Giorn. II, nov. 1: Non potendo Masetto soddisfare a tante.

Cupiunt tui. Cupidae sunt tui.

Nuptan' ista, an vidua? A Latinis vidua dicitur non ea solum, cuius maritus diem obierit supremum, sed illa etiam quae virum nunquam habuerit, aut a marito fuerit repudiata, aut ab illo absente sit divisa, uno verbo quaecumque cubat sine viro. A comicis vero vidua interdum appellatur meretrix sine amatore. Nos: Costei è maritata o libera?

PALAESTRIO.

Quia adulescens nupta est cum sene.

PYRGOPOLINICES.

Euge!

PALAESTRIO.

Lepida et liberali forma est.

PYRGOPOLINICES.

Cave mendacium.

20

PALAESTRIO.

Ad tuam formam illa una digna est.

PYRGOPOLINICES.

Hercle pulcram praedicas.

Sed quis ea est?

PALAESTRIO.

Senis huius uxor Periplectomeni in proxumo.

Ea demoritur te atque ab illo cupit abire: odit senem.

Nunc te orare atque obsecrare iussit, ut tui copiam

Sibi potestatemque facias.

Quia adulescens nupta est cum sene. Itali: *Perché è una giovane sposata ad un vecchio.*

Euge! Vox gestientis. Nos: *benissimo.*

Cave mendacium. Cave ne mentiaris.

Ad tuam formam illa una digna est. Illa una est digna, cuius forma comparetur cum tua. Praepositio *ad* inservit comparationi. Sic Capt. II. 2. 25: *Ad sapientiam* huius nimis nugator fuit. Hoc est, si comparetur cum huius sapientia, etc. Ter Eun. II. 3. 70: *Ch.* Est ne, ut fertur forma? *Parm.* Sane. *Ch.* At nihil *ad nostram hanc.* Cfc. de orat. II. 6: *Quem cognovimus virum bonum et non illiteratum, sed nihil ad Persium.* Liv. XLII. 22: *Homini, non ad cetera punica ingenia callido.* Cf. Virg. Ecl. III. 48.

Hercle pulcram praedicas. Nota iussati et stolidi hominis responsum. Id enim huc pertinet: Pulcherrimam sane illam dicis, si mecum potest comparari, qui pulchritudine longe omnibus praesto.

Uxor Periplectomeni in proxumo. Uxor vicini Periplectomenis.

Demoritur te. Te deperit, perditte amat. Nos: *ella si muore d'amore per te.*

Ab illo. Periplectomene.

Te orare atque obsecrare iussit. Orare est humiliter petere; obsecrare, orare per sacra et res carissimas.

Ut tui copiam sibi potestatemque facias. Locutio amatoria. Itali: *che di te stesso le conceda intera copia.*

PYRGOPOLINICES.

Cupio hercle equidem, si illa volit. 25

PALAESTRIO.

Quin cupit.

PYRGOPOLINICES.

Quid illa faciemus concubina, quae domi est?

PALAESTRIO.

Quin tu illanc iube abs te abire, quo lubet: sicut soror
Eius huc gemina venit Ephesum et mater arcessuntque eam.

PYRGOPOLINICES.

Ain' tu? advenit Ephesum mater huius?

PALAESTRIO.

Aiunt, qui sciunt.

PYRGOPOLINICES.

Hercle occasionem lepidam, ut mulierem excludam foras. 30

PALAESTRIO.

Imo vin' tu lepide facere?

PYRGOPOLINICES.

Loquere et consilium cedo.

PALAESTRIO.

Vin' ta illam actutum amovere, a te ut habeat per gratiam?

Quin cupit. Quum Pyrgopolinices dixisset: *Equidem cupio mei copiam huic mulieri facere, si ipsa vult*, rem auget Palaestrio, respondens: Ea quidem vult; quin immo cupit. Namque verbum *volo* simplicem animi motum, *cupio* ingens desiderium significat. Cic. de republ. II: Non gravarer, Laeli, nisi et hos *velle* putarem, et ipse *cuperem*, te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere.

Quid illa faciemus concubina, etc.? Subaudi *de*. Ellipsis Plauto familiaris. Cf. Aulul. VI. 6. 50: *Tom me faciat, quod vult, magnus Iupiter*. Mostell. III. 1. 105: *Quid eo est argento factum?*

Concubina. Philocomasio.

Quin tu illanc iube abs te abire. Omnino iube illam abs te abire.

Sicut soror eius huc gemina venit et mater. Quandoquidem eius soror et mater huc venerunt, eamque arcessunt. Nos: *poichè qua sono venute e la sorella e la madre, ecc.*

Ain' tu? advenit etc. Aisne tu, matrem eius Ephesum advenisse?

Hercle occasionem lepidam. Nos: *Una bella occasione davvero.*

Consilium cedo. Consilium dic vel da. Cf. adnot. ad Aulul. IV. 2. 28.

Per gratiam. Volens. Nos: *con buona grazia, con sua contentezza.*

PYRGOPOLINICES.

Cupio.

PALAESTRIO.

Tum te hoc facere oportet. Tibi divitiarum adfatim est: lube, sis, aurum atque ornamenta, quae illi instruxisti, sibi Dono habere, auferred abs te, quoquo lubeat, mulierem.

35

PYRGOPOLINICES.

Placet, ut dicis. Sed, ne istanc amittam et haec mutet fidem. Vide modo.

PALAESTRIO.

Vah, delicatus! quae te tanquam oculos amet!

PYRGOPOLINICES.

Venus me amat.

PALAESTRIO.

Tace: aperiuntur fores: concede huc clanculum. Haec celox illius, quae huc egreditur internuntia.

PYRGOPOLINICES.

Quae haec celox?

PALAESTRIO.

Ancillula illius est, quae huc egreditur foras.

40

Quae anulum istunc attulit, quem tibi dedi.

Adfatim. Significat abundantiam, quae naturalem ac consuetum modum excedit. *Tibi divitiarum adfatim est;* tibi divitiarum abunde est; hoc est aliquanto plus quam satis sit.

Aurum. Vestes auro distinctas.

Instruxisti. Comparasti.

Istanc. Philocomasium. *Haec,* Acroteleutium, supposita uxor Peripleclomenis.

Vah, delicatus! Vox blandientis potius, quam increpantis. *Delicatus* hic dicitur, qui de omnibus dabitur, qui non metuenda metuit, morosus, difficilis. Nos: *Ve' stiticeuzzo, che dubitu della fedr di colci, che l'ama più che la pupilla dell'occhio suo!*

Venus. Κατ' ἰσοχίαν. Venerem appellat Acroteleutium, mulierem formosissimam.

Concede huc. Abi, secede huc.

Celox. Proprie est navigii genus, quod classem praecedit, ut hostium numerum, vires et consilia speculetur. Translatè hic ponitur pro Milphidippa, ancilla et internuntia Acroteleutii.

PYRGOPOLINICES.

Edepol haec quidem

Bellula est.

PALAESTRIO.

Pithecium haec est prae illa, et spinturnicium.

Viden' tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus?

ACTUS IV. - SCENA II.

MILPHIDIPPA, PYRGOPOLINICES, PALAESTRIO

MILPHIDIPPA.

Iam est ante aedis circus, ubi sunt ludi faciendi mihi.

Adsimulabo, hos quasi non videam, neque esse hic etiamdum
sciam.

PYRGOPOLINICES.

Tace: subauscultemus, ecquid de me fiat mentio.

*Edepol haec quidem bellula est. Animadverte, lector, mulierosum hominem. Nos: Bellina davvero anche costei!**Pithecium haec est prae illa, et spinturnicium. Locutio proverbialis. Omnino deformis haec est, si cum domina sua comparetur. Pithecium, *pithecos*, parva simia, nomen diminutum graecae vocis *pithekos*, simia. Spinturnicium, avis turpicula facie.**Viden' tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus? Videtne, ut illa oculis omnia collustret, atque auribus sermone captet? Itali: Vedi tu com'ella va spiando ed origliando ogni cosa?*

Ad huius scenae lucuositatem mirum in modum conferunt immodicae laudes, quibus Milphidippa Pyrgopolinices pulcritudinem extollit; tum vero subdola verba, quibus uarrat, quanto militis amore domina sua exardescat; postremo insulsa militis responsa, ex quibus spectatores coniectura iam augurantur, quo tandem Palaestriionis machinatio sit evasura.

*Iam est ante aedis circus. Fuit circus in urbe Roma locus ubi ludi publici fierent. Hic translate usurpatur de loco, ubi Milphidippa Pyrgopolinices dolis suis aggreditur.**Hos. Pyrgopolinices eiusque servum Palaestriionem. Itaque secum Milphidippa ad spectatores conversa.**Subauscultemus. Leviter, clam, et quasi aliud agendo auscultemus; eius verba clauculum captemus. Particula *sub* diminutionem atque occultationem significat.**Ecquid. Num.*

MILPHIDIPPA.

Numquisnam hic prope, qui rem alienam potius curet quam suam?
 Qui aucupet me, quid agam? qui de vesperi vivat suo? 5
 Eos nunc homines metuo mihi, ne obsint neve obstant uspiam,
 Domo si bitat, dum huc transibit, quae huius cupiens corporist,
 Quae amat hunc hominem nimium lepidum et nimia pulcritudine,
 Militem Pyrgopolinicum.

PYRGOPOLINICES.

Satin' haec quoque me deperit?
 Meam laudat speciem. Edepol huius sermones cinerem haud quae-
 ritant. 10

PALAESTRID.

Quo argumento?

Qui aucupet me, quid agam? Qui observet quid ego agam? Locutio ab aucupibus ad illos translata, qui toti sunt in alienis rebus inspiciendis et sermonibus auscultandis. Graecissat vero hic Noster uti in Bacchid. II. 6. 96: Dic modo hominem qui sit, pro eo quod est Latinis: dic modo qui homo sit.

Qui de vesperi vivat suo? Proverbium, quo curiosi homines notantur. Qui de suo vivat; qui sub vesperam domi suae coenare possit, neque opus habeat alicnas coenas captare. Iamvero huiusmodi homines otiosiores quam ceteri esse consueverunt, ac propterea facillius ad aliena negotia animum advertunt.

Eos homines. Militem et Palaestronem.

Metuo mihi, ne obsint. Metuo, ne mihi obsint.

Bitat. II, exit. Archaism. Cf. Plaut. Cure. I. 2. 52; Merc. II. 3. 127.

Quae huius cupiens corporist. *Δοκίμηός.* Domina mea, quae militem amat, qui in hisce acedibus habitat. Nimirum pergit ancilla, haec secum ipsa loqui, simulans, se Pyrgopolinicum non videre, una cum Palaestrione subauscultantem.

Hunc hominem nimium lepidum et nimia pulcritudine. Nos: *questo uomo tutto grazia e bellà.*

Satin'. Inservit interrogationi simul atque admirationi. Ergone?

Huius sermones cinerem haud quaeritant. Huius verba cinere non indigent. Metaphora a vasibus aeneis translata, quae cinere solent fricari, ut illorum sordes eluantur, et nitida fiant. Lauti atque elegantes sunt huius sermones.

Quo argumento? Quare? Hac formula utitur Plautus, quum quidpiam obscurius dictum velit spectatoribus declarare. Cf. Asin. II. 2. 36. Galli: *Comment?*

PYRGOPOLINICES.

Quia enim loquitur laute et minime sordide;
Tum autem illa ipsa est nimium lepida nimisque nitida femina.
Herele vero iam adlubescit primulum, Palaestrio.

PALAESTRIO.

Priusne, quam illanc oculis tuis vides?

PYRGOPOLINICES.

Atqui adcredo tibi,
Tum haec locuta, illam autem absentem subigit me ut amen.

PALAESTRIO.

Herele hanc quidem 15
Nil tu amassis: mi haec desponsa est. Tibi si illa hodie nupserit,
Hanc continuo uxorem ego ducam.

PYRGOPOLINICES.

Quid conloqui ergo hanc dubitas?

PALAESTRIO.

Sequere hac me ergo.

PYRGOPOLINICES.

Pedisequos tibi sum.

MILFRIDIPPA.

Utinam, quouis causa

Loquitur laute et minime sordide. Loquitur ornatis et magnificis verbis.
Nitida femina. Dicitur quae formae studeat, et exquisito utitur corporis cultu

Iam adlubescit. Verbum Plautinum, inchoativum. Nos: *la incominciata a piacermi.*

Illanc. Dominam.

Adcredo tibi. Etiam si illam nondum viderim, tibi fidem adiungo eius pulcritudinem praedicanti.

Tum haec locuta etc. Tum haec quae locuta est; tum huius ancillae verba me impellunt, ut illam vel absentem amem.

Hanc nil tu amassis. Hanc ne ames. *Amassis.* Archaism. amaveris.

Mi haec desponsa est. Nos: *costei è mia fidanzata.*

Quid conloqui ergo hanc dubitas? Itali: *Perchè dunque non le fai mollo?*

Pedisequos tibi sum. Romani *pedisequum* dixerunt servum, qui dominum extra aedes sequebatur. Illic vero *pedisequus* appellatur, qui alicuius vestigia sequitur. Nos: *ergo i tuoi passi.*

Utinam, quouis causa etc. Utinam potestas mihi fiat illius conveniendi,

Foras sum egressa, conveniendi mihi evenat potestas!

PALAESTRIO.

Erit, tibi exoptatum obtinget: bonum habe animum! ne formida! 20
Homo quidam est, qui scit, quod quaeris, ubi sit.

MILPHIDIPPA.

Quem ego hic audivi?

PALAESTRIO.

Sociennum tuum et tuorum participem consiliorum.

MILPHIDIPPA.

Tum pol ego id, quod celo, haud celod.

PALAESTRIO.

Imo etiam sic non celas.

MILPHIDIPPA.

Quo argumentó?

PALAESTRIO.

Infidos celas; ego sum tibi fide firma.

MILPHIDIPPA.

Cedo signum, si harunc Baccharum es.

cuius causa foras sum egressa! Haec secum Milphidippa; ea tamen voce, quae ad militis aures perveniat.

Erit. Snpp. tibi potestas. Haec Palaestrio ad ancillam accedens.

Tum pol ego id, quod celo, haud celod. Si tu meorum es particeps consiliorum, haec frustra te celo.

Imo etiam sic non celas. Imo ita loquendo, uti modo es locuta, consilia tua me non celas, qui statim, quo pertinerent tua verba, intellexi.

Infidos celas; ego sum tibi fide firma. In familiari colloquio, ubi quod rogati sumus satis per se liquet, fit interdum, ut ad id adamussim non respondeamus, sed aliud quidpiam a re non abhorrens ingeramus, ne videlicet silendo minus urbani videamur. In hisce rerum adiunctis versatur Palaestrio, qui, non declaratis verbis suis, *imo etiam sic non celas*, quarum sensus Milphidippam latere non poterat, aliud infert, sermoni haud absurdum, inquit: Consilia tua infidos celas; ego vero firme tibi fidelis sum.

Cedo signum, si harunc Baccharum es. Da mihi signum, ex quo cognoscam, te horum consiliorum esse participem. Timebat enim ancilla, ne forte imprudens consilia corrumpere.

Si harunc Baccharum es. Locutio ex Bacchi sacris depraemta, in quibus erant certa quaedam symbola et notae, per quas initiati se invicem, tanquam per lesseras, cognoscebant. Huc pertinent illa Apuleii verba, Apolog. 1: Si qui forte adest eorundem solomnium mihi particeps, signum dato. *Bacchae* appellabantur vel feminae, quae Bacchi orgia cele-

PALAESTRIO.

Amat mulier quaedam quendam. 25

MILPHIDIPPA.

Pol istuc quidem multae.

PALAESTRIO.

At non multae de digito donum mittunt.

MILPHIDIPPA.

Enim cognovi nunc: fecisti modo mi ex proclivo planum.

Sed hic numquis adest?

PALAESTRIO.

Vel adest, vel non.

MILPHIDIPPA.

Cedo te mihi solae solum.

PALAESTRIO.

Breven' an longinquo sermone?

MILPHIDIPPA.

Tribus verbis.

PALAESTRIO.

Iam ad te redeo.

brarent, vel ipsa Bacchanalium sacra, quibus Bacchae praecerant. Nos: *Fammi vedere un segno, se tu sei de' nostri.*

Amat mulier etc. Ea signum, quo Palaestrio se consiliorum conscium prodit. Nos: *Vi ha una certa donna innamorata di un cert'uomo.*

Pol istuc quidem multae. Supp. faciunt. Quae ancillae verba eo pertinent, ut ostendat, se signo a Palaestrione prolato nondum acquiescere. Quare certius signum ille statim subiicit, inquit: *At non multae de digito donum, hoc est annulum, mittunt.* Ubi notanda expedita Plautii dialogi celeritas.

Enim cognovi. Enimvero cognovi. Nos: *Ora si, che lo conosco.*

Fecisti modo mi ex proclivo planum. Nunc rem ex probabili fecisti mihi manifestam et certam.

Numquis adest. Subaudi: qui sermonem nostrum ansculet. Simulat enim ancilla, se militem non videre.

Vel adest, vel non. Ad voluntatem tuam adesse potest vel non.

Cedo te mihi solae solum. Nos: *Forrei parlarti da sola a solo.* Solae. Archaism. Soli.

Iam ad te redeo. Haec Palaestrio ad ancillam, intereadum accedit ad militem. Nos: *Torno subito da te.*

PYRGOPOLINICES.

Quid? ego hic adstabo tantisper cum hac forma et factis frustra? 30

PALAESTRIO.

Patere atque adsta: tibi ego hanc do operam.

PYRGOPOLINICES.

Propere properadum: excrucior!

PALAESTRIO.

Pedetentim tu haec scis tractare solere hasce huiusmodi merces.

PYRGOPOLINICES.

Age, age, ut tibi magis concinnum est!

PALAESTRIO.

Nullum hoc stolidius saxum. —

Redeo ad te. Quid me voluisti?

Quid? ego hic adstabo tantisper cum hac forma et factis frustra? Egone, tam eximia praeditus forma, et tot facinoribus clarus, hic adstabo frustra, dum servus hanc puellam alloquitur? Egregius sane locus Plautinus, qui gloriosi militis fastum graphico depingit.

Patere atque adsta: tibi ego hanc do operam. Nos: Abbi pazienza, e staltene qui vicino; questo che io faccio è per te.

Properadum. Particula dum habet vim excitandi. Nos: Su via affrettati.

Excrucior. Maceror. Apte ad amatoris ingenium.

Pedetentim. Sensim, gradatim, lente. Nos: Colle buone, bel bello. Fallitur Forcellinius, qui Donatum et Priscianum, grammaticos, secutus arbitratur, hanc particulam derivari a pede et tentando, et de iis dici, qui prinsquam pedem ponant, solum tentant, ut in tenebris aut in molli solo facere solemus. Est enim huiusce vocis origo repetenda a locutione pedem tenere, quae significat aequo et lento gradu procedere. Quare opponitur advcrbio properanter. Auctor Rhel. ad Herenn. l. 6: Deinde ad nostram causam pedetentim accedemus. Cic. de invent. l. 17: Ingredi pedetentim in defensionem.

Haec merces. Translatè, feminas. Cf. Pers. it. 2. 56, ubi Paegnium puer Sophoclidiscam ancillam malam mercem appellat.

Age, age. Huiusce vocis repetitio militis impatientiam prodit, qui palaestronis verbis acquiescens, cum hortatur ut ad alia pergat.

Concinnum. Commodum.

Nullum hoc stolidius saxum. Haec Palaestrio ad spectatores conversus. Nemo est hoc milite stolidior. Itaud aliter ac Graeci λίθος, Romani stolidum et bardum hominem saxum vel lapidem vocabant.

Redeo ad te. Intellige ad Milphidippam.

Quid me voluisti? Supp. de vel facere.

MILPHIDIPPA.

Quo pacto hoc Ilium aperit,

Velim te ferre ad me consilium.

PALAESTRIO.

Hunc quasi depereat

MILPHIDIPPA.

Teneo istuc. 35

PALAESTRIO.

Conlaudato formam et faciem, et virtutes commemorato.

MILPHIDIPPA.

Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi ut dudum demonstravi.

PALAESTRIO.

Cetera tu coram et contempla et de meis venator verbis.

PYRGOPOLINICES.

Mihi partem hodie operae des denique! Iam tandem ades eloco!

PALAESTRIO.

Adsum:

Impera, si quid vis.

Quo pacto hoc Ilium aperit, etc. Activa positione usurpat Noster *aperit* pro passiva *aperitur*, uti passim latini scriptores. Cf. Gell. xviii. 12. Haec autem est locutio proverbialis ex Troiano bello dopromta; quasi dicat: Velim a te odoceri, quibusuam dolis miles capiatur, haud aliter atque Ulysses, Sinou, aliique ex Graecis per dolos Ilium urbem sibi aperuerunt.

Hunc quasi depereat Sensus est: En, quo pacto miles sit capiendus. Acroteleutium tibi est depingenda, quasi hunc depereat.

Teneo istuc. Istud jam novi.

Collaudato formam et faciem. Quum *facies* et *forma* coniunguntur; *facies*, tanquam significantius, posteriore loco ponitur. Nos: *Lodane la bellà e le fattezze.*

Ad eam rem habeo omnem aciem. Metaphora a re militari. Ad eam rem omnibus fallaciis sum instructa.

Cetera de meis venator verbis. Cetera, quo sint dicenda vel facienda, venare, coniiicito ex meis verbis. Itali: *Il resto da farsi potrai vederlo di presenza, e congetturarlo dalle mie parole.*

Mihi partem hodie etc. Morae impatiens miles Palaestriorem arguit, quod diutius colloquia serat cum Milphidippa. Et tandem, ait, aliquantisper hodie ad me animum advortes!

Iam tandem ades eloco! tam tandem statim ad me veni. *Ades.* Imperativus modus verbi *adsum.*

Adsum. Nos: *Eccomi.*

PYRGOPOLINICES.

Quid illaec narrat tibi?

PALAESTRIO.

Lamentari

40

Ait illanc miseram, cruciari, et lacrumantem se adflictare:

Quia tis egeat, quia te careat. Ob eam rem huc ad te missa est.

PYRGOPOLINICES.

Iube adire.

PALAESTRIO.

At scin', quid tu facias? Face te fastidi plenum,
Quasi non lubeat. Me in clamato, quia sic te volgo volgем.

PYRGOPOLINICES.

Memini, et praeceptis parebo.

PALAESTRIO.

Voco ergo hanc, quae te quaerit. 45

PYRGOPOLINICES.

Adeat, si quid volt.

PALAESTRIO.

Si quid vis, adi, mulier.

MILPHIDIPPA.

Pulcer, salve.

*Illaec. Milphidippa. Illanc. Acroteleutium.**Tis egeat. Tui egeat.**Missa est. Milphidippa.**Iube adire. Nos: Falla venire.**At scin', quid tu facias? Itali: Ma sai tu quello che hai a fare?**Face te fastidi plenum. Simula, te mulierum fastidio afflci, feminas aversari. Nos: Fatti vedere ristucco delle donne.**Me in clamato, quia sic te volgo volgем. Me increpa, quod ad te mulierum turbam adducam. Volgo volgем. Paronomasia.**Voco ergo hanc, quae te quaerit. Voco pro futuro vocabo. Perperam Botho (cuius editionem sequimur) haec verba interrogationis nota signavit. Quum enim miles promiserit, se praeceptis esse obediturum, ergo, respondet Palaestrio, vocabo hanc quae te quaerit.**Adeat, si quid volt. Haec miles altiore voce, ut a Milphidippa possit exaudiri.*

PYRGOPOLINICES.

Meum cognomentum quis commemoravit? Di tibi dent, quae optes.

MILPHIDIPPA.

Tecum aetatem exigere ut liceat

PYRGOPOLINICES.

Nimium optas.

MILPHIDIPPA.

Non me dico,

Sed heram meam, quae te demoritur.

PYRGOPOLINICES.

Multae aliae item istuc cupiunt,

Quibus non copia.

MILPHIDIPPA.

Haud ecaster mirum, si te habes carum, 50

Hominem tam pulcrum et praeclara virtute et forma et factis.

Heus,

Dignior fuit quisquam, homo qui esset?

PALAESTRIO.

Non hercle humanust ergo:

Meum cognomentum quis commemoravit? Inflata militis verba, caveae risum captantia. Itali: *Chi mi chiama col mio soprannome?*

Di tibi dent etc. Bene precantis formula.

Tecum aetatem exigere ut liceat... Subaudi *opto*. De industria Plantus ancillam inducit ambiguae orationis initium usurpantem, qua mox aliter explicata, ac prima fronte verba sonare videbantur, in risum solvuntur spectatores. Quod quidem Plauto, Goldonio, Motierio aliisque comicis est perfamiliale.

Non me dico. Nos: *Non parlo di me.*

Multae aliae item etc. Ad gloriosi hominis ingenium mire est comparatum hoc responsum.

Quibus non copia. Supp. non est mei. Quibus mecum vivere non licet.

Si te habes carum. Itali: *se ti mostri schifiltozo.*

Heus, dignior fuit quisquam, homo qui esset? En-adulationem, quae licet modum omnem excedat, apte tamen in fatuum et gloriosum militem quadrat. Sensus est: Complures sunt, quos bestiae potius quam hominis figura deceret, propterea quod humana specie ac forma belluas immanitate vincunt. Tu vero unus omnium dignus es qui noscaris ob mores tuos humanissimos.

Non hercle humanust ergo. Haec Palaestrio submissa voce. Quo in loco particula *ergo* loquentis stomachum atque indignationem prodit. Diceret italicè: *Egli è ben altro che umano.*

Nam volturio plus humani, credo, est.

PYRGOPOLINICES.

Magnum me faciam

Nunc, quoniam illaec me conlaudat.

PALAESTRIO.

Viden' ignavom, ut sese infert? —

Quin tute huic responde! Haec illaec ab illac est, quam dudum..... 55

PYRGOPOLINICES.

Qua ab illa nam? nam ita me occursant multae: meminisse haud
possum.

MILPHIDIPPA.

Ab illa, quae digitos despoliat suos et tuos digitos decorat:

Nam anulum hunc ab tui cupiente istac detuli huic.

Nam volturio plus humani est. Cum immaui avi militem comparat Palaestrio, ut ostendat quam longe a veritate recedant ancillae verba, Pyrgopolinices humanitatem adsentatorie laudantis. Plus humani habet volturius. Nos: *Sarebbe più umano un avvoltoio.* Haec quidem verisimilior est sententia, quam nos sequimur. Fuere tamen qui crederent, volturio esse casum nominativum, verbum est poni pro edit, ut sensus sit: Plus carnis humanae edit volturius, quam habeat Pyrgopolinices. Acutius id, quam verius.

Magnum me faciam nunc, quoniam illaec me conlaudat. Ut intelligamus, quam festivo, quamque ad naturam accommodate haec dicantur a milite, iuvabit ipsum nobis ante oculos ponere, qui ancillae laudibus magis et magis inflatus, solito graviorem vultum induit, magnificum fingit incessum, et toto denique corporis habitu arrogantiam suam prodit; Intereadum ad spectatores conversus, haec secum: *Magnum me faciam nunc: Itali: Ora farò un po' del grosso, dacchè costei mi loda.*

Viden' ignavom, ut sese infert! Ut magnifice et cum fastu incedit! Nos: *Vedi il vile come si pavoneggia!* Haec Palaestrio submissa voce. Postea vero militem alloquens: Cur, ait, huic feminae non respondes?

Haec illaec ab illac est, etc. Haec femina illius matronae est ancilla, quam nuper tibi memoravi. Cf. II. 2. 5.

Quam dudum.... Supp. dixi.

Qua ab illa nam? Cuiusnam matronae est ancilla?

Nam ita me occursant multae, etc. Tam multae enim se mihi offerunt, a tam multis petor, ut singulas meminisse nequeam. Vides profecto, quam ingeniose miles omnem arripiat occasionem, qua impositam sibi gloriosi personam sustineat.

Ab illa, quae etc. Illius sum ancilla, ab illa mittor, quae etc.

Ab tui cupiente. Ab hera mea tui cupida.

Detuli huic. Archaism. Detuli Palaestriani.

PYRGOPOLINICES.

Porro

Quid nunc tibi vis, mulier, memora.

MILPHIDIPPA.

Vt, quae te cupit, eam ne spernas,
Quae per tuam nunc vitam vivit. Sit, nec sit, spes in te uno est. 60

PYRGOPOLINICES.

Quid nunc volt?

MILPHIDIPPA.

Te compellare et complecti et contractare.
Nam nisi tu illi fers suppetias, iam illa animum despondebit.
Age, mi Achilles, fiat, quod te oro! serva pulcram, pulcer!
Exprobre ingenium benignum ex te, urbicaepe, occisor regum!

PYRGOPOLINICES.

Heu

Hercle odiosas res! quotiens hoc tibi, verbero, ego interdixi, 65
Meam ne volgo polliciteris sic operam?

PALAESTRIO.

Audin' tu, mulier?

Dixi hoc tibi dudum et nunc dico: ni huic verri adfertur merces,

Porro quid nunc tibi vis, etc. Quid autem petis? loquere.*Per tuam vitam vivit.* Nos: non vive che per te.*Sit, nec sit, spes in te uno est.* Dominae meae salus omnis in te uno sita est.*Contractare* Nos: palpeggiare. Nota meretriculae licentiam.*Animum despondebit.* Spem omnem abiiciet. Itali: si darà alla disperazione.*Mi Achilles.* Blanda et adulatoria compellatio.*Pulcram, pulcer.* Plautina paronomasia.*Exprobre ingenium benignum ex te.* Benignam indolem tuam ostende.*Urbicaepe.* Urbium expugnator.*Heu hercle odiosas res!* Supp. audio. Formula stomachantis. Nos: Oh che seccaggine!*Quotiens hoc tibi.* Pyrgopolinices, momor praeceptorum Palaestriionis, se fastidii plenum facit, atque in Palaestriionem iuvebitur, cuius causa innumera amantium mulierum turba prematur.*Verbero.* Verberibus digne. Convicium in improbum servum.*Interdixi, meam ne volgo etc.* Velui, ne tot feminas in spem obtinendi mei amoris adducas.*Ni huic verri.* Proprie verres est porcus non castratus: translate homo

Non suo seminio hic quamquam inpartiturus porculenam.

MILPHIDIPPA.

Dabitur, quantum ipse pretiosus poscet.

PALAESTRIO.

Talentum huic Philippum opus auri est.

Minus ab nemine accipiet.

MILPHIDIPPA.

Heu ecastor nimis vilis tandem! 70

PYRGOPOLINICES.

Non mihi avarities unquam innata est; satis est divitiarum:

Plus mihi mille auri est modiorum Philippi.

PALAESTRIO.

Praeter thesaurum.

Tum argenti hic montis, non massas, habet. Aetna non aequae altus.

masculus in *ερωστία* valens. *Verris* respondet *porculena*, seu *porcula*, quae hic usurpatur de femina.

Non suo seminio hic etc. Obscena allegoria, de qua illustranda non laboramus.

Ipsus. ἄρχατος. Ipse.

Talentum huic Philippum opus auri est. Huic opus est talentum aureorum Philipporum. *Talentum* fuit pecuniae summa efficiens sexaginta minas. *Philippi*, vel *Philippii*, *orum*, dicti sunt nummi anrei, imagine Philippi Macedonum regis insignes. Nos: *un talento di Filippi d'oro*; eadem plane ratione, qua *Luigi d'oro*, vel *Napoleoni d'oro*, nummos aureos appellamus, Ludovici Gallorum regis, aut Imperatoris Napoleonis imaginae donatos.

Heu ecastor! Formula admirantis.

Nimis vilis tandem. Miror sane, tam parvo pretio ipsum contemptum esse.

Non mihi avarities etc. Nunquam avaritia me invasit.

Plus mihi mille auri est modiorum. Fuit modius genus mensurae, continens sextarios sexdecim. In hisce rerum adiunctis gloriosus quispiam ex nostratibus diceret: *Io ho più di mille sacchetti di Napoleoni d'oro.*

Praeter thesaurum. Praeter illam collectionem pecuniae, quam recondidit in futurum usum. Nostrates vernacula locutione: *Oltre il pozzo morto.* Nimirum voluit servus ianuere, Pyrgopolinice habere in promptu mille illos Philippiorum modios ad usum quotidianum; sed multo maiorem pecuniae acervum seposuisse.

Tum argenti hic montis, non massas, habet. Aetna non aequae altus. Intellige argentum tum factum, tum infectum, hoc est vasa ex argento, et argentum in massis, non elaboratum. Itali: *D'argenteria poi costui ne ha delle montagne più alte dell'Etna.* Nemo sane ex

MILPHIDIPPA.

Ecastor periurum!

PALAESTRIO.

Ut ludo?

MILPHIDIPPA.

Quid ego? ut sublecto os?

PALAESTRIO.

Scite

MILPHIDIPPA.

Sed, amabo, me mitte actutum.

PALAESTRIO.

Quin tu huic respondes aliquid, 75

Aut facturum, aut non facturum? quid miseram illam animi ex-
crucias,

Quae male de te merita est nunquam?

PYRGOPOLINICES.

At iube eampse exire huc ad nos.

Dic me omnia, quae volt, facturum.

MILPHIDIPPA.

Facis nunc, ut facere aequom,

spectatoribus risum teneat haec audiendo, quibus adstantorium servi veteratoris ingenium graphice Noster expressit.

Ecastor periurum! Haec secum indignanter Milphidippa. Haud aliter Trucul. 11. 2. 37. Heu edepol hominem nihili!

Ut ludo? Quam scite huic ludos facio? Haec Palaestrio submissa voce ad Milphidippam, ita tamen ut a spectatoribus exaudiatur. Nos: *Come gli do io bene la baia?*

Ut sublecto os? Sublectare est oblectando clam fallere. Idem valet quod *os sublinere*, de quo V. Aulul. 1v. 1. 61; Mil. 11. 5. 57. Quam lepide hunc rideo?

Me mitte. Dimitte.

Quin tu huic responder etc.? Haec Palaestrio ad militem.

At iube eampse exire huc ad nos. Particula *at* saepe coniungitur cum imperativo, quo aliquid petimus vel iubemus. Cic. Ep. ad fam. vii. 24: *At vide quid succenseat.* Ovid. Met. xii. 367: *At inferias, iuvenum gratissime Cranlor, accipe*, ait. Itali: *Via, falla venire. Exire. Supp. domo.*

Dic me omnia, quae etc. Ordo verborum est: Dic omnia, quae ipsa vult, me facturum.

Facis nunc, ut facere aequom. Formula gratias agentis.

Quom, quae te volt, eandem tu vis . . .

PALAESTRIO.

Non hoc insulsum ingenium!

MILPHIDIPPA.

Quomque oratricem haud sprevisi, sistique exorari ista. — 80
Quid est? ut ludo?

PALAESTRIO.

Nequeo hercle equidem risu meo moderari.

Ob eam causam huc abs te avorti.

PYRGOPOLINICES.

Non edepol tu scis, mulier,

Quantum ego honorem nunc illi habeo.

MILPHIDIPPA.

Scio, et istuc illi dicam.

PALAESTRIO.

Contra auro alii hanc vendere potuit operam.

MILPHIDIPPA.

Istuc pol tibi credo.

PALAESTRIO.

Meri bellatores gignuntur, quas hic praegnatis fecit, 85
Et pueri annos octingentos vivont.

Non hoc insulsum ingenium! Palaestrio haec secum, laudans Milphidippam, quod apte et ingeniose respondit militi. Quasi dicat: hoc responsum arguit ingenium non insulsum.

Sistique exorari ista. Et sivistis haec impetrari abs te.

Quid est? Ut ludo? Haec ait Milphidippa ad Palaestriionem conversa, ita ut a mille non possit exaudiri.

Huc abs te avorti. Me avorti huc abs te; ne videlicet miles me ridentem videret, seque a me derideri intelligeret. Nos: *ti ho voltato le spalle.*

Non edepol tu scis etc. Vide, sis, lector, quemadmodum nihil, nisi gloriosum, exeat ex militis ore!

Contra auro alii hanc etc. Itali: *All'incontro da un'altra avrebbe potuto farsi pagare a prezzo d'oro.*

Meri bellatores gignuntur, quas etc. Merus dicitur de re pura, cui nihil sit admixtum. Sic merum aurum, oro puro. Translate idem valet ac verus, germanus, praestans, insignis. Sensus est: veri et praestantes bellatores gignuntur ab iis mulieribus, quas hic praegnantas facit. Et pueri annos octingentos vivont. Nota immodicam servi adstantionem,

MILPHIDIPPA.

Vae tibi, nugator!

PYRGOPOLINICES.

Quin mille annorum perpetuo vivunt ab seculo ad seculum.

PALAESTRIO.

Eo minus dixi, ne haec censeret me adversum se mentiri.

MILPHIDIPPA.

Perii, quot hic ipse annos vivet, quous filii tam diu vivont?

PYRGOPOLINICES.

Postriduo ego sum natus, mulier, quam Iupiter ex Ope natust. 90

PALAESTRIO.

Pridie si hic natus foret, quam ille est, hic haberet regnum in coelo.

MILPHIDIPPA.

Iam, iam sat, amabo, est: sinite abeam, si possum, viva a vobis!

PALAESTRIO.

Quin ergo abi, quando responsum est.

quae non tam pertinet ad captandam militis gratiam, quam ad spectatores exhilarandos. *Praegnatis*. Veteres dixerunt *praegnatae*, *antis*, pro eo quod est *praegnans*, *antis*.

Vae tibi, nugator! In hoc loco *nugator* est sycophanta, qui mendacia effutiat. Nos: *Taci, bugiardone*. Haec autem a milite aversa ad Palaestriorem loquitur Milphidippa.

Mille annorum. Mille annos. Mendacia mendaciis cumulat Plautus, quo expressius militis vanitatem effingat.

Eo. Ob hanc causam.

Adversum se. Coram ipsa. Itaud aliter Bacchid. iv. . . 47: Imo si audias, quae dicta dixit *me adversum* tibi.

Perii! Interiectio admirantis. Nostrates: *Misericordia!*

Quot hic ipse annos etc. Ita quippe natura est comparatum, ut posterior aetas deteriore utatur conditione. Huc facit Horatianum illud, Od. vi. 6. 45: *Damnosa quid non imminuit dies?* Aetas parentum peior avis tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosorem.

Postriduo. Arch. Postridie.

Ex Ope. Ops, quae et Cybele, fuit deorum omnium mater.

Pridie si hic natus etc. Ea monstra et portentosa loquitur Palaestrio, quae licet humanam fidem excedant, a re tamen atque a servili ingenio non sunt absurda, et risum spectatorum facile excutiunt.

Iam iam. Idem quod *nunc*.

Amabo. Formula obsecrantis.

Sinite abeam, si possum, viva. Sinite ut abeam, antequam incredibilia haec mendacia vestra me enicent.

Quin ergo. Formula mirantis quidpiam factum non esse, aut non fieri.

MILPHIDIPPA.

Ibo atque illam huc adducam,
 Quam propter mi opera est. Numquid vis?

PYRGOPOLINICES.

Ne mage sim pulcer, quam sum:
 Ita me forma habet sollicitum.

PALAESTRIO.

Quid hic nunc stas? quin abi!

MILPHIDIPPA.

Abeo. 95

PALAESTRIO.

Atque adeo (audin'?) dicitis docte et cordate.

MILPHIDIPPA.

Ut cor ei saliat.

PALAESTRIO.

Philocomasio dic, si est hic, domum ut transeat; hunc hic esse.

MILPHIDIPPA.

Hic est cum hera; clam sermonem hunc nostrum sublegerunt.

PALAESTRIO.

Lepide factum est: iam ex sermone hoc gubernabunt doctius porro.

Quam propter mi opera est. Cuius gratia operam sumo. Itali: Per la quale mi vo adoperando.

Numquid vis? Formula discedentis. Nos: Vuoi altro da me?

Atque adeo. Usurpatur ab eo, qui verbis iam prolatis sibi nondum satisfaci, et quidpiam addit ab audiente praesertim animadvertendum.

Dicitis docte et cordate. Loquere sapienter et prudenter, non abs re.

Ut cor ei saliat. Dicam ut cor ei saliat. Nos: Le dirò come il cuore le palpiti.

Si est hic. Haec dicta a Palaestrione dicuntur, domum Periplectomenis commonstrando.

Domum ut transeat. Supp. militis.

Hunc. Pyrgopolinicum.

Hic est cum hera. Philocomasium est hic cum Acroteloutio, hera mea.

Sermonem sublegerunt. Translate. Clam sermonem nostrum exceperunt.

Lepide factum est. Formula probantis. Nos: Bene.

Iam ex sermone hoc gubernabunt doctius porro. Particula porro ponitur quum res memoratur, quae instat futura. Itali: da questo nostro discorso avranno imparato a trattare poi meglio la faccenda.

MILPHIDIPPA.

Remorare: abeo.

PALAESTRIO.

Neque te remoror, neque te tago, neque te. . . Tacco. 100

PYRGOPOLINICES.

Iube maturate illam exire huc: iam isti re praevortemur.

Quid mihi nunc auctor, ut faciam, es, Palaestrio,

De concubina? nam potest nullo prius

Pacto haec in aedis recipi, quam illam amiserim.

PALAESTRIO.

Quid me consultas, quid agas? dixi equidem tibi,

105

Quo pacto id fieri possit clementissime:

Aurum atque vestem muliebrem omnem habeat sibi,

Quae illi instruxisti; sumat, habeat, auferat;

Dicasque, tempus maximum esse, ut eat domum:

Sororem geminam adesse et matrem dicito,

110

Quibus concomitata recte deveniat domum.

PYRGOPOLINICES.

Qui tu scis, eas adesse?

PALAESTRIO.

Quia oculis meis

Remorare. Tu me diutius quam par sit, remoraris.*Tago.* Ἀρχαῖος. Tango.*Neque te* Per aposiopesin quidpiam reticetur, licentius a servo dicendum; uti ex. gr.: neque te osculor, neque te atrecto. Quae quidem iocosa reticentia saepe apud comicos occurrit caveae exhilarandae causa.*Isti re praevortemur.* Hanc rem prae ceteris agemus. *Questo sarcmo avanti ogni altra cosa.* Cf. Capt. II. 3. 100; Merc. II. 3. 40.*Quid mihi nunc auctor, ut faciam, es? Quid mihi suades ut faciam? Che mi consigli di fare?**Haec illam.* Acroteleutium Philocomasium.*Amiserim.* Dimiserim.*Dixi equidem tibi, quo pacto id fieri possit clementissime.* Iam dixi tibi quo pacto possis Philocomasium dimittere placidissime, quin aliquam ei offensionem afferas. Cf. IV. 1. 32. seqq.*Sumat, habeat, auferat.* Nota sermonis celeritatem. Nos: *si pigli ogni cosa, se la tenga, se la porti via.**Tempus maximum etc.* Tempus maxime opportunum domum eundi*Recte.* Tuto, prospere, feliciter.

Vidi hic sororem esse eius.

PYRGOPOLINICES.

Convenitne eam?

PALAESTRIO.

Convenit.

PYRGOPOLINICES.

Ecquid fortis visa est?

PALAESTRIO.

Omnia

Vis obtinere.

PYRGOPOLINICES.

Ubi matrem esse aiebat soror?

115

PALAESTRIO.

Cubare in navi lippam atque oculis turgidis,

Naclerus dixit, qui illas advexit, mihi.

Is ad hos naclerus hospitio devortitur.

PYRGOPOLINICES.

Quid is? ecquid fortis?

PALAESTRIO.

Abi, sis, hinc: nam tu quidem

Convenitne eam? An venit ad eam? Nos: La viene essa a trovare?

Ecquid fortis visa est? Num formosa tibi visa est? Romani, qui omnia fortitudini et corporis robori tribuerent, hominem formosum appellabant, qui fortitudine praestaret. Hinc passim fortis pro pulcro. Cf. Bacchid. II. 2. 38. Et vicissim pulcer pro forti. Cf. Virg. Aen. VII. 656, de Hercule. Ut autem plane horum verborum vim assequaris, candide lector, imaginare iam tibi militem, qui vix cum audivit Palaestriionem commemorantem Philocomasii sororem, aures iam adrigit, fit vultu attentiore, et lascivo quodam oculorum obtutu gestuque significat, se cupere cum illa etiam rem habere, si sit pulcra. Hinc aptissimum illud servi responsum, militis incontinentiam reprehendentis: Omnia vis obtinere.

Lippam. Dicimus quae habet oculos lacrimantes. Nos: cisposa.

Oculis turgidis. Ob lippitudinem.

Ad hos. devortitur. Apud hos, nempe in domo Periplectomonis.

Hospitio devortitur. Nos: è alloggiato. Hinc diversorium, hoc est hospitium, quo amici atque hospites ad tempus et sine pretio excipiuntur.

Quid is? ecquid fortis? Quid hominis est naclerus? num pulcer? Turpicula paediconis interrogatio.

Abi, sis, hinc. Formula improbantis. Nos: Va via.

Ad equas fuisses scitus admissarius,
Qui consecrere qua mares, qua feminas.

PYRGOPOLINICES.

Hoc age nunc.

PALAESTRIO.

Istuc.

PYRGOPOLINICES.

Quod das consilium mihi,

Te cum illa verba facere de ista re volo:

Nam cum illa sane congruos sermo tibi.

PALAESTRIO.

Qui potius, quam tute adeas, tuam rem tute agas,

Dicas, uxorem tibi necessum ducere,

Cognatos persuadere, amicos cogere?

PYRGOPOLINICES.

Itane tu censes?

PALAESTRIO.

Quid ego ni ita censeam?

PYRGOPOLINICES.

Ibo igitur intro. Tu hic ante aedis interim

Ad equas fuisses scitus admissarius. Idoneus admissarius fuisses ad equas ineundas. Translate de milite libidinoso. It.: *Tu saresti stato un eccellente stallone.*

Qui consecrere qua mares, qua feminas. Metaphora ducta a canibus venaticis. *Qua, qua.* Cum, tum.

Hoc age nunc. Formula adhortantis. Nunc, omissis ludicris, animum adverte ad ea quae volo.

Istuc. Istud quidem ago.

Quod das consilium mihi, te cum illa etc. Volo, te cum Philocomasio loqui de ista re, ad quam mo es hortatus.

Cum illa sane congruos etc. Tibi sane convenit cum illa verba facere.

Qui potius, quam tute adeas etc.? Quomodo potius, quam ut tu ipse adeas etc.? Nos: *Qual miglior partito, che andare tu stesso a trovarla ecc.?* Nota, lector, Palaestriionis vafritem, qui herum hortatur, ut ipse concubinam expellat, ne videlicet postea queri possit, quod invitus, et impellente servo illam dimiserit.

Cognatos persuadere, amicos cogere. Ut concubinaru officias.

Quid ego ni? Quidni? Cur non?

Speculare, ut, ubi illaec prodeat, me provoces.

130

PALAESTRIO.

Tu modo istuc cura, quod agis.

PYRGOPOLINICES.

Curatum id quidem est.

Quin, si voluntate nolet, vi extrudam foras.

PALAESTRIO.

Istuc cave faxis; quin potius per gratiam

Bonam abeat abs te; atque illaec, quae dixi, dato:

Aurum, ornamenta, quae illi instruxisti, ferat.

135

PYRGOPOLINICES.

Cupio hercle.

PALAESTRIO.

Credo, facile te impetrassere.

Sed abi intro; noli stare.

PYRGOPOLINICES.

Tibi sum obediens.

PALAESTRIO.

Numquid videtur demutare atque ut quidem

Dixi esse vobis dudum hunc moechum militem?

Nunc ad me ut veniat usust Acroteleutium,

Ancillula eius et Pleusides. Proh Iupiter!

140

Ubi illaec prodeat. Ubi Acroteleutium prodeat e domo Periplectomenis. Nimirum miles iam totus est cogitatione defixus in muliere, quam Periplectomenis uxorem esse arbitratur. Quare servum monet, ut dum ipse Philocomasium adit, attente speculetur, unum illa domo egrediatur.

Tu modo istuc cura, etc. Equidem rebus tuis attente prospiciam, tu modo cura quod agis. *Bada solo a far bene quello che fai.*

Quin. Quin imo.

Voluntate. Spoute.

Istuc cave faxis. Cave, ne istud feceris.

Per gratiam bonam. Placide, sine querela. Nos: *con buona grazia.*

Impetrassere. Impetraturum esse.

Noli stare. Ne moreris.

Numquid videtur demutare etc.? Milite domum ingresso, Palaestrio solus relictus in scena, haec habet ad spectatores. *Demutare* pro passivo *demutari*. Anne hic miles alius vobis videtur, ac dudum ego dixi?

Usust. Opus est.

Ancillula. Vox blandientis. Nos: *la sua servetta.*

Satin' ut commoditas usquequaque me adiuuat?
 Nam quos videre me exoptabam maxime,
 Una exeuntis video illinc de proximo.

ACTUS IV. — SCENA III.

ACROTELEUTIUM, MILPHIDIPPA, PLEUSIDES, PALAESTRIO.

ACROTELEUTIUM.

Sequimini! simul circumspicite, ne quis adsit arbiter.

MILPHIDIPPA.

Neminem pol video, nisi hunc, quem volumus conventum.

PALAESTRIO.

Et ego vos.

MILPHIDIPPA.

Quid agis, noster architecte?

PALAESTRIO.

Egon' architectus! vah!

MILPHIDIPPA.

Quid est?

PALAESTRIO.

Quia enim non sum dignus prae te, ut figam palum in parietem.

Satin' ut commoditas etc. Quantum commoditas.

Illinc de proximo. Διευκρινεῖς. Ex proximis Periplectomenis aedibus.

Sequimini, simul circumspicite etc. In hac scena momentis partes agit Palaestrio; et quid cuique sit agendum ordine docet. Cf. Trin. I. 2. 109: Circumspicedum te, ne quis adsit arbiter.

Quem volumus conventum. Quem convenire volumus.

Et ego vos. Supp. solum video.

Architecte. Cf. III. 3. 28.

Vah! Interiectio mirantis et negantis. Itali: *oibò! no davvero.*

Quia enim non sum dignus etc. Ne mireris, me hoc architecti nomen detrectare. Si enim velim me tecum conferre, non sum dignus, qui palum figam in parietem, nedum architectus sim dicendus. *Quia enim.* Saepe apud comicos pro *quia*.

ACROTELEUTIUM.

Heia vero!

PALAESTRIO.

Nimis facete, nimisque facunde mala est.

Ut lepide deruncinavit militem!

ACROTELEUTIUM.

At etiam parum.

PALAESTRIO.

Bono animo es: negotium omne iam succedit sub manus.

Vos modo porro, ut ocepistis, date operam adiutabilem:

Nam ipse miles concubinam intro abiit oratum suam,

Ab se ut abeat cum sorore et matre Athenas.

PLEUSIDES.

Heu probe!

PALAESTRIO.

Quin etiam aurum atque ornamenta, quae ipse instruxit, mulieri

Omnia dat dono, a se ut abeat: ita ego consilium dedi.

PLEUSIDES.

Facile istuc quidem est, si et illa volt et ille autem cupit.

Heia vero! Haec utitur formula qui nimium quid, praesertim in laude, miratur, neque verbis ab altero prolatis fidem adiungere videtur. Nos: *Tu vuoi scherzare*. Sic Epid. II. 2. 76: *Ep.* Vos priores esse oportet, nos posterius dicere, qui plus sapitis. *Ap.* *Eia vero! age dic.* Cf. Rud. II. 3. 9; Cic. de Rep. III. 5.

Nimis facete etc. Haec secum Palaestrio de Acroteleutio.

Mala. Nos: *scaltra*.

Deruncinavit. Runcina, graece *ῥυκίνη*, est ferrum, quo lignum laevigamus. Hinc *deruncinare* (ital. *piattare*), quod translate a Plauto usurpatur pro eo quod est decipere. Cf. Capt. III. 4. 108.

At etiam parum. Nos: *Eppure è ancor poco*. Sic Ter. Eun. V. 6. 8: Nunquam pol hominem stultiorem vidi... *At etiam* primo callidum ac disertum credidi hominem. Cic. Catil. II. 6: *At etiam* sunt, Quirites, qui dicant, a me in exilium eiectum esse Catilinam.

Vos modo porro. Vide IV. 2. 100.

Date operam adiutabilem. Adiuuate rem:

Heu. A graeco *ὤ*, est interiectio laudantis, et laetitiam ex improviso perceptam significantis. *Heu probe.* Nos: *Benissimo*. Cf. Ter. Eun. I. 2. 74: *Eu*, noster, laudo: tandem percoluit: vir os.

Ille autem cupit. Particula *autem*, coniunctio adversativa, rem rei op-

PALAESTRIO.

Non tu scis, quom ex alto puteo sursum ad summum ascenderis,
 Maximum periculum inde esse a summo ne rursus cadas? 15
 Nunc haec res apud summum puteum geritur: si prosetiserit
 Miles, nihil efferri poterit huius. Nunc quam maxime
 Opus dolis.

PLEUSIDES.

Domi esse ad eam rem video silvai satis:
 Mulieres tres; quartus tute es; quintus ego; sextus senex.

PALAESTRIO.

Quod apud nos fallaciarum se excitant!

PLEUSIDES.

Certo scio. 20

PALAESTRIO.

Oppidum quodvis videtur posse expugnari dolis:
 Date modo operam.

ACROTELEUTIUM.

Id nos ad te, si quid velles, venimus.

ponit, idemque valet quod Graecorum $\sigma\tau\iota$. Quo sensu componitur saepissime cum pronomibus: *ille autem, tu autem, qui autem*.

Non tu scis. Similitudine utitur Palaestrio, ut plane aperiat, rem esse in cardine, et maxima prudentia opus esse, ne miles dolos presentiat, qui illi parantur.

Ex alto puteo. Ex imo, profundo puteo.

Nunc haec res apud summum puteum geritur. Nunc res nostra ad exitum accedit.

Nihil efferri etc. Nihil ex domo militis efferri poterit; hoc est neque Philocomasium, neque aurum et ornamenta, quae mulieri dono dedit. Quare dolis perquam caute utendum est.

Domi esse ad eam rem video silvai satis. Quum Palaestriionem, fallaciarum auctorem, *architecti* nomine donaverit Plautus, et dolos ipsos *passim fabricas* appellet, ingeniose nunc perstat in allegoria. Silvae enim appellatione veniunt ligna, quibus utimur ad fabricandum. Sensus igitur est: Multa video nobis suppetere, ad militem fallendum opportuna.

Tute. Tu ipse, idest Palaestrio.

Quod apud nos fallaciarum etc. Quot apud nos fallaciae aedificantur!
Expugnari dolis. Supp. huiusmodi.

Id. Ob id. Hac videlicet causa ad te venimus, si forte quidpiam a nobis velles.

PALAESTRIO.

Lepide facitis. Nunc tibi hanc ego impero provinciam.

ACROTELEUTIUM.

Impetrabis, imperator, quoad ego potero, quod voles.

PALAESTRIO.

Militem lepide et facete et laute ludificarier

Volo.

25

ACROTELEUTIUM.

Voluptatem mecastor mi imperas.

PALAESTRIO.

Scin', quemadmodum?

ACROTELEUTIUM.

Nempe ut adsimulem me amore istius differri

PALAESTRIO.

Rem tenes.

ACROTELEUTIUM.

Quasique istius causa amoris ex hoc matrimonio

Abierim, cupiens istius nuptiarum.

Lepide facitis. Formula gratias agentis. Optime facitis.*Tibi hanc ego impero provinciam.* Haecenus a re architectonica; nunc vero a re bellica allegoriam deponit Plautus, et Palaestrioñem tamquam summum ducem nobis exhibet, omnia ad proelium necessaria solertissime imperantem. *Haec tibi impero provinciam:* hoc tibi munus committo.*Quoad ego potero.* Quantum in me erit.*Laute.* Luculenter, magnifice.*Voluptatem mi imperas.* Quae grata sunt mihi imperas.*Scin' quemadmodum?* Subaudi: volo militem ludificari.*Nempe ut adsimulem etc.* In familiari colloquio interdum interroganti respondent Latini per particulam *nempe*, quae idem valet ac *sine dubio*, *profecto*, *revera*, *plane*. Sic Horat. Epod. xii. 91: Muricibus tyriis iteratae vellera lanae Cul properabantur? Tibi *nempe*. Cic. Phil. i. 7: Cn. Pompeii tertius consulatus in quibus actis constitit? *Nempe* in legibus. Id. Verr. V. 69; pro Mil. iii; pro Lig. iii; Ovid. Fast. ii. 667; Trist. iii. 4. 23; Pers. Sat. ii. 10; Quintil. Inst. Orat. xii. 2.*Amore istius differri.* . . . Torqueri, lacerari. Sic Poen. i. 1. 28: *Differor* cupidine eius.*Rem tenes.* Rem intelligis. Galli: *Vous y êtes*.*Ex hoc matrimonio abierim.* Cum viro divortium fecerim.*Cupiens istius nuptiarum.* Cupiens militi nubere.

PALAESTRIO.

Omne ordine,

Nisi modo unum hoc: hasce esse aedis dicas dotalis tuas;
 Hinc senem abs te abüsse, postquam feceris divortium:
 Ne ille mox vereatur introd ire in alienam domum.

30

ACROTELEUTIUM.

Bene mones.

PALAESTRIO.

Sed ubi ille exierit intus, istic te procul
 Ita volo adsimulare, prae illius forma quasi spernas tuam,
 Quasiq; eius opulentitatem reverearis; et simul
 Formae amoenitatem illius, facie pulcritudinem,
 Conlaudato. Satin' praeceptum est?

35

ACROTELEUTIUM.

Teneo. Satin' est, si tibi
 Meum opus ita dabo expoliturum, ut improbare non queas?

PALAESTRIO.

Sat habeo. Nunc tibi vicissimque imperabo.

PLEUSIDES.

Dicito.

Omne ordine. Nisi modo unum hoc, etc. Recte omnia dicit. Hoc unum tamen addas velim, te videlicet hasce aedes viro in dotem attulisse, ac propterea, facto divortio, in tui potestatem ac ditionem ipsas redisse. Quod quidem à te est dicendum, ne miles vereatur in illas ingredi.

Ubi ille exierit intus. Quum miles exierit domo, in quam est ingressus, ut Philocomasium dimittat. Nos: *quando egli sarà uscito di là dentro.*

Prae illius forma. Itali: *in comparazione della sua bellezza.*
Opulentitatem. Opulentiam, divitias.

Formae amoenitatem illius. Iocundam illius formam. *Facies ad os, forma* ad reliquas corporis partes pertinet.

Facie. Ἀρρατῶς. Faciei.

Satin' praeceptum est? Satisne te monui faciendâ?

Expoliturum. Perfectum, absolutum.

Sat habeo. Haec Palaestrio ad Acroteleutium. Quae sequuntur habet ad Pleusidem.

Vicissim. Itali: *alla tua volta.*

PALAESTRIO.

Quam extemplo hoc erit factum, ubi intro haec abierit, tute eloco 40
 Facito ut venias ornatus ornati huc nauclerico:
 Causiam habeas ferrugineam; culcitam ob oculos laneam;
 Palliolum habeas ferrugineum (nam is colos thalassicust)
 Item, connexum in humero laevo, ecfibulato brachio,
 Praecinctus aliqui, adsimulato quasi gubernator sies. 45
 Atque apud hunc senem omnia haec sunt: nam is piscatores habet.

PLEUSIDES.

Quid, ubi ero exornatus? quin tu dicis, quid facturus sim?

PALAESTRIO.

Huc venito, et matris verbis Philocomasium arcessito:

Quam extemplo. Cum primum, vix cum.

Eloco. Illico, statim.

Ornati nauclerico. Vestitu, quem induere solet navis dominus. Hic animadvertendum, nauclerum (*ναυκλήριον* a *ναυς*, navis; *κλήριος*, sors, quod navis in sorte eius posita sit) non esse confundendum cum navarcho, qui navis est praefectus (*il capitano della nave*).

Causiam. Dixerunt Latini pilei quoddam genus latos margines habentis ad arceudum solem.

Ferrugineam. Subulgri coloris. Nostrates: *tanè*, di color lionato oscuro.

Culcitam ob oculos laneam. Intellige paniculum laneum, in modum culcitae factum, quem oculis praetendere solebant, qui aliquo oculorum vitio laborarent, quippe idcirco *lanoculi* dicebantur. Itali: *un piccolo pezzuolo di panno trapuntato davanti agli occhi*. Nostris pro *culcita* vitra usurpant ocularia viridis aut caerulei coloris.

Thalassicus. Marius, a graeca voce *θάλασσα*, mare.

Item. Saepe usurpatur in rerum enumeratione, et idem valet ac *praeterea*.

Connexum in humero laevo. Annodato sull'omero sinistro.

Ecfibulato. Exfibulato, fibula soluto.

Praecinctus. Tunica alte cincta, ut il solent qui iter sunt facturi, quo sicut ad ambulandum expeditiores.

Aliqui. Casus ablativus pro aliquo. Hic usurpatur in modum adverbii: in aliquo loco, in aliqua corporis parte. V. Aulul. Prol. 24.

Gubernator. Rector navis.

Hunc senem. Periplectomenem.

Omnia haec. Subaudi: ornamenta thalassiae. Notanda omnino in hoc loco *ναυκλήριον*, qua Palaestrio singula ad ornatum nauclerium spectantia feliciter expressit.

Quin tu dicis? Car non dicis?

Matris verbis. Iussu matris. Nos: *a nome della madre*.

Ut, si itura siet Athenas, eat tecum ad portum cito,
Atque ad iubeat ferri in navim, si quid inponi velit.
Nisi eat, te soluturum esse navim; ventum operam dare.

PLEUSIDES.

Satis placet pictura: perge.

PALÆSTRIO.

Ille extemplo illam hortabitur,

Ut eat, properet, ne morae sit matri:

PLEUSIDES.

Multimodis sapis.

PALÆSTRIO.

Ego illi dicam, ut me adiutorem, qui onus feram ad portum, roget.
Ille iubebit me ire cum illa ad portum. Ego adeo, ut tu scias,
Prorsum Athenas protinam abibo tecum.

PLEUSIDES.

Atque illo ubi veneris,

Si itura siet Athenas. Ital.: quando la voglia partire per Atene.

Ad iubeat ferri. Tmesis. Iubeat adferri.

Te soluturum esse navim. Supp. a portu. Che tu stai per saltare.

Ventum operam dare. Ventus secundos esse, navigationi favero.

Pictura. Subaudi: machinae, qua militem aggrodiemur.

Ne morae sit matri. Ne morandi causam matri afferat.

Multimodis sapis. Multum sapis.

Ego illi dicam, ut me adiutorem roget. Illam movebo, ut a milite me, tamquam adiutorem, petat, qui onus feram ad portum.

Ego adeo. Idem ferme quod *ego quidem*, *εγω γαρ*. Caeterum particula *adeo* proprie appingitur pronomīnibus personalibus, ubi oratio a persona ad personam transfertur; quasi dicas: *ego autem*. Sic Rud. III. 4. 95: Vos *adeo*, ubi ego inuero vobis. Virg. Ecl. IV. 11: Tequē *adeo* decus hoc aevi, te consue inibit. Id. Georg. I. 24: Tuque *adeo*, quem mox quae sint habitura deorum Coueilia incertum est.

Prorsum. Recta via. Sic Cist. IV. 2. 32: Neque *prorsum* iniiit hac. Pers. IV. 5. 5: Simulatō, quasi eas *prorsum* in navem.

Protinam abibo tecum. Particula *protinam*, idem ac *protinus*, a graeco verbo *πρωτος*, specto, contendo in aliquem locum, significat progressum et continuū motum, atque componitur cum verbis eundi, fugiendi, movendi. *Protinam abibo*: nulla interposita mora abibo. Haud aliter Bacchid. III. 1. 7: Quae ut aspeji, me continuo contuli *protinam* in pedes. Cas. V. 3. 16: Hac dabo *protinam* me in fugam. Cic. Divin. I. 24: Praecipisse ut pergeret *protinus*,

illo. Illuc.

Triduum servire nunquam te, quin liber sis, sinam.

PALAESTRIO.

Abi cito atque orna te.

PLEUSIDES,

Numquid aliud?

PALAESTRIO.

Haec, ut memineris.

PLEUSIDES.

Abeo.

PALAESTRIO.

Et vos abite hinc intro actutum: nam illum hinc sat scio iam exiturum esse intus.

ACROTELEUTIUM.

Celebre apud nos imperium tuom est. 60

PALAESTRIO.

Agite, abscedite ergo. Ecce autem commodo aperitur foris.
Hilarus exit: impetravit; inhiat, quod nusquam est, miser.

Triduum servire etc. Te confestim in libertatem vindicabo.

Et vos abite etc. Hisce verbis iubet, Acroteleutium eiusque ancillulam in Periplectomenis aedes statim ingredi.

Exiturum esse intus. Militem exiturum esse domo.

Celebre apud nos imperium tuom est. Imperium tuum celebramus, peragimus, exoquimur; iussa tua facessimus. A Latinis enim celebrari dicitur quod a multis factitatur. Sic Pseud. 1. 9. 35: Intro abite, atque haec *celebrate*.

Commodo. Opportune.

Impetravit. Impetravit a Philocomasio, ut Athenas cum matre proficiscatur.

Inhiat, quod nusquam est. Locutio a feris bestiis deprompta, praedam ore hiante petentibus. Miles vehementer expetit nuptias et concubitum matronae, quam non consequetur.

Miser. Pro adverbio *misere*, cnpide, efflictim.

ACTUS IV. - SCENA IV.

PYRGOPOLINICES, PALAESTRIO.

PYRGOPOLINICES.

Quod volui, ut volui, impetravi per amicitiam et gratiam a Philocomasio.

PALAESTRIO.

Quidnam tam intus fuisse te dicam diu?

PYRGOPOLINICES.

Nunquam ego me tam sensi amari, quam nunc ab ea muliere.

PALAESTRIO.

Quid iam?

PYRGOPOLINICES.

Ut multa verba fecit! lenta ut materies fuit!

Verum postremo impetravi, ut volui. Donavi ei, Quae voluit, quae postulavit; te quoque ei dono dedi.

PALAESTRIO.

Etiam me? quomodo ego vivam sine te?

PYRGOPOLINICES.

Age, es animo bono:

Pyrgopolinices domo egressus narrat, se summa cum difficultate a Philocomasio tandem impetrasse, ut abeat una cum matre et sorore, et concubinae usque adeo indulsisse, ut Palaestriionem quoque servum ei dono dederit.

Quod volui, ut volui. Impetravi quod volui, et illo modo quo volui; ut videlicet nulla querela et per gratiam abeat.

Quidnam intus etc? Cur tamdiu cum Philocomasio es commoratus?

Quid iam? Formula interrogantis cum admiratione. Galli: *Comment?*

Lenta ut materies fuit! Lentae dicuntur res, quae magna cum difficultate expediuntur. Quam tardo res processit! Nos: *Come su lunga la faccenda!*

Quomodo ego vivam sine te? Haec verba quantopere ad caveam exhilarandam sint comparata, facile intelligemus, si modo paullisper nobis animo fingamus Palaestriionem ore in moestitiam flexo, tremula voce loquentem, et fictas lacrimas fundentem, et manu simul, uti fit, oculos tergentem.

Age, es animo bono. Verba adhortantis. *Es, esto.*

Idem ego te liberabo. Nam, si possem ullo modo
Inpetrare, ut abiret nec te abduceret, operam dedi;
Verum oppressit.

PALAESTRIO.

Deos sperabo teque postremo. Tamen- 10
etsi istuc mihi acerbum est, quia hero te carendum est optumo,
Saltem id volupe est, quom ex virtute formai evenit tibi
Mea opera super hac vicina, quam ego nunc concilio tibi.

PYRGOPOLINICES.

Quid opust verbis? libertatem tibi ego et divitias dabo,
Si inpetras.

PALAESTRIO.

Reddam inpetratum.

PYRGOPOLINICES.

At gestio.

PALAESTRIO.

At modice decet 15

Si possem ullo modo... operam dedi. Tentavi, an possem ullo modo, etc.
Verum oppressit. Sed me precibus fatigando pervicit, et quod volebat
extorsit.

Deos sperabo teque postremo. Dictio elliptica. Deos et te mihi propitios
futuros spero. Cf. Cas. II. 5. 38; Cisl. II. 3. 5t. Nos: *Al postutto io spero
negli dei ed in te.*

Quia hero te carendum est optumo. Tametsi istud, nempe carere te,
optimo hero, acerbum est mihi. Itali: *Il dover perdere il miglior
dei padroni, quale tu sei.*

Quom ex virtute formai evenit tibi mea opera super hac vicina, etc.
Saltem mihi iucundum est, quod tibi ob pulcritudinem tuam, me adni-
tente, res ex sententia successerit de hac vicina.

Super hac vicina. De hac vicina. Cf. Aulul. IV. 3. 2.

Concilio. Amatorium est verbum. Nimirum ii conciliare dicuntur, qui
nuptias inter aliquos, vel lenocinando amores iungunt. *Quam nunc concilio
tibi.* Cuius amorem nunc tibi comparo. Sic Svet. Caes. I: Existima-
batur etiam filiam suam Tertiam Caesari conciliare. Cf. III. I. 204.

Quid opust verbis? Nos: *Che più?*

Si inpetras. Si facis, ut illam habeam, ut illius amore perfruar.

Reddam inpetratum. Faciam ut habeas.

At gestio. Particula *at* usurpator interdum in oratione, quae ex animo
vehementer commoto profisciscitur, pro interiectione *ah!* Nos: *Ah! non
posso capir nella pelle.*

At modice decet. Supp. lactari.

Moderare animo: ne sis cupidus. Sed, eccam ipsam, egreditur foras.

ACTUS IV. – SCENA V.

ACROTELEUTIUM, MILPHIDIPPA, PYRGOPOLINICES,
PALAESTRIO.

MILPHIDIPPA.

Hera, eccum praesto militem!

ACROTELEUTIUM.

Ubi est?

MILPHIDIPPA.

Ad laevam.

ACROTELEUTIUM.

Video.

MILPHIDIPPA.

Adspicito limis oculis, ne ille sese sentiat nos
Videre.

ACROTELEUTIUM.

Edepol nunc tempus, nos malas peiores fieri.

Docemur hac scena, quo demum progredi possit vaferrimae meretricis simulatio; praesertim quum stolidum hominem petat, omniaque sibi arrogantem. Hinc videlicet militis vecordia, illinc puellae astu exhilarantur spectatores, quibus iam licet animo praesagire quorsum tandem res sit evasura.

Praesto. Casus ablativus obsoletae vocis *praesitus* (per syncopen *praestus*) adverbii more usurpatus. Significatio ex ipso nomine apparet. Namque *praesto esse* idem valet ac *praesitum*, hoc est *ante positum esse, adesse, coram esse*. Comici vero, ut in hoc loco Plautus, aliique passim poetae, interdum verbum omittunt. *Hera, eccum praesto militem*. Nos: *Padrona, eccoli davanti il soldato*. Cf. Terent. Andr. II. 5. 4; Stat. Theb. VI. 643.

Limis oculis. Obliquis oculis. Limis oculis adspicere dicuntur homines, quum dissimulant, se videre quod vident, neque recta facie, sed transversa intuentur. Graeci: *ὀβλίσματα*; nos: *guardare sottocchi, guardare colla coda dell'occhio*. Qui quidem obliquus obtutus etiam lasciviae index esse consuevit, ideoque plane meretricius.

MILPHIDIPPA.

Tuom est principium.

ACROTELEUTIUM.

Obsecro, tute ipsum convenisti?

Ne parce voci, ut audiat.

MILPHIDIPPA.

Cum ipso ipsa pol secuta

Placide, dum lubitum est mi, otiose, meo arbitrato, ut volui.

PYRGOPOLINICES.

Audin', quae loquitur?

PALAESTRIO.

Audio. Quam laeta est, quia adit ad te!

ACROTELEUTIUM.

O fortunata mulier!

PYRGOPOLINICES.

Si! Ut amari videor!

PALAESTRIO.

Dignus.

ACROTELEUTIUM.

Permimum ecaster praedicas, te adisse atque exorasse:

Per epistolam aut per nuntium, quasi regem, adiri eum aiunt. 10

Tuom est principium. Ad te pertinet incipere.*Ne parce voci, etc.* Elata voce loquere, ut miles audiat. Haec submisso Acroteleutium ad ancillam.*Cum ipso ... secuta etc.* Cum ipso locuta sum tranquille. *Sequor* pro eo quod est *loquor*, passim apud veteres poetas.*Otiöse.* Nos: a mio bell'agio.*Audin' quae loquitur?* Submisso voce miles ad Palaestriionem.*O fortunata mulier!* Quod arbitrato tuo et otiose cum tanto viro sis collocuta.*Si! Secutus,* digitum ori admovendo.*Dignus.* Supp.: es qui ameris. Itali: *Lo meriti*.*Exorasse.* Ad ea quae velles precibus impulsisse.*Per nuntium, quasi regem, adiri eum aiunt.* Quippe reges neminem ad se recipiunt, nisi per epistolam aut nuntium praemoneantur. Hinc *magistri admissionum (i ciambertiani)*, quorum est advenientes ad principem salutandum admittere.

MILPHIDIPPA.

Namque edepol copia vix fuit adeundi atque inpetrandi.

PALAESTRIO.

Ut tu inclutus apud mulieres!

PYRGOPOLINICES.

Patiar, quando ita Venus volt.

ACROTELEUTIUM.

Veneri pol habeo gratiam, eandemque et oro et quaeso,
 Ut eius mihi sit copia, quem amo quemque expetesso,
 Benignusque erga me ut siet: quod cupiam, ne gravetur.

15

MILPHIDIPPA.

Spero ita futurum: quamquam illunc multae sibi expetessunt,
 Ille illas spernit segregatque ab se omnis extra te unam.

ACROTELEUTIUM.

Ergo iste metus me macerat, quod illic fastidiosust,

Namque edepol etc. Revera, profecto. Nos: *di fatto*. Saepe apud comicos, quum alter ex colloquentibus respondet affirmando, causam affirmationis notat per conjunctiones causales *nam*, *namque*. Hanc vero affirmationem augent additae particulae asseverantes *mehercule*, *herele*, *edepol*. Cf. Plaut. Capt. iv. 2. 115; Trinum. iii. 3. 3; Terent. Adolph. ii. 1. 36.

Inclutus. Clarus, nobilis.

Patiar. Aequo animo feram, me clarum esse apud mulieres atque ab iis amari, etiamsi miserum sit pulcrum esse hominem nimis.

Quando ita Venus volt. Quoniam sic Veneri placet, cui amantium fortuna accepta est referenda.

Veneri habeo gratiam. Nos: *Sono grata a Venere*.

Ut eius mihi sit copia. Ut illius amore perfrui possim.

Expetesso. Arch. *Expeto*.

Siet. Si Tullium audiamus (Orator, xlvi), *siet* plenum est verbum, sit imminutum, utroque vero uti licet. Illud tamen arbitror animadvertendum, voces illas *sien*, *sies*, *siet*, a Plauto et Terentio saepe usurpari tamquam personas modi optativi, pro eo quod est Graecis: *σιν*, *σισ*, *σισ*.

Ne gravetur. Supp. *concedere*, *facere*.

Segregat. Arcet.

Ergo iste metus me macerat, quod illic fastidiosust, etc. Eo ingenio latina lingua est donata, ut causalis particula *ergo* saepe in colloquiis praecedat, et, paucis interiectis, subsequatur causa, ex qua aliquid est futurum. Quare verba in hunc ordinem sunt digerenda: Ergo quia ille fastidiosus est, isto metus me macerat, ne etc. Nos: *E perciò appunto che egli è di difficile contentatura, io temo forte ecc.*

Oculi eius ne sententiam mutent, ubi viderit me,
Atque eius elegautia meam extemplo speciem spernat.

20

MILPHIDIPPA.

Non faciet: habe animum bonum!

PYRGOPOLINICES.

Ut ipsa se' contemnit!

ACROTELEUTIUM.

Metuo, ne praedicatio tua nunc meam formam exsuperet.

MILPHIDIPPA.

Istuc curavi, ut opinione illius pulcrior sis.

ACROTELEUTIUM.

Si pol me nolet ducered uxorem, genua amplectar,
Atque obsecrabo aliquo modo. Si non quibo inpetrare,
Consciscam letum. Vivere sine illo scio me non posse.

25

PYRGOPOLINICES.

Prohibendam mortem mulieri video. Adibone?

PALAESTRIO.

Minume:

Nam tu te vilem feceris, si te ultro largiere.

Oculi eius ne sententiam mutent. Ne oculis eius displiceam.

Elegantia. Hic ponitur pro iudicio, quo quis pollet in discernendis quae optima sunt. Nos: *buon guŕto, intelligenza.* Hinc apud Terent. (Eun. III. 5. 18): Chaerea, Pamphilae amator, se *elegantem* formarum spectatorem appellat. Itali: *giovane di buon guŕto nel giudicare della beltà, profondo conoscitore della bellezza.* Haud aliter Cic. Verr. VI. 44: Vide, ne ille non solum temperantia, sed etiam intelligentia, te atque istos, qui se *elegantes* dici volunt, vicerit. Ital.: *che vogliono essere chiamati intelligenti, di buon guŕto.*

Ut ipsa se contemnit! Haec miles ad Palaestriionem. Audin', ut ipsa prae me se parvi facit?

Metuo, ne praedicatio tua etc. Nos: *Temo, che la mia beltà non regga a gran pezza al confronto delle lodi che tu mi desti.*

Si non quibo inpetrare. Subaudi: ut me uxorem ducat.

Consciscam letum. Vide sis meretriciam simulationem.

Prohibendam mortem mulieri video. Video, mulierem a morte esse prohibendam.

Adibone? Consilium petit miles a Palaestriione.

Si te ultro largiere. Si illam, non rogatus, adeas. Nos: *se correrai il primo a gettarte nelle braccia.*

Sine ultro veniat, quaeritet, desideret, expetessat.
 Si ne istam perdere gloriam vis, quam habes, cave, sis, faxis.
 Nam nulli mortali scio obtigisse hoc, nisi duobus,
 Tibi et Phaoni Lesbio, tam vivide ut amarentur.

ACROTELEUTIUM.

Eho, intro abidum illunc evocatum foras, mea Milphidippa!

MILPHIDIPPA.

Imo opperiamur, dum exeat aliquis.

ACROTELEUTIUM.

Durare nequeo,

Quin eam intro.

MILPHIDIPPA.

Occlusae sunt fores.

ACROTELEUTIUM.

Ecfringam.

MILPHIDIPPA.

Sana non es.

ACROTELEUTIUM.

Si amavit unquam aut si parem hic sapientiam habet ac formam, 35

Sine ultro veniat. Sine ut illa prior ad te veniat.

Si ne istam perdere gloriam vis. Tmesis. Nisi vis.

Phaoni Lesbio. Phaonem, juvenem Lesbium, tam perditè amavit Sappho poëtria, ut eius absentis, atque in Siciliam navigantis amore amens praecipitem sese ex Leucate, Epiri promontorio, in mare deiecerit. De hisce amoribus fusius Ovidius in Heroid. xv.

Eho. In colloquiis praeponitur imperativo, quom servi, aliive de plebe homines advocantur ad rem aliquam statim perficiendam. Cf. Plaut. Capt. iii. 4. 90; Epid. iv. 4. 40; Menaech. ii. 3. 78; Most. iii. 2. 157; Terent. Adolph. V. 9. 13; Andr. iv. 1. 49; Hec. iv. 4. 97; Phorm. V. 9. 12.

Illunc evocatum foras. Simulat Acroteleutium, se nondum vidisse militem, iamdiu pro aedibus auscultantem una cum Palaestrione.

Durare nequeo, quin etc. Nequeo me continere, quin illius domum ingrediar.

Ecfringam. Vide, lector, quam ingeniose, quamque ad veritatem accommodate amoris vehementiam effingat Noster, quom Acroteleutium hoc modo loquentem inducit. Illa enim est comparatum, ut qui perditè amant, neque in sermone, neque in agendo quidquam pensi habeant, dum id quod expetunt, adsequantur.

Si parem hic sapientiam habet ac formam. Sapientia hic ponitur a Plauto pro temperatione quadam lenitalis ac prudentiae. Sic Cic. pro

Per amorem si quid fecero, clementi ignoscet animo.

PALAESTRIO.

Ut, quaeso, amore perdita est haec misera!

PYRGOPOLINICES.

Mutuom fit.

PALAESTRIO.

Tace, ne audiat.

MILPHIDIPPA.

Quid abstitiſti obſtupida? cur non pultas?

ACROTELEUTIUM.

Quia non est intus, quem ego volo.

PALAESTRIO.

Qui scis?

ACROTELEUTIUM.

Scio edepol facile.

Nam odore nasum sentiat, si intus sit.

PYRGOPOLINICES.

Hariolatur.

Quia me amat, propterea Venus fecit eam, ut divinaret.

40

Marc. vi: Videntur mihi dii immortales omnem spem salutis ad clementiam victoris et sapientiam contulisse. Nos: *Se costui è umano quanto è bello. Hic. Pyrgopolinices.*

Per amorem. Amoris causa.

Ignoscet. Illic iuvabit Acroteleutium tibi ob oculos ponere, magnis passibus et cum impetu ad militis fores provolantem, quasi pultaturam, et subito, perinde ac si aliud mens suadcat, in medio cursu resistantem. Quo facto Noster graphice naturam imitatur, Siquidem mutabile, varium et multivolum amantis mulieris ingenium esse consuevit:

..... Divuol ciò che volle,

E per nuovi pensier cangia proposta.

Mutuom fit. Et ego illam depereo.

Quid abstitiſti obſtupida? Nos: Perché te ne stai lì immobile e stupida?

Qui scis? Quomodo scis?

Nam odore nasum sentiat, etc. locus risum captans ex responso inexpectato.

Sentiat. Pro sentiret.

Hariolatur. Valicinalur.

Fecit eam, ut divinaret. Nota Plautinam syntaxin. Fecit ut illa divinaret.

ACROTELEUTIUM.

Nescio, ubi hic prope adest, quem expeto videre: olet profecto.

PYRGOPOLINICES.

Naso pol iam haec quidem videt plus, quam oculis.

PALAESTRIO.

Caeca amore est.

ACROTELEUTIUM.

Tene me, obsecro.

MILPHIDIPPA.

Cur?

ACROTELEUTIUM.

Ne cadam.

MILPHIDIPPA.

Quid ita?

ACROTELEUTIUM.

Quia stare nequeo:

Ita animus per oculos meus deficit.

MILPHIDIPPA.

Pol militem tu

45

Adspexisti.

ACROTELEUTIUM.

Ita.

MILPHIDIPPA.

Non video, ubi est?

ACROTELEUTIUM.

Videres pol, si amares.

Nescio *olet profecto*. Itali: *Ben ne sento l'odore*. Haec verba puellam nobis exhibent sagacissime odorantem et vestigantem, si possit aspiciam militem videre.

Tene me. Sustine me.

Stare nequeo: ita animus per oculos meus deficit. Nimirum perbelle simulat Acroteleutium, se tum primum Pyrgopolinices vidisse, atque idcirco animo linqui. Animus meus deficit, quod, viso milite, eius amor per oculos permeavit. *Deficit*, verbum defectivum a particula primitiva *de* et *fo*.

Ita. Supp. est. Nos: Sⁱ. Cf. Terent. Andr. V. 2. 8; Eun. iv. 4. 54; Horat. Sat. II. 7. 2; Cic. de Orat. II. 10.

MILPHIDIPPA.

Non edepol tu illum magis amas, quam egomet, si te per liceat.

PALAESTRIO.

Omnes profecto mulieres te amant, ut quaeque adspexit.

PYRGOPOLINICES.

Nescio, tun' me ex hoc audieris, ad non: nepos sum Veneris.

ACROTELEUTIUM.

Mea Milphidippa, adi, obsecro, et congregere!

PYRGOPOLINICES.

Ut me veretur! 50

PALAESTRIO.

Illa ad nos pergit.

MILPHIDIPPA.

Vos volo.

PYRGOPOLINICES.

Et nos ted.

MILPHIDIPPA.

Uti iussisti,

Heram meam eduxi foras.

PYRGOPOLINICES.

Video.

MILPHIDIPPA:

Iube ergo adire.

PYRGOPOLINICES.

Induxid animum, ne oderim, item ut alias, quando orasti.

Si te per liceat. Si tu id patereris.*Me ex.* 'Αναστροφῆ. Ex me.*Nepos sum Veneris.* Quum pulcritudinem et felicitatem mortalibus largiatur Venus, a Latinis *venusti* appellantur pulcri et fortunati homines, *invenusti* vero deformes et infelices. Itaque haud absurde et festive miles, omnium quotquot ubique sunt formosissimus et beatissimus, se Veneris nepotem profitetur.*Congregere.* Colloquere.*Vos volo.* Supp. *alloqui.**Iube ergo adire.* Iube illam ad te venire.*Induxid animum, ne oderim.* Nota fastidientis hominis verba, inflatis buccis prolata. *Animum inducere* ad aliquid, dicitur qui invitus quidpiam facit. — *Alias.* Subaudi *mulieres.* — *Quando.* Quoniam.

MILPHIDIPPA.

Verbum hercle facere non potis, si accesserit prope ad te:
Dum te obtuetur, interim linguam oculi praeciderunt.

55

PYRGOPOLINICES.

Levandum morbum mulieri video.

MILPHIDIPPA.

Ut tremit atque extimuit,

Postquam ted adspexit!

PYRGOPOLINICES.

Virique armati item istuc faciunt:

Ne tu mirere mulierem plus. Sed quid volt med agere?

MILPHIDIPPA.

Ad sed eas: tecum vivere volt atque aetatem exigere.

PYRGOPOLINICES.

Egon' ad eam, quae nupta sit? Vir eius est metuendus.

60

MILPHIDIPPA.

Quin tua causa exegit virum a se.

PYRGOPOLINICES.

Quid? qui id facere potuit?

MILPHIDIPPA.

Quia aedes dotales huius.

Non potis. Supp. erit.

Linguam oculi praeciderunt. Oculi mulieris qui te conspexere, linguae usum ei abstulerunt. Fit enim natura, ut qui subito rem videat, vehementer expetitam, ei verba non suppetant, quibus animi affectum prodat.

Levandum morbum mulieri video. Haec miles gravi supercilio. *Morbus*, Graecis $\mu\alpha\sigma\tau\epsilon\upsilon$, translate est animi perturbatio. Nos: *Converrà alleviare il turbamento di questa donna.*

Virique armati item etc. Etiam viri armati. En militem gloriosum!

Mulierem plus. Mulierem tremere plusquam armatos viros.

Vir eius est metuendus. Haud temere Plautus Pyrgopolinice facit de marito suspicantem. Probabile enim fit, libidinosum hominem, alienas uxores de stupro appellare solitum, iam alias impudicitiae suae poenas dedisse.

Quin tua causa etc. Non est cur metuas. Namque tua causa maritum a se exegit.

Quia aedes dotales etc. Huic argumento nemo alius praeter bardum hunc militem acquiescisset. Omnia enim quae ad dotem pertinebant, erant in mariti potestate ac ditione.

PYRGOPOLINICES.

Itan'?

MILPHIDIPPA.

Ita pol.

PYRGOPOLINICES.

Iube eam domum ire:

Iam ego illic ero.

MILPHIDIPPA.

Vide, ne sies illi expectationi,

Ne illam animi exrucies.

PYRGOPOLINICES.

Non ero profecto. Abite.

MILPHIDIPPA.

Abimus.

PYRGOPOLINICES.

Sed quid ego video?

PALAESTRIO.

Quid vides?

PYRGOPOLINICES.

Nescio quis, eecum, incedit, 65

Ornatu quidem thalassico.

PALAESTRIO.

Iam nos volt hic profecto:

Naclerust hic quidem.

PYRGOPOLINICES.

Videlicet accessit amicam hinc.

PALAESTRIO.

Credo.

Itan'? Supp. res se habet.

Vide, ne sies illi expectationi. Ital.: *Non farti aspettare da colet.*

Non ero profecto. Subaudi *expectationi.*

Ornatu thalassico. Nos: *In abito marinaresco.*

Iam nos volt. Supple colloqui.

Videlicet accessit amicam hinc. Accessit *Profecto accessit Philocomasium.*

ACTUS IV. - SCENA VI.

PLEUSIDES, PALAESTRIO, PYRGOPOLINICES.

PLEUSIDES.

Alium alio pacto propter amorem ni sciam
 Fecisse multa nequiter, verear magis
 Me amoris causa cum hoc ornatu incedere:
 Verum quom multos multa admisse acceperim
 Inhonesta propter amorem atque aliena a bonis: 5
 Mitto iam, ut occidi Achilles civis passus est. . . .
 Sed. eccum Palaestriorem, stat cum milite:
 Oratio alio mihi demutanda est mea. -
 Mulier profecto nata est ex ipsa mora:
 Nam quaevis alia, quae mora est aequae, mora 10
 Minor ea videtur, quam quae propter mulierem est.
 Hoc adeo fieri credo consuetudine.

Alium alio pacto etc. Pleusides ornatu thalassico adveniens ut Philocomasium a milite abducat, haec secum: Nisi scirem, alios iam aliis modis propter amorem multa improbe fecisse, maior sane nunc mihi pudor esset, amoris causa uacuari personam gerere.

Verear magis me incedere. Nota Plautinam syntaxin pro vulgari *verear magis incedere*.

Admisse. Sync. Admisisse.

Mitto iam, ut occidi Achilles etc. Pertinent haec Pleusidis verba ad librum Iliados primum, ubi uarrat Homerus, quemadmodum Achilles ob ereptam sibi ab Agamemnone Briseidem, iratus, diu a proellis abstinuerit, et passus sit, Graecos impune a Troiauis occidi. Dum haec secum ipse loquitur, seque magnis exemplis tuetur adolescens, viso Palaestrioue, orationem subito abruptit.

Oratio alio demutanda. Ad alia couertendus est sermo.

Mulier profecto etc. Queritur Pleusides, quod Philocomasium unâ cum matre Atheas navigatura tandem moretur; ideoque mulieres ex mora natas ait, quippe quae maiorem semper quam viri moram et tarditatem rebus gerendis afferant. Hinc Terentiauum illud (Heaut. Pl. 3 10): Nosti mores mulierum. Dum moliantur, dum comuatur, annus est.

Hoc adeo fieri credo consuetudine. Apud comicos narrationi inservit particula *adeo*, praesertim ubi coniungatur cum pronomine demonstrativo. Hoc scilicet ex consuetudine fieri credo. *Consuetudine.* Propterea quod homines consueuerint aequo animo pati moram a mulieribus illatam.

Nam ego hanc arcesso Philocomasium. Sed fores
Pultabo. Heus, ecquis hic est?

PALAESTRIO.

Adulescens, quid est?

Quid tu ais? quid pultas?

PLEUSIDES.

Philocomasium quaerito:

15

A matre illius venio. Si itura est, eat.
Omnis moratur: navim cupimus solvere.

PYRGOPOLINICES.

Iamdudum res parata est. Heus, Palaestrio,
Aurum, ornamenta, vestem, pretiosa omnia,
Duc adiutores tecum ad navim qui ferant.
Omnia composita sunt, quae donavi, ut ferat.

20

PALAESTRIO.

Eo.

PLEUSIDES.

Quaeso hercle, propera!

PYRGOPOLINICES.

Non morabitur

Quid istuc, quaeso? quid oculo factum est tuo?

PLEUSIDES.

Habeo equidem hercle oculum.

Nam ego hanc etc. In hoc loco nam est particula confirmativa, pro eo quod est scilicet, nimirum. Graeci usurpant ἄλλα γάρ.

Heus, ecquis hic est? Per heus aliquem vocamus ut nos audiat, vel e longinquo ad nos accedat, vel ad nos se convertat. Nos: *Ehi, chi è là?* Cf. Aulul. II. 3. 2; Merc. V. 2. 69; Mil. III. 1. 16; Rud. III. 4. 57, V. 3. 1.

Philocomasium quaerito. Verbum frequentativum vim addit. Nos: *È lungo tempo che vo cercando di Filocomasio.*

A matre illius venio. Nos: *Vengo a nome di sua madre.*

Si itura est, eat. Locutio festinantis, quae in linguam etiam nostram pervasit. Itali: *Se la vuol venire, venga.*

Vestem. Eleganter pro numero multitudinis.

Pretiosa omnia, ut ferat. Supp. fac.

Composita. Parata.

Quid oculo factum est tuo? Quid factum est de oculo tuo? Quomodo oculum tuum perdidisti? Calcita enim lanca tectus non videbatur oculus. Vide IV. 4. 42. Nos: *Che hai tu fatto dell'occhio?*

PYRGOPOLINICES.

At laevum dicod.

PLEUSIDES.

Eloquar.

Maris causa hercle istoc ego oculo utor minus:
 Nam si a mare abstinuissem, tamquam hoc uterer.
 Sed nimis morantur me diu.

25

PYRGOPOLINICES.

Eccos, exeunt.

ACTUS IV. - SCENA VII.

PALAESTRIO, PHILOCOMASIIUM, PLEUSIDES, PYRGOPOLINICES.

PALAESTRIO.

Quid modi flendo, quaeso, hodie facies?

At laevum dicod. Supp. *oculum*. Ponitur particula *at* quum propositae iam sententiae contrariam subiicimus. Quum videlicet Pyrgopolinices petiisset a Pleuside, quid factum esset de oculo, hic autem respondisset, se oculum habere, statim reponit miles: Non hunc dexterum oculum dico, quem video, sed laevum, quem lanca culcita tegis. Nos: *Ma io ti parlo dell'occhio sinistro*.

Maris causa . . . oculo utor minus. Maris causa morbo laborat oculus laevus.

Nam si a mare abstinuissem. Salse omnino et acute loquitur hic Pleusides ambiguitate vocabuli. Quum enim videatur pronuntiare separatim et divise: si abstinuissem a *mare*, coniunctim dicit si abstinuissem *amare*. Et re quidem vera amor germana erat causa, ob quam videbatur laevo oculo minus uti. *Mare pro mari* passim apud veteres.

Tamquam hoc uterer. *Ascertos*. Manum videlicet admovendo ad oculum dexterum.

Haec scena tota est ad simulationem composita, in qua spectatores mirifice capiuntur fictis Philocomasii abeuntis lacrimis, et subita illa animae defectione, qua mulieres hodieque viris fucum facere consueverunt, seque ab omni difficultate expedire.

Quid modi flendo etc.? Quem modum lacrimis pones? Quandonam lacrimis temperabis?

PHILOCOMASIVM.

Quid ego ni fleam?

Ubi pulcerrime egi aetatem, inde habeo.

PALAESTRIO.

Viden' hominem tibi,

Qui a matre et sorore venit?

PHILOCOMASIVM.

Video.

PYRGOPOLINICES.

Audin', Palaestrio?

PALAESTRIO.

Quid vis?

PYRGOPOLINICES.

Quin tu intus iube ecerri omnia, isti quae dedi.

PLEUSIDES.

Philocomasium, salve.

PHILOCOMASIVM.

Et tu salve.

PLEUSIDES.

Materque et soror

5

Dicere iusserunt salutem me tibi.

PHILOCOMASIVM.

Salvae sient.

PLEUSIDES.

Orant te, ut eas, ventus operam dum dat, ut velum explicent.

Nam matri oculi si valerent, mecum venisset simul.

*Quid ego ni fleam? Cur non flebo?**Viden' hominem tibi, qui a matre et sorore venit? Videsne hominem, qui venit ad te missus a matre et sorore?**Audin' Palaestrio? Nos: Ehi, Palestrione!**Quin? Cur non?**Salve. Hac voce advenientes salutamus; vale dicimus abeuntibus. Nos: buon giorno.**Salvae sient. Formula bene precantis. Dio le guardi.**Ventus operam dum dat. Dum ventus favens spirat.*

PHILOCOMASIVM.

Ibo, quamquam invita facio. — Impietas scit. Haha!

PLEUSIDES.

Nunc sapis.

PYRGOPOLINICES.

Si non mecum aetatem egisset, hodie stulta viveret.

10

PHILOCOMASIVM.

Istuc crucior, a viro me tali abalienarier:

Nam tu quamvis potis es facere uti fluat facetiis:

Et quia tecum eram, propterea ab animo eram ferocior;

Eam nobilitatem amittundam video.

PYRGOPOLINICES.

Nimum haec fiet.

PHILOCOMASIVM.

Nequeo,

Te quom video.

Impietas scit. Philocomasium *Impietatem*, tanquam deam, testem advocat, cuius voluntate haec omnia aguntur.

Haha! Interiectio renuentis et quidpiam a se removentis. Cf. Bacch. l. 1. 54; Rud. l. 4. 6.

Sapis. Sapienter agis.

Hodie stulta viveret. Quom Pleusides Philocomasium laudaverit, quod sapienter sese gerat, miles, more suo, hoc etiam sibi arrogat, et puellam sapientiae suae alumnam vocat. *Viveret.* Esset.

Viro tali. Viro tam praestanti.

Abalienarier. Παρρησιάζω. Separari, disiungi.

Nam tu quamvis etc. Tu enim disciplina et praeceptis tuis potes facere, ut quaelibet muller festivitate atque urbanitate in exemplum eluceat.

Fluat facetiis. Abundet facetiis, lepore, elegantia. Dictio translata a rebus, quae ob abundantiam fluunt, cuiusmodi sunt oleum, vinum, mel, etc. Eadem metaphora utuntur et Graeci. Sic Homerus (Il. l. 249) de Nestoris elegantia: Τὸ . . . ἰσὸν γλαύκῃς μάλιστα γλυκίων βίην αἰδέῃ.

Ab animo eram ferocior. Ad animum quod attinet, eram fortior, cor-datior. *Ferax* ab optimae notae scriptoribus in bonam significationem detorquetur.

Eam nobilitatem amittundam video. Video egregias illas virtutes, quas ex disciplina tua expressi, a me esse amittendas.

Nequeo, te quom video. Subaudi: nequeo quin fleam, quom te pot-stremum video.

PALAESTRIO.

Habe bonum animum.

PHILOCOMASIAM.

Scio ego, ecquid doleat mihi! 15

PALAESTRIO.

Nam nil miror, si lubenter, Philocomasiam, hic eras:

Forma hic huius, mores, virtus, animum attinuerunt tuom.

Quin ego servos, quando adspicio hunc, lacrumo, quia deungimur.

PHILOCOMASIAM.

Obsecro, licet complecti, priusquam proficisco?

PYRGOPOLINICES.

Licet.

PHILOCOMASIAM.

O mei oculi! o mi animed!

PALAESTRIO.

Obsecro, tene mulierem, 20

Ne adffigatur.

PYRGOPOLINICES.

Qui istuc?

PALAESTRIO.

Quia, postquam abs te abit, animo male

Factum est huic repente miserae.

Nam nil miror. Profecto non miror.*Attinuerunt.* Tenuerunt, devinxerunt.*Quin ego servos, etc.* Et ipse, licet servus tantammodo hic essem.*Deungimur.* Disiungimur.*Licet complecti?* Licetne te complecti?*Proficisco.* Arch. Proficiscor.*O mei oculi! o mi animed!* Amicae blandientis verba. Nos: *O anima mia! cuor del corpo mio!**Tene mulierem.* Itali: *Sostienta.* Philocomasiam dum Pyrgopolinicem complectitur, simulat, se prae dolore animo linqui. Quare Palaestrio militem monet, ut eam teneat, ne viribus defecta in terram procidat.*Ne adffigatur.* Ne dolore allidatur, ne prosternatur. Nos: *Perchè la non istramazzi in terra.**Qui istuc?* Unde nam hoc proficiscitur? *Perchè questo?**Postquam abs te abiit.* Postquam abs te abire decrevit.*Animo male factum est etc.* Animo defecit. Itali: *svenne.* Cf. Plaut.

Truc. II. 4. 14; Ter. Adelph. IV. 5. 21.

PYRGOPOLINICES.

Adeurrite intro! ecferte aquam!

PALAESTRIO.

Nihil aquam moror.

PYRGOPOLINICES.

Cur?

PALAESTRIO.

Malo

PYRGOPOLINICES.

Malo?

PALAESTRIO.

Ne interveneris,

Quaeso, dum respiscit.

PYRGOPOLINICES.

Capita inter se nimis nexa hinc habent.

Non placet. — Labra ab labellis fer mihi, aut . . . Age, age, malum! 25

PLEUSIDES.

Tentabam, spiraret, an non.

Ecferte aquam! Solemne et in comoediis est, animo defectos aqua adspersa recreare.

Nihil aquam moror. Itali: *Non m' importa dell'acqua.*

Malo. Quum servus quidpiam vellet dicere, appropinquante milite, subito sermonem abrumpit; interrogatus autem quid malit, confestim, qua est ingenii celeritate, respondet, malle se, ne miles interveniat, neve accedat ad Philocomasium antequam vires receperit; illius enim conspectus puellam exanimavit. Haec quidem Palaestrio verbis; re autem vera mavult, militem non accedere, ne forte Philocomasii et Pleusidis amor patefiat.

Dum respiscit. Dum se a deliquio animi recipit.

Capita inter se nimis etc. Pleusides, arrepta occasione, per speciem ferendi opem Philocomasio, dum arcissimo complexu illam fovet, nequivit qui praesente milite oscularetur. Quare Pyrgopolinices: hi, ait, capita nimis inter se connexa habent, non placet.

Labra ab labellis fer mihi. Naclere, aufer, remove labra tua ab labellis Philocomasii. *Mihi* abundat. Cf. I, 5.

Aut *Accusationem.* Supple: malo te mactabo.

Age, age! Orationis vis augetur duplicatione. Nos: *Su, su!*

Malum. Interiectio indignantis.

Tentabam, spiraret, an non. Salsum Pleusidis responsum, quo inconsiderantiam suam tegere conatur. Nos: *Provava se tirava ancora il fiato.*

PYRGOPOLINICES.

Aurem admotam oportuit.

PLEUSIDES.

Sin magis vis, ambo mittam.

PYRGOPOLINICES.

Nolo; retineas.

PALAESTRIO.

Fleo miser.

PYRGOPOLINICES.

Exite, atque ecferte huc intus omnia, isti quae dedi!

PALAESTRIO.

Etiam nunc saluto te, *Lar* familiaris, priusquam eo.

Conservi conservaëque omnes, bene valet et vivite!

30

Bene, quaeso, inter vos dicatis et mihi absenti tamen.

PYRGOPOLINICES.

Age, Palaestrio, bono animo es!

PALAESTRIO.

Heu heu! nequeo, quin fleam.

Quom abs ted abeam.

PYRGOPOLINICES.

Aequo fer animo.

PALAESTRIO.

Scio ego, quid doleat mihi.

PHILOCOMASIIUM.

Sed quid hoc? quae res? quid video? Lux, salve!

Aurem admotam oportuit. Hoc tentare volenti, tibi opus erat aurem potiusquam labra admovere.

Sin magis vis, ambo mittam. Si tibi videtur, ambos, hoc est Philocomasium et Palaestriionem, ego dimittam, tibi relinquam. Itali: *Ove tu lo desideri, te li lascierò tutti e due.*

Intus. Ex nodibus.

Etiamnunc saluto te. Is dicitur etiamnunc aliquid facere, qui facit antequam alia res accidat, aut vires deficiant. Nos: *Ora ti saluto ecc.*

Lar familiaris. De lare familiari vide adnot. ad Aulul. Prolog. 2.

Bene dicatis. Bene precaminor.

Aequo fer animo. Nos: *Abbi pazienza.*

Sed quid hoc? etc. Vide quam callide Plautus naturam imitetur. Hoc nimirum fieri videmus, ut qui vehementi aliquo dolore, aut repentino

PLEUSIDES.

Iam resipisti?

PHILOCOMASIIUM.

Obsecro, quem amplexa sum hominem? Perii, sumne ego apud me? 35

PLEUSIDES.

Ne time, voluptas mea!

PYRGOPOLINICES.

Quid istuc est negotiū?

PALAESTRIO.

Animus banc modo hic reliquerat,

Metuoque et timeo, ne hoc tandem propalam fiat nimis.

PYRGOPOLINICES.

Quid id est?

PALAESTRIO.

Nos secundum ferri nunc per urbem haec omnia,

Ne quis hoc tibi vitio vortat.

PYRGOPOLINICES.

Mea, non aliorum, dedi. 40

morbo correpti defecerunt, ubi primum resipiscunt, tamquam stupentes in haec interrogationes erumpant.

Lux, salve! Cuius usnam iam videbar amisisse.

Quem amplexa sum hominem? Nota mulieris vafritiem.

Sumne ego apud me? Itali: Sogno, o son desta?

Voluptas mea. Nos: mia gioia.

Quid istuc est negotiū? Miratus miles mellita haec verba, quibus nauclerus Philocomasium appellat, quaerit quid negotii hoc sit. Palaestrio, quasi militis interrogationem non sit assecutus, de industria aliud respondet, ut se a difficultate expediat, quemadmodum callidi homines in huiusmodi rerum admictis facere consueverunt; ait autem: nuper haec (Philocomasium) animo defecerat. Deinde ad spectatores conversus: metuo, ait, ne Pleusidis et Philocomasii amor, ob illorum inconsiderantiam, tandem palam fiat.

Quid id est? Miles, auditis verbis, quae submissa voce Palaestrio protulerat: quid, ait, id est quod metuis, ne palam fiat? Servus autem vaferrimus suspicacem heri animum alio devortens: metuo, inquit, ne quis hoc tibi criminis loco obiciat, haec omnia ferri per urbem, quae Philocomasio dedisti.

Nos secundum ferri etc. Ferri secundum nos, pone nos, post nos.

Mea, non aliorum, dedi. Equidem non metuo, ne quis hoc mihi vitio vortat. Quae enim dedi, mea sunt, non aliena. *Nos: Ho dato del mio, non dell'altrui. Poco io mi curo degli altri.*

Parvi ego alios facio. Agite, ite cum diis benevolentibus.

PALAESTRIO.

Tua ego hoc causa dico.

PYRGOPOLINICES.

Credo.

PALAESTRIO.

Iam vale.

PYRGOPOLINICES.

Et tu bene vale.

PALAESTRIO.

Ite cito. Iam ego adsequar vos: cum hero paucula eloquar.

Quamquam alios fideiiores semper habuisti tibi,

Quam me, tam tibi habeo magnas gratias rerum omnium;

Et, si ita sententia siet, tibi servire mavelim

Multo, quam alii libertus esse.

PYRGOPOLINICES.

Habeto animum bonum!

PALAESTRIO.

Hei mihi, quom venit in mentem, ut mores mutandi sient;

Muliebres mores discendi, obliuiscendi stratiotici.

PYRGOPOLINICES.

Fac sis frugi.

Agite. Idem quod age, adverbii loco.

Ite cum diis benevolentibus. Boni omnis verba, quibus abeuntes prosequi solemus. Itali: andate che il cielo vi accompagni.

Tua ego hoc causa dico. Purgat se Palaestrio, quod haec protulerit, militi ingrata. Nos: Quello che dico, lo dico per tuo riguardo, per amor tuo.

Iam vale. Nunc vale.

Iam ego adsequar vos. Brevi adsequar vos.

Alios fideiiores habuisti. Alios servos me fideiiores esso existimasti.

Tam tibi habeo magnas gratias. Nos: nondimeno ti sono molto grato.

Si ita sententia siet. Si ea esset voluntas tua.

Hei mihi, quom etc. Excrucior, quom etc.

Mores... obliuiscendi stratiotici. Obliviscendi mores militares; graeca enim vox στρατιώτης militem sonat.

PALAESTRIO.

Iam non possum; amisi omnem lubricinam.

50

PYRGOPOLINICES.

I, sequere illos! ne morere!

PALAESTRIO.

Bene vale.

PYRGOPOLINICES.

Et tu bene vale.

PALAESTRIO.

Quaeso, ut memineris: si forte liber fieri occeperim,

Mittam nuntium ad te: ne me deseras.

PYRGOPOLINICES.

Non est meum.

PALAESTRIO.

Cogitato identidem, tibi quam fidelis fuverim.

Si id facies, tum demum scibus, tibi qui bonus sit, qui malus.

55

PYRGOPOLINICES.

Scio et perspexi saepe; verum quom antebac, tum hodie maxime.

PALAESTRIO.

Scis? Imo hodie verum factum faxo post dices magis.

PYRGOPOLINICES.

Vix reprimor, quin te manere iubeam.

PALAESTRIO.

Cave istuc feceris:

Iam non possum; amisi omnem lubricinam. Turpiculus sensus latet in hisce verbis, quibus Palaestrio caveam studet exhilarare. Quum videlicet miles illum esset hortatus, ut bene se gereret, ut decet seruum frugi, Palaestrio militis verba ad venereum sensum detorquens, respondet, se iam non posse, et omnem *lubricinam* amisisse. locus autem positus est in ambigua significatione vocis *libido*, quae in bonam pariter atque in malam partem usurpatur.

Ne me deseras. Ut necessaria ad vitam mihi suppedites.

Non est meum. Non est ingenii mei servos bene de me meritos deserere.

Scibus. ^{Aggatois.} Scies.

Scis? Imo hodie etc. Non solum in posterum scies, me fideliem esse; sed hoc ipso die faciam, ut posthac tibi semper dicendum sit, id verum esse.

Vix reprimor, etc. Vix me continco. Nos: *Appena mi posso trattene dall'obbligarti a rimanere con me.*

Dicent te mendacem nec verum esse, fide nulla esse te;

Dicant, servorum praeter me esse fidelem neminem.

60

Nam si honeste censeam te facere posse, suadeam;

Verum non potest: cave faxis.

PYRGOPOLINICES.

Abi; iam patiar, quidquid est.

PALAESTRIO.

Bene vale igitur.

PYRGOPOLINICES.

Ire meliust strenue.

PALAESTRIO.

Etiam nunc vale.

PYRGOPOLINICES.

Ante hoc factum hunc sum arbitratus semper servom pessimum;

Eum fidelem mi esse invenio. Quom egomet mecum cogito,

65

Stulte feci, qui hunc amisi. Ibo hinc intro nunc iam

Ad amores meos. At sensim hinc sonitum fecerunt fores.

Verum. Veridicum.

Si censeam... suadeam. Eleganter, pro eo quod est: si censerem... suaderem.

Abi; iam patiar, quidquid est. Abi; quocumque demum modo res se se habeat, iam patiar te abire.

Strenue. Propere.

Etiam nunc vale. Iterum vale.

Ibo hinc intro ad amores meos. Domum ingrediar Acroteleutii, amicae meae.

Nunc iam. Per particulam iam gravior accedit significatio vocabulo nunc.

Hinc sonitum fecerunt fores. Huiusce domus fores sonitum fecerunt.

ACTUS IV. - SCENA VIII.

PUER, PYRGOPOLINICES.

PUER.

Ne me moneatis: memini ego officium meum.
Ego iam conveniam illunc. Ubiubi est gentium,
Investigabo; operai non parcam meae.

PYRGOPOLINICES.

Me quaerit illic: ibo puero huic obviam.

PUER.

Ehem, te quaero. Salve, vir lepidissime,
Cumulate commoditate, praeter ceteros
Duo di quem curant!

PYRGOPOLINICES.

Qui duo?

PUER.

Mars et Venus.

Res ad exitum iam properat. Puer Periplectomenis, Acroteleutii nomine, Pyrgopolinice[m] invitat ut domum ingrediatur.

Ne me moneatis. Haec puer, domo Periplectomenis egrediens, ad eos qui intus eum monitis onerabant.

Memini officium meum. Quid agendum mihi sit probe scio.

Illunc. Pyrgopolinice[m].

Ubiubi. Ubiicumque.

Investigabo; operai non parcam. Omnem operam ponam in illo investigando. Haec puer alta voce, ut a milite exaudiatur.

Ehem. Laeta exclamatio illius, qui rem non expectatam deprehendit, aut rem inopinato supervenientem cum quadam admiratione excipit. Quare saepe usurpatur in laeta salutatione. Plaut. Asin. II. 4. 43: *Ehem*, optume: quam dudum tu advenisti? Cf. Rud. III. 5. 25. Terent. Adelph. V. 7. 3; Eun. I. 2. 6; Hoc. III. 2. 5.

Vir lepidissime. Vir fortunatissime.

Cumulate commoditate. Cui omnia commode obveniunt, atque ad voluntatem fluunt.

Quem curant. Cui favent, sunt propitii.

Mars et Venus. Quae videlicet duo numina fortitudinem tibi et pulcritudinem largiuntur.

PYRGOPOLINICES.

Facetum puerum!

PUER.

Intro ted ut eas obsecrat;
Te volt, te quaerit, teque expectans deperit.
Amanti fer opem! Quid stas? quin intro is?

PYRGOPOLINICES.

EO. -

10

PUER.

Ipsus sese illic iam inpediuit in plagas!
Paratae insidiae sunt; stat in statu senex,
Ut adoriatur moechum, qui forma est ferox,
Qui omnis amare sese, quaeque adspexerit,
Credat; eum oderunt qua viri, qua mulieres.
Nunc in tumultum ibo: intus clamorem audio.

15

Facetum puerum! Nos: Vedi, grazioso ragazzo!

Intro ted ut eas obsecrat. Mulieris nomen relicet, quemadmodum fieri consuevit, ubi colloquens personam probe novit, de qua sermo est.

Te volt, te quaerit, etc. Nota commodam sententiae gradationem.

Teque expectans deperit. Te expectando moritur.

Ipsus. Arch. Ipse.

Sese inpediuit in plagas! Incidit in retia! Itali: *L'amico diè nella ragna!* Haec puer ad spectatores.

Stat in statu senex. Periplectomenes in insidiis est. *Status*, Ital.: *positura, atteggiamento.* Metaphora a gladiatoribus petita, quum ad proelium se componentes in gradu stant (*quando si pongono in atteggiamento di combattere*). Nos: *il vecchio se ne sta in agguato; lo sta appostando.*

Qui forma est ferox. Forma sua superbiens.

Qui omnis amare sese, etc. Qui credit, se ab omnibus mulieribus amari, quaecumque eum adspiciant.

Qua... qua. Cf. adnot. ad iv. 3. 90.

In tumultum ibo. Nos: *Ora andrò a vedere la baruffa.*

Intus clamorem audio. Quae pueri verba spectatorum cupiditatem acunt intelligendi quid tandem de milite factum sit.

ACTUS V.

PERIPLECTOMENES, PYRGOPOLINICES,
CARIO, SCELEDRUS.

PERIPLECTOMENES.

Ducite istum! Si non sequitur, rapite sublimem foras!
Facite eum, inter terram ac coelum uti siet! discindite!

PYRGOPOLINICES.

Obsecro hercle, Periplectomene, te!

PERIPLECTOMENES.

Nequidquam hercle obsecras.

Vide, ut istic tibi sit acutus, Cario, culter probe.

Fabulae catastrophem continet actus hic quintus, omnium brevissimus. Pyrgopolinices a servis Periplectomenis comprehensus, tamquam adulter fustibus verberatur. Dumque male mulctatus aedibus exit, Sceledrum servum videt, a quo intelligit, Philocomasium una cum amasio suo, qui nauticlerum personam gerebat, e portu solvisse.

Rapite sublimem. Inter magnum strepitum audiuntur haec Periplectomenis verba, iubentis militem flagellis caedi atque ad necem rapi. Iluc faciunt quae habet Horat. Sat. I. 2. 35-45. Cf. Iuven. Sat. x. 312: Adulter Publicus... poenas metuet, quascumque mariti Exigere irati... Exigit autem Interdum ille dolor plus, quam lex ulla dolori Concessit. Necat hic ferro, secat ille cruentis Verberibus, quosdam moechos et mugilis intrat. *Rapite sublimem*, hoc est tanta violentia illum abripite, ut ne pedibus quidem terram contingat. Itali: *portatelo via di peso*.

Facite eum, inter terram. Haec verba clarius explicavit locutionem: *rapite sublimem*.

Discindite. Dilacerate virgis, flagris caedite.

Cario. Coquus Periplectomenis. Solebant coqui cultrum gerere tamquam insigne artis suae. Vide Aulul. III. 7. 3.

Vide, ut istic tibi etc. Vide Cario, ut culter hic tuus acutus sit probe, quo facilius videlicet per militis viscera adigatur. Nos: *Fa che codesto tuo coltello sia ben affilato*.

CARIO.

Quin iamdudum gestit, moechod hoc abdomen adimere:
Ut faciam quasi puero in collo pendeant crepundia.

PYRGOPOLINICES.

Perii!

CARIO.

Haud etiam; numero hoc dicis. — Iam nunc in hominem
involo?

PERIPLECTOMENES.

Imo etiam prius verberetur fustibus.

CARIO.

Multum quidem.

PERIPLECTOMENES.

Cur es ausus subagitare alienam uxorem, inprudens?

PYRGOPOLINICES.

Ita me di ament, ultro ventum est ad me.

PERIPLECTOMENES.

Mentitur: feri!

PYRGOPOLINICES.

Mane, dum narro.

Quin iamdudum gestit. Vide adnot. ad l. 8. Nos: *Ti so dirò, che è già da un pezzo, che si muore di voglia di ccc.*

Abdomen adimere. Metonymice. Testes et salacem caudam demetere. Vide Horatianum locum, quem supra memoravi.

Crepundia, a crepando dicta. Sunt reculae quaedam, puerorum collo pendentes, quarum strepitu ipsi delectantur, atque a lacrimis prohibentur. Galli: *joufoux*, nos dicimus *balocchi da fanciulli*. Translate vero hic ponuntur pro *pueris*. Sensus est: Ego faciam, ut pueri pendeant ex collo Pyrgopolinices, haud aliter ac pueris pendent in collo crepundia.

Haud etiam. Nondum. Supp. *peristi*.

Numero hoc dicis. Nimis cito, praemature hoc dicis.

Iam nunc in hominem involo? Visne, here, ut iam nunc in illum irruam, eique penem abscondam?

Immo etiam. Hac locutione corrigitur interdum colloquentis opinio; quasi Periplectomenes dixerit: *non ita, sed prius verberetur fustibus.*

Subagitare. Per lasciviam contractare, obsceno tactu tentare. Itali: *palpeggiare*.

Ita me di ament. Formula iurantis.

Ultro ventum est ad me. Ego rogatus, accessus fui.

Mane dum narro. *Aspetta che io racconti come stia la cosa.*

PERIPLECTOMENES.

Quid cessatis?

PYRGOPOLINICES.

Non licet mihi dicere?

PERIPLECTOMENES.

Dic.

PYRGOPOLINICES.

Oratus sum advenire ad te huc.

PERIPLECTOMENES.

Quare ausus? hem tibi!

PYRGOPOLINICES.

Oiei, satis sum verberatus! obsecro!

CARIO.

Quam mox seco?

PERIPLECTOMENES.

Vbi lubet, distennite hominem divorsum et dispennite.

PYRGOPOLINICES.

Obsecro hercle te, mea verba ut audias, priusquam secat!

15

PERIPLECTOMENES.

Loquere, nondum nihili factus.

PYRGOPOLINICES.

Vidua esse censui;

Itaque ancilla, conciliatrix quae erat, dicebat mihi.

Hem tibi. Locutio irati hominis, simulque verbera miuantis. Cf. Asiu. 11. 4. 25.

Oiei! Exclamatio lugentis. Cf. Ter. Haut. I. 1. 31; Phorm. iv. 3. 58.

Quam mox seco? Nos: *Quanto sto a ferire?* Cf. Ter. Eun. iv. 7. 18.

Distennite. Arch. Distendite.

Divorsum. Divaricatis cruribus.

Dispennite. Metaphora ducta a pennis, sive alis avium. Expansis illum brachiis sic alligato, ut reluctari ac se movere iam non possit. Nos: *legatelo colle braccia in croce, sicché non si possa più muovere.*

Nondum nihili factus. Nondum testes tibi sunt exsecti. Siquidem evirati homines nihili, seu nullius pretii dicuntur. *Uomini buoni da nulla.*

Itaque ancilla, conciliatrix etc. Et sic dicebat mihi ancilla, quae hosce amores conciliavit. Itali: *Così mi diceva la serva, che la fece da mezzana.*

PERIPLECTOMENES.

Iura, te non nocitum iturum esse homini de hac re nemini,
 Quod tu hodie hic verberatus aut quod verberabere,
 Si te salvom hinc mittemus, Venerium nepotulum.

20

PYRGOPOLINICES.

Iuro per Idalien et Martem, me nociturum nemini,
 Quod ego hic hodie vapulo; sed mihi id aeque factum arbitror;
 Et si intestatus non abeo hinc, bene agitur pro noxia.

PERIPLECTOMENES.

Quid, si id non faxis?

PYRGOPOLINICES.

Ut vivam semper intestabilis.

CARIO.

Verberetur etiam; postibi amittundum censeo.

25

PYRGOPOLINICES.

Di tibi benefaciant semper, quom advocatus mihi bene es!

Iura, te non nocitum iturum etc. Iura, te nemini esse nociturum propter verbera, quibus hodie es caesus, aut quibus caederis.

Hinc mittemus. Hinc dimitemus. Nos: *ti lascieremo partire di qui. Venerium nepotulum.* Festive admodum diminutum hoc nomen usurpat Plautus, militis irridendi causa, qui se Veneris nepotem praedicaverat. Nos: *bel nipotino di Venere.*

Idalien. Venerem, ab Idalio dictam Cypri oppido, Veneris sede. Ad exhilarandum theatrum, Pyrgopolinice inducit Noster, iurantem per Venerem et Martem, in quorum tutela ipsum esse nuper dixerat Periplectomenis puer. Vide IV. 8. 7. Quo facto poeta stolidam quoque militis arrogantiam magis ac magis ob oculos ponit, qui verberibus iam contusus, adhuc inrat per deos, pueritudoinis et fortitudinis praesides.

Aeque factum. Iuste factum.

Si intestatus non abeo hinc. Licenter, more suo, hic loquitur Plautus in vocibus *intestatus* et *intestabilis*, quae et illum significant cui adempti sunt testes, et illum qui, admissio aliquo scelero infamis, neque testis esse, nec testamentum facere potest.

Bene agitur pro noxia. Bene agitur mecum, habita ratione culpae meae. Nos: *mi crederò ben trattato da voi, avuto riguardo al fatto che ho commesso.*

Verberetur etiam. Ital.: *Si batte ancora un poco.*

Postibi. Arcbaismus comicis frequentatus pro *postea*.

Amittundum. Dimittendum.

Advocatus apud veteres Romanos dictus est qui alteri aderam in causa, praesertim vero praesentia sua iudicum favorem reo conciliabat. Hic trans-

CARIO.

Ergo des minam auri nobis.

PYRGOPOLINICES.

Quamobrem?

CARIO.

Salvis testibus,

Ut ted hodie hinc amittamus, Venerium nepotulum.

Aliter hinc a nobis, ne sis frustra . . .

PYRGOPOLINICES.

Dabitur.

CARIO.

Mage sapis.

De tunica et clamyde et machaera ne quid speres: non feres. 30

Verberone etiam, an im amittis?

PYRGOPOLINICES.

Mitis sum equidem fustibus.

Obsecro vos!

late pro eo quod est *benevolus*, amicus. *Quom advocatus mihi bene es*; quod mihi propitius es.

Minam. Fuit *mina* nummus apud Graecos, qui valebat centum drachmis; drachma vero denario romano respondebat.

Nobis. Supp. *servis*.

Salvis testibus. locus in ambiguo positus.

Aliter hinc a nobis. Subaudi *non abibis*.

Ne sis frustra. Ne fallaris, ne erres. Haec dictio comicis atque historicis perfamiliaris, unquam occurrit apud Ciceronem.

Mage sapis. Itali: *Fai gran senna*.

De tunica et clamyde etc. Dum Pyrgopolinices, a servis comprehensus, sublimis raperetur, atque in diversa distraheretur, in acri illa luctatione, uti fit, tunica, chlamyde et machaera fuerat spoliatus. Haec omnia negat Cario, se militi esse redditurum. *Tunica*, vestis interior et corpori adhaerens, cui Romani togam, Graeci chlamydem superinduchant. *Chlamys* vero, similis paludamento sed brevior, fuit vestis militaris, aperta, posteriora corporis tantummodo ambiens. Nec tunicam, nec chlamydem, nec machaeram recipies.

Ne quid speres. Nos: *non lo sperare*.

Te verberone etiam etc. lubesne, here, hunc praeterea verberari, antequam illum dimittis?

Mitis sum equidem fustibus. Festiva paronomasia ad caveae hilaritatem excitandam occurrit in vocibus *amittis*, *mitis*. Fustibus autem *mitis* urbane dicitur qui verberibus est contusus. Haud aliter Ter. Adelp. II 4. 12; Eun.

PERIPLECTOMENES.

Solvite istum.

PYRGOPOLINICES.

Gratias habeo tibi.

PERIPLECTOMENES.

Posthac si prehendero ego ted hic, arcebo testibus.

PYRGOPOLINICES.

Causam haud dico.

PERIPLECTOMENES.

Eamus intro, Cario.

PYRGOPOLINICES.

Servos meos

Eccos video. Philocomasium iam profecta est? dic mihi.

36

SCELEDRUS.

Iamdudum.

PYRGOPOLINICES.

Hei mihi!

SCELEDRUS.

Mage dicas, si scias, quod ego scio:

Namque illic, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat.

PYRGOPOLINICES.

Quis erat igitur?

SCELEDRUS.

Philocomasio amator.

PYRGOPOLINICES.

Qui tu scis?

V. 8. 4. Quasi qui fastibus est caesus, duritiam exuerit, et mollior factus sit. Eodem sensu in Auluġ. 111. 7. 8: Fastibus mollior dicitur Congrio servus.

Si prehendero ego ted hic. Itali: *se ti sorprendere quġ.*

Arcebo testibus. Coercebo testibus. Idem iocus in ambigua vocis significatione.

Causam haud dico. Non recuso, quin arcear testibus.

Servos meos eccos video. Miles domo Periplectomenis egressus occurrit Sceledro, quem interrogat de Philocomasio.

Hei mihi! Interiectio dolentis simul atque indignantis.

Mage dicas, etc. Multo magis diceret hei mihi, si scires, etc.

SCELEDRUS.

Scio:

Nam postquam exierunt porta, nil cessarunt eloco
Osculari atque amplexari inter se.

PYRGOPOLINICES.

Vae misero mihi!

40

Verba mihi data esse video. Scelus viri Palaestrio!
Is me in hanc inlexit fraudem.

SCELEDRUS.

Iure factum iudico.

Si sic aliis moechis fiat, minus hic moechorum siet;
Mage metuant, minus has res studeant.

PYRGOPOLINICES.

Eamus ad me.

CANTOR.

Plaudite.

Scelus viri Palaestrio! Scoleste Palaestrio!

Minus has res studeant. Minus ad alienas uxores animum adiungerent.
Laudabilis sententia, quae aptum fabulae exitum imponit, eumque optime
moratum facit.

Ad me. In domum meam.

Plaudite. Solemne verbum, quo, peracta fabula, dimittebantur spe-
ctatores.







TRINUMUS

Hor quidquid est temporis futilis et caduci, si non datur factis.... certe studiis
proferamus: et quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo
nos vixisse testemur.

PLAN. Ep. III. 7.



M. ATTHI PLAUTI

TRINUMUS

ad recentiores editiones exegit
animadversionibus auxit
et scholasticis praelectionibus accommodavit

THOMAS VALLAURIUS

DOCTOR DECURIALIS LATINAE ELOQUENTIAE TRADENDAE

IN REGIO ATHENAEO TAURINENSI

CURATOR STUDII HISTORIAE PATRIAE.

PROVINCENSIS



AUGUSTAE TAURINORUM

EX OFFICINA REGIA

AN. M. DCCC. LV.

E. PROB ROM S. I.

1911

THOMAS VALLAURIUS

IOSEPHO SILVESTRIO SUO

EQUITI IOSEPHIANO OB MERITA

SALUTEM.

Latino carmine (*), quod *Senis Etrusci* nomine evulgatum superioribus diebus ad me misisti, ita sum affectus, Silvestri mi, ut te inter acerrimos Antiquitatis vindices referre non dubitaverim. Idque in primis mirabar, qui tandem id fieret, ut artes tibi penitus essent perspectae, quibus arrogans illa nititur barbarorum factio, quae solidam doctrinam aversata, abhinc paucos annos omnia in Subalpinis ad libidinem miscet ac turbat, quae pertinent ad puerilem institutionem. Hoc unum, credo, te latuit, ex quo, veluti ex impuro fonte, maxima in rem subalpinam incommoda mox redundabunt. Hiulca videlicet ardelionum cohors ex composito opuscula quaedam conscribillat historica, geographica, grammatica, διδασκαλικὰ, in quibus nescias, utrum argumenta an scribendi rationem magis reprehendas. Adeo sunt pleraque temere, indocte et negligenter exarata!

(*) Ad Th. Vallaurium. . Sermo pedester Perusiae, an. M. DCCC. LIII.

Quum autem huiusmodi opellarum fabricatores, alienae utilitatis suaeque existimationis perinde securi, ad marsupium unice spectent, illos videas manibus pedibusque obnixè omnia facientes, ut libellos suos studiosis obrudant. Quo fit, ut ii, quos deceret veterum lectione mentem formare, atque acerrimum iudicium ex intima antiquitate penitus haurire, in recentiorum nugis parvulos igniculos a natura datos restinguant.

In hisce rerum adiunctis, officii duxi nostrorum animos adversus ingruentem barbariem munire, propositis ad imitandum praestantissimis romanae sapientiae monumentis. Quare edita iam magna Scriptorum Latinorum parte, Plautinas fabulas praecipua diligentia illustrandas esse existimavi, ex quibus alumni politioris nostrae disciplinae nativum latini sermonis candorem perciperent. *Aululariam* et *Militem gloriosum* subsequitur *Trinumus*, qui nomini tuo inscriptus voluntatem erga te meam testabitur. Vale.

Dabam Aug. Taurin. iiii id. ianuar. an. M. DCCC. LV.

DRAMATIS PERSONAE

~~~~~

LUXURIA, }  
INOPIA, } prologus.

MEGARONIDES, }  
CALICLES, } senes.

LYSITELES, adolescens.

PHILTO, senex.

LESBONICUS, adolescens.

STASIMUS, servus.

CHARMIDES, senex.

SYCOPHANTA.

## ARGUMENTUM.

**T**hesaurum abstrusum abiens peregre Charmides  
Remque omnem amico Callicli mandat suo.  
Istoc absente male rem perdit filius:  
Nam et aedis vendit. Has mercatur Callicles.  
Virgo indotata, soror istius poscitur.  
Minus quo cum invidia ei det dotem Callicles,  
Mandat, qui dicat, aurum ferre se a patre.  
Ut venit ad aedis, hunc deludit Charmides  
Senex, ut rediit, quous nubunt liberi.



Quare Plautinae huic comoediae nomen factum sit *Trinumus*, patet ex initio scenae secundae actus quarti, ubi sycophanta quidam inducitur, narrans se *tribus numis* operam suam locasse ad artes uigatorias, hoc est ad alios fallendos. Fuit autem *numus* Romanorum moneta, quae alio nomine sestertius dicitur, quaeque ualebat duobus assibus et dimidio. Ex graeca Philemonis comoedia, cui nomen fuit *Thesaurus*, expressit Plautus *Trinumum*, de cuius argumento quam breuissime expediam.

Charmides quidam, senex atheniensis, in Seleuciam mercatus causa abiturus, liberos suos remque omnem familiarem commendat Callicli, amico intimo, eumque simul admonet de thesauro, quem in aedibus suis, nullo conscio, defoderat. Lesbonicus, Charmidis filius, patre absente, ceteris absumentis, aedes etiam uenales inscripserat. Tunc uero Callicles, ne thesaurus in aliorum manus ueniret, aedes emit a Lesbónico. Quo facto, in civium inuidiam incidit, et graviter culpatur a Megaronide quodam familiarissimo suo, cui tamen rem omnem aperiendo, se facile purgat. Forte etiam accidit, ut filia absentis Charmidis in matrimonium peteretur a Lysitele, adolescente diuite in primis atque honesto loco nato. Quum autem dos puellae esset danda, utque uellet Callicles thesaurum indicare, simulat, quemdam uenisse ex Seleucia, a patre uirginis missum, qui mille afferat aureos Philippos. Hunc Charmides, ex improviso Athenas reuersus, ante aedes offendit, ignarus doli, qui strueretur a Callicle. Queritur aedes suas ab amico emtas fuisse; sed consilio tandem patefacto, immobilem Calliclis fidem cognoscit, et filiam nuptui dat Lysiteli exoptanti.

*Trinumus* Plautiuis fabulis est adnumerandus, quas tuto et sine ulla offensione liceat uel ipsis tironibus eooluere ad latinas litteras contententibus. Quin et sinceram amici fidelis imaginem, et plurimas ex hac comoedia sententias haurient, quibus ad uitam recte iustituendam commode utantur.



# PROLOGUS.



## LUXURIA, INOPIA.

### LUXURIA.

Sequere hac me, gnata, ut munus fungaris tuom.

### INOPIA.

Sequor; sed finem fore quem dicam nescio.

### LUXURIA.

Adest: hem, illaec sunt aedes. I intro nunc iam.

Quum Plautus eo praesertim spectaverit, ut proposita Lesbonici, perditum ac dissoluti adolescentis persona, doceret quo tandem evadat vita flagitiis inquinata, optimo sane consilio fabulam exorditur a *prologo*, in quo *Luxuria Inopiam* filiam bortatur, ut Lesbonici aedes ingressa, cum illo vitam traducat. Vide quae adnotavimus ad prologum *Aululariae*.

*Gnata*. Recte poeta Inopiam Luxuriae filiam et pedisequam facit. Quum enim *luxuria* dicatur a Latinis profusio sumtuum in deliciis et superfluis rebus comparandis, fit necessario ut inde signatur inopia. Haud aliter Claudianus in Rufinum l. 35: Et *Luxus* populator opum, cui semper adhaerens Infelix humili gressu comitatur *Egestas*.

*Ut munus fungaris tuom*. Inopiae officium est molestiam et cruciatum afferre.

*Sed finem fore etc.* Sed nescio quinam finis futurus sit te sequendi; inopia enim luxuriae assidua et fida semper est comes.

*Adest. Supp. finis.*

*Hem*. Habet significationem demonstrativam. Hac particula utimur latine, quum aliquid ostendimus cum quodam animi affectu, quasi dicamus: en, vide modo, illae sunt aedes. Nos: *guarda là, quella è appunto la casa*.

*Nunc iam*. Apposita particula iam gravior vis accedit vocabulo nunc. Cf. Asin. il. 4. 79: I nunc iam ad herum; Terent. Adelph. il. t. 21: I nunc iam; Liv. Hist. rom. vii. 39: Nunc iam nobis Patribus vobisque plebeiis promiscuus consulatus patet. — I intro nunc iam. Itali: *su via entra incontanente*.

Nunc, ne quis erret vestrum, paucis in viam  
 Deducam, si quidem operam dare promittitis. 5  
 Nunc igitur primum, quae ego sim et quae illaec siet,  
 Huc quae abiit intro, dicam, si animum advortitis.  
 Primum mihi Plautus nomen Luxuriae indidit;  
 Tum illanc mihi gnatam esse voluit Inopiam.  
 Sed, ea quid huc introierit impulsu meo,  
 Accipite et date vacivas auris, dum eloquor. 10  
 Adulescens quidam est, qui in hisce habitat aedibus;  
 Is rem paternam me adiutrice perdidit.  
 Quoniam ei, qui me alat, nil video esse reliqui,

*Nunc, ne quis erret etc.* Inopia aedes Lesbionici ingressa, Luxuria sermonem suum ad spectatores convertit. Errare is dicitur qui nullo proposito sibi itineris sine vagatur, aut a recta via decedit. *Ne quis erret...* in viam deducam. Allegoria. Paucis, quid hic agatur, vos docebo.

*Operam dare.* Animum advertere.

*Illaec.* *Appellati.* Veteres scripserunt *illicce, illaece, illuce*, unde per apocopen facta sunt *illic, illae, illuc*, quae saepe numero in Plautinis comoediis occurrunt.

*Siet.* Archaism. Sit.

*Abiit intro.* Vide adnot. ad Auln. t. 2. 3.

*Primum.* Diu multumque a Grammaticis disputatum est de discrimine, quod inter *primum* et *primo* intercedit. Quorum omnia verba huc demum redeunt. *Primum* ad ordinem rerum pertinet, atque usurpatur in enumerandis rebus aut argumentis, ita ut sequantur vocabula *tum, deinde*, etc. Italiae: *primieramente*. *Primo* autem pertinet ad tempus, et idem valet ac primo tempore, principio, ab initio. Nos: *in sulle prime, da bel principio*. Cic. Amic. xxiii: Omni igitur haec in re habenda ratio et diligentia est: *primum* ut monitio acerbitate, *deinde* obiurgatio contumelia careat. Sall. Cat. xxiii: Quod factum *primo* populares coniurationis concusserat. Neque tamen Catillinae furor minuebatur.

*Illanc.* *Appellati.* Ostendendo videlicet aedes, in quas intraverat Inopia. *Quid.* Supp. ad. Qua de causa, quare.

*Date vacivas auris.* Accommodate mihi aures vacuas, non occupatas aliis negotiis. Nos: *prestatemi attento Porcocchio*.

*Auris.* Veteres scripserunt *aureis*. Ex subsequentiibus alii vocalem praepositivam expunxerunt, alii subiunctivam. Unde habuimus *auris* vel *aures*.

*In hisce habitat aedibus.* Itaec ait Luxuria digito vicinas Lesbionici aedes commonstrando.

*Perdidit.* Consumpsit.

*Quoniam.* *Quoniam* et *postquam* promiscue usurpantur a Latinis. Apud Graecos particula *quia*, utriusque habet significationem. Auln. Prol. 9: Is *quoniam* moritur. Bacchid. ut. 6. 1: Nunc ego illam me velim convenire, *postquam* inanis sum, contemptricem meam.

*Qui.* Casus ablat. quo.

Dedi meam gnatam, quicum aetatem exigit.

Sed de argumento ne expectetis fabulae:

Senes, qui huc veniunt, hi rem vobis aperient.

Huic nomen est Thesauro graecae fabulae;

Philemo scripsit; Plautus vortit barbare,

*Gnatam, quicum aetatem exigit.* Qui et *quicum* indeclinabiles, ablativi loco usurpantur tam singulari, quam plurali numero, et coniunguntur cum vocibus cuiuslibet generis. Cf. Aulul. III. 8. 28; Capt. V. 4. 5; Virg. Aen. XI. 822.

*De argumento ne expectetis.* Subaudi: *me dicere.*

*Fabulae.* Fabula a *fando* dicta, est narratio rei fictae ad delectationem et utilitatem inventa. Quo nomine proprie donantur comoedia et traegodia. Hinc *fabulam docere* dicitur a Latinis qui comoediam scribit, eamque agendam dat histrionibus.

*Senes, etc.* Megaronides et Callictes, quorum partes sunt in scena prima et secunda aetis primi.

*Thesauro.* Comoediam, quae inscribitur *Thesaurus*, docuerant Menander et Philemo, quae temporis iniuria intercidit. Ex hac Plautus *Trinummum* suum depronsit. Hic vero haud abs re erit notare, plerasque Plauti et Terentii comoedias, ut ipsi passim testantur, paucis interdum leviter immutatis, ex graecis fabulis fuisse translatas. Menandri et Philemonis reliquias A. Meineckius evulgavit Berolini anno huius saeculi tertio et vicissimo. Nos autem paucula quaedam hic subleximus, quae ex God. Hermauni sententia ad Philemonis *Thesaurum* pertinere videntur.

Οὐκ ἔστ' ἀθάνατος ἐν παρρησιότητι, εὐδ' ἔχει

ἀθάνατον χροστή; —

ἀθάνατος ἐστὶ κατὰ ἀναρχαῶν γυναικῶν.

Quod fortasse legebatur in illo loco, ubi Plautus (I. 2. 33.) habet:

*Call.* Eho tua uxor quid agit? *Meg.* Immortalis est.

Θεῖου γυναικὸς ἐπὶ παρῶν ἐν τοιαύτῃ ἔχει.

Plautus (II. 2. 3.): Feceris par tuis ceteris factis, tuum si patrem percoles.

Χρῆσαι θεοῖσι καὶ θεοῖσι καὶ ἀρχαῖσι.

Plautus (II. 4. 87.): Nunc conditionem hanc, quam ego fero, et quam abs te peto, dare atque accipere, Lesbonice, te volo.

μὴτε μίσηται πικροῦντα ὀυροῦμενον· ἐπιγχεῖ ἐστὶ τὰς ἀναρχαῶν τύχης.

Plautus (II. 2. 77.): Mea opera hinc proterritum te meaque avaritia audent.

*Philemo*, Solis natus in Cilicia, Theophrasti discipulus, novae comoediae apud Graecos inventor habitus est. De quo vide Quint. Inst. orat. x. 1; A. Gell. N. A. XVII. 4.

*Vortit.* Archaism.

*Barbare.* Quum Graeci omnes gentes externas, graeca lingua non n- tentes, *barbaras* appellarent, factum est, ut *barbare* usurpetur pro eo quod est *latine*. *Barbare vortit.* Nos: *traslatò in latino*. Cf. Asiu. Prolog. 10: Huic nomen graece Ouagost fabulae; Demophilus scripsit, Marcus (Plautus) *vortit barbare*.

Nomen Trinumo fecit. Nunc vos hoc rogat,  
Ut liceat possidere hanc nomen fabulam.  
Tantum est. Valet: adeste cum silentio.

*Tantum est.* Hoc et nihil amplius dico. Cf. Merc. II. 2. 12. Itali: *E questo basta. Non dico di più.*

*Adeste cum silentio.* Adeste atque animum advertite. Solemnis formula, qua poetae comici, sub prologi finem a spectatoribus petebant, ut attentas aures fabulae accommodarent. Poenul. Prol.: Valet, adeste: Ter. Heeyr. Prol. in fin.: Causam accipite et date silentium.

## ACTUS I.

## SCENA I.

## MEGARONIDES.

**N**ae amicum castigare ob merita, nunc male  
Inmoene est facinus, verum in aetate utile

*Nae amicum etc.* Quum Callicles absentis Cbarnidis aedes emisset a Lesbonico illius filio, male apud bonos audiebat, et civium sermonibus palam proscindebatur, utpotequi amici fortunas ipsi commendatas parum fideliter tueri videretur. Quod quum accepisset Megaronides senex, secum ipse statuit Calliclem familiarem suum graviter reprehendere, etiamsi coniectura prospiciat, se ingratum facinus aggredi. Iuvat autem moratam Megaronidis orationem notare, qui, uti senes facere consueverunt, exacti temporis laudator, in aetatis suae mores invchitur.

*Nae.* Particula gravissimae affirmationis, quae idem valet ac *certe*, *profecto*, *revera*.

*Amicum castigare.* Reprehendere, obiurgare.

*Ob merita.* Meritum tum in bonam, tum in malam partem accipitur. Ob culpas, ob peccata. Haud aliter verbum *commereri* passim usurpatur pro eo quod est *delinquere*, *peccare*, *admittere*. Cf. Cic. Sext. xvii; Liv. II. R. xl. 15; Ovid. Fast. I. 362.

*Nunc.* Uti hac aetate se habent mores.

*Male.* Haec particula saepe apud comicos idem valet ac *valde*, *vehementer*. Ter. Adelp. iv. 1. 7: Illud rus nulla alia causa jam *male* odi; Hec. iii. 2. 2: *Male* metuo, ne Philumena magis morbus adgravescat.

*Inmoene.* Ἀρχαϊκός. Immune. Sic olim scripserunt *oerum*, *moenera*, *moenio* pro eo quod est *usum*, *munera*, *munio*. *Immune facinus*, hoc est ingratum, odiosum, inurbanum. Apud veteres enim *munis* fuit officiosus.

*In aetate.* In vita.

*Utile et conducibile.* Τελεωσις Plauto perfamiliaris. Nos: *utile e profitesvole*.

Et conducibile. Nam ego amicum hodie meum  
 Concastigabo pro merita noxia  
 Invitus, ut id me invitet ut faciam fides.  
 Nam hic nimium morbus mores invasit bonos:  
 Ita plerique omnes iam sunt intermortui.  
 Sed, dum illi aegrotant, interim mores mali,  
 Quasi herba inrigua, subcrevere uberrime,  
 Neque quidquam hic vile nunc est, nisi mores mali;  
 Eorum licet iam messem metere maxumam;  
 Nimioque hic pluris pauciorum gratiam  
 Faciunt pars hominum, quam id, quod prosit pluribus.  
 Ita vincunt illud conducibile gratiae,

*Nam ego amicum hodie etc.* Primo statim aspectu non intelligitur, quare particula *nam* hic usurpetur a Plauto; nulla enim causa reddi videtur praecedentium verborum. Quae tamen difficultas statim evanescit, si ad ellipsin confugientes, sententiam sic suppleamus: *Hoc autem rerum est; res autem ita se habet;* nam ego amicum etc. Nimirum Megaronides ex eo quod ipse facturus est, declarat veritatem sententiae in hunc modum: Quod mihi quoque nunc usuvenit, apparet interdum esse utile faciunt et conducibile. Erit igitur italice: *E la cosa sta veramente così; imperciocchè oggi io sgriderò l'amico, ecc.*

*Amicum meum.* Calliclem.

*Pro commerita noxia.* Pro culpa admissa.

*Invitus, ut id etc.* Invitus quidem amicum obiurgabo; sed fides mea erga illum me impellit ut id faciam. Ubi notanda Plautina agnomatio: *invitus invitat.*

*Hic morbus.* Supp. violandi fidem, quam amico debemus.

*Nimium.* Valde, multum, prorsus.

*Plerique omnes.* Maxima pars, fere omnes mores boni.

*Sunt intermortui.* Metaph. Paene defecerunt.

*Dum illi aegrotant.* Allegor. Dum boni mores languent, vi sua carent.

*Herba inrigua.* Herba fontibus irrigata.

*Subcrevere.* Proprie de plantis, quae sub aliis crescunt.

*Neque quidquam vile nunc est.* Et nihil parvo pretio nunc paratur, si malos mores excipias.

*Hic.* Nunc.

*Eorum licet messem metere maxumam.* Allegor. Maxima illorum copia colligi potest.

*Nimioque hic pluris etc.* Et pars hominum multo satius existimat paucorum, idest potentiorum gratiam captare, quam ea facere, quae prosit pluribus, hoc est reipublicae. *Pauciorum*, pro nomine positivo *paucorum*.

*Ita vincunt etc.* Ita utilitas negligitur ob paucorum gratiam, quae saepe odiosa obstat, atque officit commodis publicis et privatis.



Quae in rebus multis obstant odiosaeque sunt,  
Remoramque faciunt re privatae et publicae.

## ACTUS I. - SCENA II.

CALLICLES, MEGARONIDES.

CALLICLES.

Larem corona nostrum decorari volo.  
Uxor, venerare, ut nobis haec habitatio  
Bona, fausta, felix, fortunataque evenat, -  
Teque ut, quamprimum possit, videam emortuam.

*Re. Arch. Rei.*

*Larem corona etc.* In hac scena Callicles se purgat apud Megaronidem, testatus, se officio tantum et fide impulsus, absentis Charmidis domum emisse a Lesbionico filio, ne videlicet thesaurus ibi delitescens ad alios perveniret. Et primo quidem Calliclem nobis exhibet poeta, coemtas aedes iam habitantem cum uxore, quam monet ut lari supplicet, quem veteres tamquam deum familiae praesidem et custodem habuerunt. De lare eiusque cultu vide quae adnotavimus ad *Aululariae* prologum, ubi lar loquens inducitur.

*Corona decorari.* Graeci corona ex platano, Romani vero spicis scrtis larem exornare solebant.

*Venerare.* Sacrificia. Laribus sacra fiebant thure, vino, floribus, mola salsa, horna frugo, porca, vitula.

*Bona, fausta, etc.* Quae verba ex solemnibus formula sunt deprompta, quam Romani boni ominis causa praefari solebant in qualibet re suscipienda, uti testatur Tullius in *Divin.* l. 40: *Maiores nostri omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset praefabantur.*

*Evenat.* Archaism. Metri causa. Haud aliter *Aulul.* l. 1. 30 et 31: *Emorram... venat.*

*Teque ut, quam primum etc.* Haec Callicles submissa voce atque ita aversus ab uxore profert, ut a spectatoribus dumtaxat audiantur, quorum risum facile eliciunt. Cuius quidem generis ioci, etsi a christiana urbanitate procul absunt, Romanorum tamen aures capiebant, apud quos minus firmis vinculis minusque sanctis quam apud nos coniugium obstringebatur.

*Emortuam.* *Ἀργιστά.* Emortuam.

## MEGARONIDES.

Hic ille est, senecta aetate qui factus puer,  
 Qui admisit in se culpam castigabilem.  
 Adgrediar hominem.

CALLICLES.

Quoia vox prope me sonat?

MEGARONIDES.

Tui benevolentis, sid ita es, ut ego volo;  
 Sin aliter es, inimici atque irati tibi.

CALLICLES.

O amice, salve, atque aequalis! ut vales,  
 Megaronides?

MEGARONIDES.

Et tu edepol salve, Callicles.

*Hic ille est, etc.* Haec secum Megaronides.

*Senecta aetate.* Praeter Plautum Lucretius (de rer. nat. III. 774; V. 884 et 891) et Sallustius (Orat. Cottae ad pop.) usurpant nomen adiectivum *senectus*, a, um pro eo quod est *senilis*.

*Qui factus puer.* Qui repuerascit, instar pueri desipit. Nos: *che rim-ba mbisc e*.

*Qui admisit in se culpam castigabilem.* Qui culpam patravit reprehensione dignam.

*Adgrediar hominem.* Ad illum accedam colloquendi causa. Saepe latini optimaе notae scriptores usurpant nomen substantivum *homo*, loco pronominis *hic* vel *ille*.

*Quoia.* Archaism. Pro *quia*, vel *enim*.

*Tui benevolentis.* Snpp. Vox sonat hominis tibi benevolentis.

*Sid ita es, etc.* Si bonus es, si monitis meis aures tuae patebunt.

*Salve.* Utebantur Latini hac voce *salve*, quum advenientem salutarent; *vale* autem dicebant abeunti.

*Aequalis.* Eiusdem aetatis, seu temporis. Nos: *coetaneo*. Hic arrepta occasione tirones monendos censeo, perperam a quibusdam recentioribus latine scribentibus, *coaevos* appellari eiusdem aetatis homines. *Coaevus* nusquam occurrit apud optimaе notae scriptores latinos. Primi omnium hanc vocem usurpant S. Augustinus (Serm. de verb. Dom. xxxviii. 7) et Prudentius (Cathemer. de Epiph. xli. 137). Falso autem nonnulli Ciceronis (Orat. in Vat. xli.) auctoritate freti hoc vocabulum romana civitate donaro conati sunt. Quum enim in Tullianae orationis loco, quem modo memoravi, de epulo funebri sermo sit, patet apertissime, non *coaevos*, sed *coquos* legendum esse. Quam lectionis varietatem gravissimis criticis probatam, optimaе quaeque editiones tuentur.

*Edepol.* Formula iurisiurandi per deum Pollucem. Vide adnotata ad Aulul. it. 2. 27. Animadvertit Donatus grammaticus, consuevisse olim *salutantes iurisiurandum addere, ut sedulo id facere viderentur*.

Valen' ? valuistin' ?

CALLICLES.

Valeo et valui rectius.

MEGARONIDES.

Quid agit tua uxor ? ut valet ?

CALLICLES.

Plus, quam ego volo.

MEGARONIDES.

Bene hercle est, illam tibi valere et vivere.

CALLICLES.

Credo hercle te gaudere, si quid mihi mali est.

MEGARONIDES.

Omnibus amicis, quod mihi est, cupio esse item.

CALLICLES.

Eho, tua uxor quid agit ?

MEGARONIDES.

Immortalis est:

Vivit victuraque est.

*Valen' ? Valuistin' ?* Valesno ? Valuistin' etiam superioribus diebus : Solemnis formula, qua Romani amicum salutabant, quem aliquot iam dies non vidissent.

*Valeo et valui rectius.* Salutationem Megaronidis, quae ad superiores proximo dies pertinet, ludendi causa aliter interpretatur Callicles, respondens, se olim, quum uempe integra floreret aetate, valuisse rectius quam nunc. Nostrates: *Sto bene, e fu già tempo che stava meglio.*

*Plus, quam ego volo.* Hic notandus dialogus vernacula et plebeia quadam festivitate conditus, quique omnino spectat ad caveam exhibendam. Quod quidem facile animadvertes, si animo tibi proponas Megaronidem et Calliclem maritos, cruda et viridi adhuc senectute gaudentes, qui non verbis tantum, sed nares corrugando, oculos et labia distorquendo, se vetulae coniugis suae pertaesos certatim ostentant; tum alter alteri, per speciem urbauitatis, amarulenta quadam dicacitate, uxoris immortalitatem adprecatur.

*Tibi. Μεγαρονίδη.*

*Eho, interiectio conicis perfaularis; praemittitur saepe interrogationi, quae cum quadam vehementia efferatur. Eho, tua uxor quid agit ? Nos ! Oh a proposito, tua moglie che fa ?* Cf. Asin. II. 4. 26; Bacch. IV. 7. 5; Epid. III. 4. 69; Mil. II. 3. 30; Most. I. 3. 21; V. I. 35; Terent. Adelph. III. 3. 35; Andr. III. 2. 20; IV. 4. 42; V. 4. 5; Eun. II. 2. 35; II. 3. 42; Heaut. III. 2. 26.

*Immortalis est: vivit etc.* Dicacula responsio ad risum eliciendum comparata.

CALLICLES.

Bene hercle nuntias,  
Deosque oro, ut vitae tuae superstes suppetat.

MEGARONIDES.

Dum quidem hercle tecum nupta sit, sane velim.

CALLICLES.

Vin' commutemus? tuam ego ducam et tu meam?  
Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.

MEGARONIDES.

Nam quidem tu, credo, mi imprudenti obreperis.

CALLICLES.

Nae tu hercle faxod haud scies, quam rem egeris.

*Bene hercle nuntias.* Itali: *Mi dai certamente una buona notizia.*

*Deosque oro, ut vitae tuae superstes suppetat.* Falluntur si qui putant, huiusmodi verbis Calliclem a Diis optasse, ut Megaronidi uxor superviveret. *Superstes* in hoc loco *praesentem* significat. Hoc nimirum sibi vult Callicles: Deos precor, ut uxor diu praesens vitae tuae adsit; utinam uxor tua viventi usque comes sit. Haud aliter in Asia. L. 1. 6: *Ut tibi superstes uxor aetatem sicut: atque illa viva, vivus ut pestem oppetas.* Item in Casin. iv. 4. 2: *ut viro tuo semper sis superstes.*

*Dum quidem hercle.* Haud raro *hercle* additur aliis particulis affirmativis, quo maior affirmationis vis existat.

*Vin' commutemus?* Visne uxores commutemus? Haec Calliclis verba, quae ab humanitate nostri temporis absunt, haud absurda Romanorum auribus contingere debuerunt, quibus iam iude a Romuli aetate uxori nuncium remittere ex legibus licebat.

*Faxo.* Fecero. Archaismus, uti *capso*, *levasso* pro eo quod est *cepero*, *levacero*, ex Graecorum more, apud quos littera *ϕ* est nota propria temporis futuri; quemadmodum videmus in *ἔλσω*, *ὑπάσω*, *τίσω*, etc.

*Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.* Faciam ut nullomodo me decepisse videaris.

*Nam quidem tu, etc.* Particula *nam* habet in hoc loco vim affirmandi, et ponitur pro eo quod est *profecto*.

*Mi imprudenti obreperis.* Me, nihil sentientem, fraudulentis et ambiguis dictis circumvenies. *Obreperere*, ital. *insinuarsi occultamente*, dicitur proprie de bestiis, quae sensim, tacito et nullo edito rumore accedunt. Sic Plin. h. N. x. 94: *Feles quidem quo silentio, quam levibus vestigiis obrepunt avibus?* Translato vero ponitur pro eo quod est clam decipere.

*Nae tu haerete.* Augetur vis particulae *nae*, additis aliis adseverandi formulis *herete*, *edepol*, etc.

*Quam rem egeris.* Quid agas. Futurum tempus pro praesenti. Nos: *Fará ben io, che tu non sappia che cosa ti faccia.*

MEGARONIDES.

Habeas, ut nactus: nota mala res optima est: 25  
 Nam ego nunc si ignotam capiam, quid agam, nesciam.  
 Edepol proinde ut bene vivitur, diu vivitur.  
 Sed hoc animum advorte, atque aufer ridicularia:  
 Nam ego dedita opera huc ad te advenio.

CALLICLES.

Quid venis?

MEGARONIDES.

Malis te ut verbis multis multum obiurgitem. 30

CALLICLES.

Men'?

MEGARONIDES.

Numquis est hic alius praeter me atque te?

CALLICLES.

Nemo est.

MEGARONIDES.

Quid igitur rogitas, tene obiurgitem,  
 Nisi tute mihi me censes dicturum male?  
 Nam si in te aegrotant artes antiquae tuae,  
 Sive inmutare vis ingenium moribus, 35

*Habeas, ut nactus.* Habo tibi uxorem, qualem accepisti. Itali: *tien-tela come l'hai ricevuta.*

*Nota mala res optima est.* Res vel mala, quum nota nobis sit, optima fit. Cavemus enim ne quid ex ipsa incommodi in nos redundet.

*Proinde.* Prorsus.

*Ut bene vivitur, diu vivitur.* Qui bene vivit, illo solum diu vivere dicendus est.

*Sed hoc animum advorte.* Ad hoc animum adverte, quod tibi sum dicturus, et mitte iocos.

*Quid venis?* Supp. ad.

*Multis multum.* Repetitio Plauto familiaris.

*Numquis est hic alius etc.* Festiva Megaronidis responsio ad risum eliciendum comparata.

*Rogitas... obiurgitem.* Verbis frequentativis plurimum gaudet Plautus.

*Tute.* Tu.

*Aegrotant artes antiquae tuae.* Antiquae tuae virtutes languent, torpent, minus valent.

*Inmutare ingenium moribus.* Inmutare indolem morum tuorum.



Aut si demutant mores ingenium tuom,  
Neque eos antiquos servas, ast captas novos,  
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem,  
Ut te videre, audireque aegroti sient.

. CALLICLES.

Qui in mentem venit tibi istaec dicta dicere?

40

MEGARONIDES.

Quia omnis bonos bonasque adcurare addecet,  
Suspicionem et culpam ut ab se segregent.

CALLICLES.

Non potis utrumque fieri.

MEGARONIDES.

Quapropter?

CALLICLES.

Rogas?

Ne admittam culpam, ego meo sum promus pectori;  
Suspicio est in pectore alieno sita.  
Nam nunc ego si te subripuisse suspicer  
Iovi coronam de capite e Capitolio,

45

*Si demutant mores ingenium.* Si mali mores naturam tuam demutant.

*Eos. Supp. mores.*

*Captas novos.* Novos mores aucuparis, sectaris, induis.

*Morbum.* Dolorem, aegritudinem.

*Te videre, audireque.* Te videndo atque audiendo.

*Aegroti sient.* Perstat in allegoria. Dolore afficiantur.

*Qui. Quomodo.*

*Istaec dicta dicere. Dispensatio.*

*Segregent.* Segregare Latinis est a grege separare; transl. remove, prohibere.

*Non potis. Supp. est.*

*Ego meo sum promus pectori.* Promus dicitur a Latinis qui cibaria custodit, eaque ex cella penaria promit. Italis *il dispensiere*. Interdum etiam *condus promus* appellatur a condendis et promendis cibariis. Hic vero translate ponitur, quasi dicat: ego sum pectori meo custos, atque arbitrii mei est nullam admittere culpam.

*Suspicio est in pectore alieno sita.* Suspicio in aliorum pectore posita est, atque inde proficiscitur.

*Subripuisse.* Clam rapuisse.

*Capite... Capitolio.* Paronomasia.

Quod in culmine adstat summo; si id non feceris,  
 Atque id tamen mihi lubeat suspicari,  
 Qui tu id prohibere me potes, ne suspicer?  
 Sed istuc negoti scire cupio, quidquid est.

50

MEGARONIDES.

Haben' tu amicum aut familiarem quempiam,  
 Quoi pectus sapiat?

CALLICLES.

Edepol (haud dicam dolo):

Sunt, quos scio esse amicos; sunt, quos suspicor,  
 Sunt, quorum ingenium et animus non pote noscier,  
 Ad amici partem, an ad inimici pervenat:  
 Sed tu ex amicis certis mi es certissimus.  
 Si quid scis me fecisse inscite aut inprobe,  
 Si id me ne adcasas, tute obiurgandus.

55

MEGARONIDES.

Scio;

Et, si alia huc causa ad te adveni, aequom postulas.

60

*Quod in culmine adstat summo.* Quod Iovis caput est in summo Capitolii culmine.

*Si id non feceris.* Etiamsi id non feceris.

*Suspiciari.* *Ἐπινοεῖσθαι.*

*Istuc negoti scire cupio.* Cupio rem audire, ob quam ad me venisti.

*Amicum aut familiarem.* Amicus et familiaris differunt inter se. Siquidem amicus ille dicitur, qui alterum sincere et constanter amat; familiaris, qui quotidiana alterius consuetudine utitur; qui alterius familiam, seu domum frequentat.

*Amicum quempiam, quoi pectus sapiat.* Nos: *quelche amico assennato.*

*Haud dolo.* Candide, ex animo.

*Non pote.* Non potest; demtis per apocopen ultimis litteris.

*Ad amici partem, etc.* Utrum amici an inimici partes agant.

*Ex amicis certis etc.* Ex amicis, quorum fides mihi est spectata, tu ille es, cui maxime fidam.

*Inscite.* Stulto.

*Si id me ne adcasas.* Nisi id me accuses.

*Aequom postulas.* Iure postulas ut ego obiurger, si alia de causa veni ad te, quam ut tibi peccata tua aperiam. Hic maxima quidem arte Plautus Calliclem et Megaronidem induxit familiariter cavillantes, et iocos quos-

CALLICLES.

Expecto, si quid dicas.

MEGARONIDES.

Primodum omnium

Male dicitur tibi volgo in sermonibus:

Turpilucricupidum te vocant cives tui;

Tum autem sunt alii, qui te volturium vocant:

Hostisne an civis comedis, parvi pendere.

Haec quom audio dici in ted, excrucior miser.

CALLICLES.

Est atque non est mi in manu, Megaronides:

Quin dicant, non est; merito ut ne dicant, id est.

MEGARONIDES.

Fuit ne hic tibi amicus Charmides?

dam de uxoribus colloquio inserentes. Quo facto dum spectatores ad hilaritatem provocat, quorundam hominum mores graphice expressit, qui exacta iam aetate, quum ex rebus voluptariis exaruerint, feminarum pertaesi, de his, occasione data, libenter detrahunt. Cuius quidem iocosi ingenii specimen rursus edit Callicles in ipso fabulae exitu, ubi ait, non ultra saevieudum adversus Lesbouicum adolescentem; hunc enim iam satis poenarum vitae licenter actae esse daturum, si uxorem ducere cogatur.

*Primodum vel primumdum.* Vide adnotata ad Mil. II. 3. 26. Primodum omnium. Italice: *E prima di tutto.*

*Male dicitur tibi etc.* Nos: *si sparta di te pubblicamente.*

*Turpilucricupidum.* Itali: *avido di vil guadagno.* Plautus Graecos imitatus, gaudet saepenumero verba verbis ioculariter coagmutare, ut plebeculae risum excutiat, ut in Capt. II. 2. 35: *H.* Quod erat ei nomen? *P.* Thesauruchrysonicocroesides; in Pers. IV. 6. 20 seqq.: *Virginiisvendouides, uugipolyloquides, argentiextenebronides, tedignilloquides, nummorum expalponides.*

*Volturium.* Translate, hominem rapacitate insignem. Cf. Cic. Orat. in Pis. XVI.

*Hostisne an civis comedis, parvi pendere.* Vulgus ait, te parvipendere, utrum peregrinos an cives devores. *Hostis enim,* ait Tullius (de Offic. I. 12), apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc *perregrium* dicimus. Cf. Leg. XII Tabul.: Aut status dies cum *hoste.*

*Comedis.* Archaism. Comedas.

*Excrucior miser.* Misere, hoc est vehementer excrucior.

*In manu.* In potestate.

*Quin dicant, non est, etc.* Non est in manu mea prohibere, quominus mihi cives obtrectent; possum vero facere, ne merito mihi maledicant.



## CALLICLES.

Est et fuit.

Id ita esse ut credas, rem tibi auctorem dabo. 70  
 Nam postquam hic eius rem confregit filius,  
 Seque ad paupertatem ipse protractum videt,  
 Suamque filiam esse adultam virginem,  
 Simul eius matrem suamque uxorem mortuam:  
 Quoniam hinc iturust ipse in Seleuciam, 75  
 Mihi commendavit virginem gnatam suam  
 Et rem suam omuem et corruptum illum filium.  
 Haec, si mi inimicus esset, credo, haud crederet.

## MEGARONIDES.

Quid tu? adolescentem quom esse corruptum vides,  
 Qui tuae mandatus est fide et fiduciae, 80  
 Quin eum restituis? quin ad frugem conrigis?  
 Ei re operam dare te fuerat aliquanto aequius,

*Rem tibi auctorem dabo.* Auctor idem valet ac testis. Dabo tibi rem testem. Re ipsa hoc tibi confirmabo. Nos: *te lo proverò col fatto.* Hinc discant studiosi, vocem *auctor*, utpote communis generis, coniungi etiam cum nominibus femininis.

*Postquam hic eius rem confregit filius.* Postquam hic Charmidis filius patrimonium ablignrivil.

*Ipsae.* Charmides pater.

*Ad paupertatem protractum.* Redactum ad paupertatem.

*Adultam virginem.* Virginem iam grandem. Nos: *già inoltrata negli anni.*

*Iturust ipse in Seleuciam.* Charmides mercandi causa iturus est in Seleuciam, ut afflictis rebus suis consulat. Duodecim a Plinio (Hist. Nat.) passim enumerantur urbes, Seleuciae nomine donatae. Quare haud ita facile quis Plautinam hanc Seleuciam a reliquis discernat. *Ipsus.* Arch. *Ipsae.*

*Haec . . . . haud crederet.* Haec fidei meae haud commisisset. *Credo, haud crederet.* Paronomasia.

*Quid tu?* Vide quae adnotavimus ad Aulul. 11. 3. 6 Nos: *Ma dimmi?*

*Corruptum.* Perditum ac dissolutum.

*Fide et fiduciae.* Arch. Fidei. In hoc loco *fiducia* ponitur pro *fidelitate*. Hoc autem differunt *fides* et *fidelitas* inter se, quod illa animo, haec re spectatur. Nimirum *fidelitas* est *fides* factis comprobata.

*Restituis?* Emendas?

*Quin ad frugem conrigis?* Cur ad rectam honestamque vivendi rationem illum non redigis? Nos: *perchè nol rimetti sulla buona via?*

*Ei re.* Arch. Rei.

Si qui probiorem facere possis; non, uti  
In eandem tute accederes infamiam,  
Malumque ut eius cum tuo misceres malo.

CALLICLES.

Quid feci?

MEGARONIDES.

Quod homo nequam.

CALLICLES.

Non istuc meum est.

MEGARONIDES.

Emistin' de adolescente has aedis? - Quid taces?  
Ubi nunc tute habitas?

CALLICLES.

Emi atque argentum dedi;

Minas quadraginta, adolescenti ipsi in manum.

MEGARONIDES.

Dedisti argentum?

CALLICLES.

Factum, neque facti piget.

MEGARONIDES.

Edepol fide adolescentem mandatam malae!

*Si qui.* Si qua ratione.

*In eandem tute accederes infamiam.* Tu ipse particeps fieres eiusdem infamiae.

*Non istuc meum est.* Istud non est ingenii mei.

*De adolescente.* A Lesbionico Charmidis filio.

*Hae aedis.* *Δικαστήριον.*

*Ubi nunc tute habitas?* Amarulentum quidpiam sapit haec Megaronidis interrogatio, qua Calliclem de emtis amici aedibus arguit.

*Argentum.* Pecuniam, pretium. Galli quoque, Latinos imitati, usurpant *argent* pro pecunia generatim.

*Minas quadraginta.* Mina Graecorum nova, de qua hic sermo est, valebat centum drachmis; drachma vero ferme respondet denario romano = 0,82. Quare quadraginta minae, si ad nostram computandi rationem exigantur, erunt 3,280, 00.

*Dedi minas quadraginta, ipsi in manum.* Quadraginta minas praesentes ipsi numeravi. Nos: *glieta pagai con quaranta mine alla mano.*

*Edepol.* Vide adnot. ad Aulul. II. 2. 27.

*Fide Arch. Fidei.*

Dedistine hoc ei gladium, qui se occideret?  
 Quid secus est, aut quid interest, dare te in manus  
 Argentum amanti homini adolescenti, animi inpoti,  
 Qui exaedificaret suam inchoatam ignaviam?

95

CALLICLES.

Non ego illi argentum redderem?

MEGARONIDES.

Non redderes,

Neque de illo quidquam neque emerēs, neque venderēs,  
 Nec, qui deterior esset, faceres copiam.  
 Inconciliastin' eum, qui mandatust tibi?  
 Ille, qui mandavit, eum exturbasti ex aedibus?  
 Edepol mandatum pulcre et curatum probe!

100

Quā. Vide Prolog. 14.

Quid secus est? Vox secus interdum usurpator tamquam nomen adiectivum. Quid aliud est?

Quid interest? Quodnam discrimen intercedit?

Animi inpoti. Impos aut impotens animi ille dicitur, qui non potest animo suo moderari, cui sana mens non est. Nos: *che è fuor di sè, che non può comandare a se stesso.*

Qui exaedificaret suam inchoatam ignaviam. Exaedificare proprie est aedificium perficere, consummare. Translate vero idem valet ac quidpiam absolvere, et extremam manum alicui rei imponere. Ignavia hic ponitur pro vitii generatim. Species pro genere. Itali: *perchè ponesse il colmo a' suoi vizi.*

Non ego illi argentum redderem? Nonne illi argentum erat reddendum? Notanda in hoc loco propria significatio verbi *redderem*, pro eo quod est *darem, solverem*. Differunt autem inter se *dare* et *reddere*, quod illud significat utcumque dare, donare; *reddere* vero est dare quae debentur. Quare diceret italice: *Poteva io negargli il danaro, che gli era dovuto?*

Non redderes. Non debebas reddere.

Nec, qui deterior esset, faceres copiam. Neque illi suppeditare debebas modum, quo deterior fieret. Distinguendus *deterior* a *pioiore*. Ille est minus bonus, hic magis malus.

Inconciliastin' eum, etc.? Nonne illum decepisti qui fidei tuae mandatus fuerat?

Ille. *Wissmannus*. Haud infrequentes occurrunt apud Sarsinatē nostrum huius generis idiotismi, quibus a germana latini sermonis syntaxi recedere videtur. Sic Mostell. 1. 3. 93: *Mulier*, quae se suamque aetatem spernit, speculo ei usus est.

Edepol mandatum pulcre et curatum probe! Ironice. Pulcre saepe res suas tibi mandavit Charmides; tu autem probe eas curasti!

Crede huic tute: tuam rem melius gesserit.

CALLICLES.

Subigis maledictis me tuis, Megaronides,  
Novo modo adeo, quod meae concreditum est  
Taciturnitati clam fide et fiduciae,  
Ne enuntiares quouquam, neu facerem palam,  
Ut mihi necesse sit iam id tibi concedere.

105

MEGARONIDES.

Mihi quod credideris, sumes, ubi posiveris.

CALLICLES.

Circumspicedum te, ne quis adsit arbiter  
Nobis, et, quaeso, identidem circumspice.

110

MEGARONIDES.

Ausculto, si quid dicas.

CALLICLES.

Si taceas, loquar.

*Crede huic tute.* Nos: *Or va, e fidati di costui. Huic.* Passim apud comicos metri causa geminatur littera *i* in vocibus *maius, peius, riuus, aio, huic* etc.

*Melius.* Bene, recte.

*Subigis maledictis me etc.* Haec Calliclis verba perturbato quodam ordine efferuntur. Quo facto Plautus de more naturam imitatur, qua fit ut homines graviore animi motu exagitati involutum sermonem usurpent, qui animi perturbationem testatur. Nimirum immerita Megaronidis reprehensione graviter commotus, hac dicendi perplexitate utitur Callicles, cuius verba in hunc ordinem sunt digerenda: adeo me novo modo maledictis tuis impellis, ut mihi iam sit necesse tibi concedere quod clam meae taciturnitati, fidei et fiduciae concreditum est ea conditione, ne cuiquam enuntiares seu palam facerem.

*Maledictis tuis.* Conviciis tuis. Nos: *co' tuoi rimbrotti.*

*Mihi quod credideris, sumes, ubi posiveris.* Depositum, quod mihi credideris tam diligenter custodiam, ut tibi illud liceat pro arbitrato recuperare. Allegorice haec dicuntur a poeta, pro eo quod esset: arcanum, quod meae fidei credideris nemini enuntiabo. *Posiveris.* Arch. Posueris. Cf. Mil. II. 1. 60.

*Circumspicedum.* Vide adnot. ad Mil. II. 4 8.

*Ne quis adsit arbiter nobis.* Ne quis testis adsit, qui ex insidiis sermonem nostrum excipiat. Haud aliter Capt. II. 1 24: *Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant.* Cf. Mil. III. 1 12 et 13.

Quoniam profectus hinc est peregre Charmides,  
 Thesaurum demonstravit mihi in hisce aedibus,  
 Ille in conclavi quodam . . . Sed circumspice.

MEGARONIDES.

Nemo est.

CALLICLES.

Numorum Philippeum ad tria millia.

115

Id solus solum per amicitiam et per fidem  
 Flens me obsecravit suo ne gnato crederem,  
 Neu quoquam, unde ad eum id posset permanescere.  
 Nunc si ille huc salvos revenit, reddam suum sibi;  
 Si quid eo fuerit, certe illius filiae,  
 Quae mihi mandata est, habeo dotem unde dem:

120

Quoniam. Quando.

*Profectus est peregre.* Extra patriam abiit. Scribunt Latini *peregre* et *perregri*; hoc tamen discrimine, quod illud coniungitur promiscue cum quolibet verbo; hoc autem cum verbis tantummodo quietem significantibus.

*Thesaurum.* Collectionem pecuniae, quam recondimus in futurum usum. Cf. Mil. iv. 2. 72.

*In conclavi.* Dicitur conclave a Latinis quaecumque aedium pars, dummodo clave claudi possit, sive simplex illa sit, quam Itali vocant *una stanza*, un *camerino*, sive habeat alia membra adhaerentia, quae una clave claudantur, cuiusmodi est Italica un *appartamento*. Hinc dixeris eleganter latine *conclave aedium marimum*, *la sala*, *ossia la più spaziosa stanza della casa*, quae a recentioribus perperam nominatur *aula*.

*In conclavi quodam . . . Sed circumspice.* Ille Callicles subito orationem abruptit, atque amicum monet, ut circumspicat, numquis forte illorum verba aucupetur. Quod quidem fit ex senum et prudentum hominum natura, qui hanc cautionem et diligentiam adhibere consueverunt, quotiescunque agitur de rebus arcanis et maximi momenti.

*Numorum Philippeum ad tria millia.* Tria millia numorum aureorum, qui imagine regis Philippi essent donati. Praepositio *ad* usurpatur ad pecuniae summam accuratius designandam, pro eo quod est *circiter*. Itali: *Ben tre mila filippi*. Cf. Mil. iv. 2. 72.

*Id . . . obsecravit.* Obsecrare est per sacra et deos petere. Italica: *scongiurare*.

*Crederem.* Paterefacrem.

*Ad eum posset permanescere.* Ad illius aures posset pervenire.

*Si quid eo fuerit.* Siquid de eo fuerit; siquid illi humanitas acciderit. Haec dicuntur a Callicle per *εργασίας*, pro eo quod est: si mortuus erit. Itali, eodem euphemismo usi: *se Iddio facesse altro di lui*.

Ut eam in se dignam conditionem collorem.

MEGARONIDES.

Pro di immortales, verbis paucis quam cito

Alium fecisti me! alius ad te veneram.

Sed ut occepisti, perge porro proloqui.

125

CALLICLES.

Quid tibi ego dicam, qui illius sapientiam

Et meam fidelitatem et celata omnia

Pene ille ignavos funditus pessumdedit?

MEGARONIDES.

Quidum?

CALLICLES.

Quia, rure dum sum ego unos sex dies,

Me absente atque insciente, inconsultu meo,

130

Aedis venalis hasce inscribit literis.

MEGARONIDES.

Adesurivit mage et inhiavit acrius

*Ut eam in se dignam conditionem collorem.* Conditio usurpatur in re nuptiali, pro eo quod est Italis *partito*, matrimonio. Cf. Aulul. II. 2. 60. Nos: *per maritalia in modo degno di lei.*

*Alium fecisti me! alius ad te veneram.* Fecisti me alium atque ad te veneram. Itali: *mi rendesti altro da quello che io era, quando sono venuto a trovarti.*

*Perge porro.* Quum particula *porro* accedit ad verba, significat, rem agendam procedere longius aut continuari. Sic Most 1.4.60: *Agite porro*, pergite, quomodo occepistis; et III. 1. 15: Pergam turbare *porro*. Poen. IV. 1. 3: Is me autem *porro* verberat; hoc est, non cessat me verberare. Terent. Heaut. II. 3. 105: *Perge porro.*

*Qui illius sapientiam et meam fidelitatem etc.* Quomodo Lesbonicus ignavia sua pene funditus pessumdedit patris sapientiam, et meam fidelitatem, et omnia arcana?

*Quidum?* Formula interrogantis. Quare?

*Inconsultu meo.* Me inconsulto.

*Aedis venalis hasce inscribit literis.* Hanc domum venalem proscribit. Bonum vendendam proponit. Nos: *pone in vendita questa casa.* Nimirum veteres, haud aliter ac nos, scripto aliquo proposito, res venales aut locandas nuntiabant.

*Adesurivit mage et inhiavit etc.* Hac lupi, canis et gregis allegoria voluit Plautus significare, *Lesbonicum*, luxuria impellente, dum *Callicles* rusticaretur, conatum fuisse universum *patrimonium* absumere, aedes proscribendo, quae solae incolunes restabant. Illiusce generis allegoriis

Lupus; observavit: dum dormitaret canes,  
Gregem universim voluit totum avortere.

CALLICLES.

Fecisset edepol, ni haec praesensisset canes. 133

Sed nunc rogare ego vicissim te volo.

Quid fuit officium meum me facere, face sciam.

Utrum indicare me ei thesaurum aequom fuit,

Advorsum quam eius me obsecravisset pater?

An ego alium paterer dominum fieri hisce aedibus? 140

Qui emisset, essetne eius ea pecunia?

Emi egomet potius aedis; argentum dedi

Thesauri causa, ut salvom amico traderem;

Neque adeo hasce emi mihi neque usurae meae;

Illi redemi rursum, a me argentum dedi. 145

haud infrequenter utuntur comici, tum ut propius ad popularem loquendi rationem accedant, tum vero ut sermonem varietatis gratia distinguant.

*Adesurivit mox lupus.* Nos: *il lupo senti aguzzarsi vie maggiormente la fame. Inhiavit acrius.* Appetivit acrius. *Inhiare* proprie usurpatur de lupo aliisque bestiis famelicis, quae aperto ore cibum appetunt.

*Observavit.* Nos: *stette alla vedetta.*

*Dum dormitaret canes.* Dum Callicles ruri otium agitaret. *Canes.* 'Ap-  
z0092. Canis.

*Gregem avortere.* Gregem auferre, rapere.

*Universim... totum.* Omnino omnem.

*Praesensisset. Praevidisset.*

*Vicissim.* Nos: *alla mia volta.*

*Quid fuit officium etc.* Quid mihi faciendum erat.

*Face.* Arch. Fac.

*Advorsum quam.* Aliter quam, contra quam.

*An ego paterer?* An mihi patiendum erat?

*Essetne eius ea pecunia etc.* Sub.: An paterer, ut ea pecunia ad em-  
torem perveniret? Siquidem thesaurus, inventus in re emta, cedit emtori.

*Thesauri causa.* Nos: *per salvare il tesoro.*

*U' salvom.* Supp. thesaurum.

*Neque adeo hasce etc.* Particula *adeo* complures habet usus elegantes. Interdum, ubi adhaeret negationi, idem valet ac si scribamus: *tantum abest.* In hoc loco Callicles: *Tantum abest, ait, ut ego hasce aedes emerim mihi aut usui meo.*

*Usurae meae.* Usui meo. Nos: *per utile mio.*

*Illi.* Charmidi.

*Redemi rursum.* *Πισοκέρτατος.*

*A me.* De meo. *A me argentum dedi.* Nos: *lo pagai del mio.* Haud aliter Menaechm. 11. 3. 21: *Da sodes abs te; post ego reddidero tibi.*

Haec, seu sunt recta, seu pervorse facta sunt,  
 Egomet fecisse confiteor, Megaronides.  
 Hem mea tibi malefacta! hem avaritiam meam!  
 Hascine propter res maledicas famas ferunt?

MEGARONIDES.

Pausa. Vicisti castigatorem tuum;  
 Oclusti linguam: nihil est, quod respondeam.

150

CALLICLES.

Nunc ego te quaeso, ut me opera et consilio iuves,  
 Communicesque hanc mecum meam provinciam.

MEGARONIDES.

Polliceor operari.

CALLICLES.

Ergo ubi eris paulo post?

MEGARONIDES.

Domi.

CALLICLES.

Numquid vis?

MEGARONIDES.

Cures tuam fidem.

*Haec, seu sunt etc.* En verba, quae probum hominem, et fidelem amicum produunt.

*Pervorse.* Perperam, male.

*Confiteor.* Proprie de iis, quae dicere pudet.

*Hem mea tibi malefacta!* En peccata mea.

*Hascine propter res maledicas famas ferunt?* Propter hasce res cives maledicam de me famam evulgant. Hac de causa homines mihi obtrectant.

*Pausa. Vicisti castigatorem.* Quiesce, vicisti obiurgatorem tuum.

*Oclusti linguam.* Oclustisti os. Nos: *mi hai turato la bocca.*

*Quaeso . . . . communicasque hanc mecum meam provinciam.* Rogo te, ut particeps fias huius mei muneris. Itali: *ti prego a voler entrare a parte di questa mia faccenda.*

*Ergo ubi eris etc.* Intellige: si hoc verum est; si vere mihi operam tuam polliceris, ubi eris paulo post?

*Numquid vis?* Idem valet ac *numquid aliud?* Formulae, quibus utebantur Romani, quum ab alicuius colloquio discederent. Itali: *Posso io servirti in qualche cosa? l'noi tu altro da me?*

*Cures tuam fidem.* Serves, custodias tuam fidem.



CALLICLES.

Fit sedulo.

155

MEGARONIDES.

Sed quid ais?

CALLICLES.

Quid vis?

MEGARONIDES.

Ubi nunc adulescens habet?

CALLICLES.

Posticulum hoc recepit, quom aedis vendidit.

MEGARONIDES.

Istuc volebam scire. I sane nunc iam.

Sed quid ais? quid nunc virgo? nempe apud te est?

CALLICLES.

Ita est.

Iuxtaque eam curo cum mea.

MEGARONIDES.

Recte facis.

160

CALLICLES.

Num, priusquam abbito, me rogitaturus?

*Fit sedulo. Servo diligenter.**Sed quid ais?* Itac formula utuntur qui sermonem ordiri, vel latius serere cupiunt. Nos: *Ma dimmi?**Habet.* Pro verbo frequentativo *habitat*. Cf. Aulul. Prol. 5.*Posticulum hoc recepit, etc.* Posticulum, diminutum nomen, hoc est parvum posticum, parvam partem aedium posticam. *Recepit*, excepit. Usurpatur latine, quum quis, ceteris venditis, sibi quidpiam excipit. Itali: *Vendendo la casa, si riservò questa piccola parte di dietro.**Hoc. Δικτωσὶ.**I sane nunc etc.* Particula *sane* imperativis maiorem affirmandi vim addit. Nos: *Or vattene pure.**Quid nunc virgo?* Supp. quid agit nunc virgo, Charmidis filia?*Nempe apud te est?* De particula *nempe*, quae in interrogatione usurpatur, vide adnot. ad Mil. III. 3. 48. Italice: *ella è in casa tua, non è vero?**Iuxtaque eam curo cum mea.* Illam curo aeque ac filiam meam.*Abbito.* Frequentativum a verbo *abeo*.*Me rogitaturus?* Supp. *es*.

Nilil est profecto stultius neque stolidius  
 Neque mendaciloquius neque argutum magis  
 Neque confidentiloquius neque periurius,  
 Quam urbani adsidui cives, quos scurras vocant. 165  
 Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho,  
 Qui illorum verbis falsis acceptor fui,  
 Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt;  
 Quod quisque in animo aut habet, aut habiturust sciunt;

*Vale.* Hac voce abeuntem salutabant Romani. Nos: *Addio.*

*Nihil est profecto etc.* Hic Callicles abit e scena; Megaronides autem, ut ingenium est senum ad alios carpendos proclive, in otiosos illos cives invehitur, qui alienis negotiis se immiscentes, rumores in vulgus spargunt, et multa temere effutunt, quae bonorum existimationi officiant. Quae quidem Megaronidis verba ad illos praesertim spectant, qui inimico dente Calliclem carperent, perinde ac si Lesbonicum Charmidis filium bonis omnibus evertisset.

*Nihil est stultius neque stolidius.* Si Valerium Maximum (vl. 9. n° 3 extern.) audiamus, *stultus* et *stolidus* unum atque idem sonare videntur. Ait enim: Cimonis vero incunabula opinione *stultitiae* fuerunt referta: eiusdem imperia salutaria Athenienses sonserunt. Itaque coëgit eos stinporis semetipsos damnare, qui eum *stolidum* crediderant. Verum si optimos scriptores inspiciamus, qui passim utramque vocem coniunctim usurpant, aliquod discrimen notabimus; *stolidum* videlicet ad brutorum naturam magis accedere, atque hominem significare qui fere rationis sit expers, ital. *stupido*, *scimunito*. *Stultum* vero hominem appellari, qui quum possit ratione uti, imprudens tamen non ulitur, ital. *sciocco*. *Stofido* opponitur acutus, callidus; *stulto* providus, prudens.

*Argutum.* In malam partem. Loqnax. Nos: *ciarlonc.*

*Confidentiloquius.* Confidentiloquum appellat noster novo vocabulo hominem, qui impudenter atque audacter loquatur.

*Urbani adsidui cives.* Qui adsidue in urbe commorantur; qui nunquam pedem ex urbe efferunt rusticandi causa.

*Scurras.* Hoc nomine Latini donabant cives, qui adsidue in urbe versarentur, nunquam in agris; fortasse quod essent *sine cura, senza occupazione*. Itaud absurde dicas italice *scioperati, sfaccendati*.

*Atque egomet me adeo.* In hoc loco particula *adeo* vim habet collectivam, et ponitur pro eo quod est *praeterea, adhuc, etiam*.

*Egomet cum illis una ibidem traho.* Ego me ipsum scurris illis adnumero, quippequi tam faciles aures eorum sermonibus accommodaverim, quum Calliclis famam falsis accusationibus lacerarent.

*Qui illorum verbis falsis acceptor fui.* Qui falsa illorum verba approbavi.

|                                                     |     |
|-----------------------------------------------------|-----|
| Sciunt, quid in aurem rex reginae dixerit:          |     |
| Sciunt, quid Iuno fabulata est cum Iove;            | 170 |
| Quae neque futura, neque facta, illi tam sciunt;    |     |
| Falson' an vero laudent, culpent, quem velint,      |     |
| Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, sciant. |     |
| Omnes mortales hunc aiebant Calliclem               | 175 |
| Indignum civitate hac esse vivere,                  |     |
| Bonis qui hunc adolescentem evortisset suis:        |     |
| Ego de eorum verbis famigeratorum, inscius,         |     |
| Prosilui amicum castigatum innoxium.                |     |
| Quodsi exquaeratur usque ab stirpe auctoritas,      | 180 |
| Unde quidque auditum dicant; nisi id adpareat,      |     |
| Famigeratori res sit cum damno et malo;             |     |
| Hoc ita si fiat, publico fiat bono:                 |     |

*Sciunt, quid in aurem rex etc.* Haec quidem noster ex Philemonis *thesauro* deprompsisse videtur. Pertinent enim ad illam aetatem, qua Athenae regibus parent. *In aurem.* Nos: *alPoreeehio, segretamente.*

*Sciunt, quid Iuno etc.* Spectant haec verba ad scurrarum audaciam significandam, vel illa se nosse profitentium, quae in intimis aedium penetralibus dicerentur.

*Tam.* Tamen.

*Falson' an vero.* Iure an iniuria.

*Non flocci faciunt, dum etc.* Nihili pendunt, dummodo etc.

*Quod lubeat, sciant.* In longiore hac enumeratione senis ingenium graphice depictum videmus.

*Indignum civitate hac esse vivere.* Calliclem indignum esso ut viveret in hac civitate. Perperam in veteribus editionibus legitur: *et vivere.* Satis enim poenae Callicli fuisse exilium.

*Bonis... adolescentem evortisset suis.* Adolescentem bonis suis spoliasset.

*Ego de eorum verbis famigeratorum, inscius, etc.* Ego illorum verbis impulsus, qui rumores spargunt, imprudens etc. Nota elegantem locutionis brevitate: *de verbis*, pro vulgari: auctoritate verborum pernotus.

*Prosilui amicum castigatum innoxium.* Festinanter veni ad amicum innoxium castigandum.

*Quodsi exquaeratur etc.* Sensus est: Quod si quaeratur primus auctor, ex quo scurras dicant se omnia audivisse; et nisi id satis pateat, qui rumorem sparsit damno multetur; hoc si fiat, publico fiet bono.

*Usque ab stirpe.* Usque ab origine.

*Famigeratori res sit cum damno etc.* Famigerator damnum et malum pati debeat.

Pauci sint faxim, qui sciant, quod nesciunt,  
Occlusioremque habeant stultiloquentiam.

*Faxim.* Ἀρχαίως. *Faciam.*

*Occlusiorem habeant stultiloquentiam.* Minus stulte loquantur. Haud ita facile stulte loquantur.

## ACTUS II.

## SCENA I.

## L Y S I T E L E S.

Multas simitu res in meo corde vorso;  
 Multum in cogitando dolorem indipiscor;  
 Ego me et concoquo et macero et defatigo;  
 Magister mihi exercitor animus hinc est:  
 Sed hoc non liquet, neque satis cogitatum est,  
 Utram potius harunc mihi artem expetessam,

5

*Multas simitu res etc.* Vides, lector, in hac scena Lysitelem adolescentem honesto loco natum, qui incertus utrum vitii an virtutis viam ingrediatur, praesertim vero utrum amori et voluptatibus sese dedat, an frugi et severam vitam exoptet, secum ipse rem diligenter expendit; disputat quid suavitatis, quid molestiae in amore insit, et meliorem tandem partem sequi constituit. In quo quidem Lysitelis soliloquio in primis animadvertendum puto, quam ingeniose poeta se ad naturam composuerit, dum blanditias depingit, quibus amicae cuculos irretire consueverunt, ut numos ab ipsis exprimant.

*Simitu.* Archaism. Simul.

*Multum in cogitando dolorem indipiscor.* Multum dolorem ex cogitationibus meis percipio.

*Me et concoquo et macero.* Transl. Me absumo et crucio.

*Magister mihi exercitor.* Animus mihi ex hac parte magister est me exercens, hoc est agitans, vexans.

*Non liquet.* Hac formula utebantur iudices apud Romanos, quum ipsis satis non constaret de causa, ac propterea nescirent, utrum absolvendus an damnandus esset reus. Translate: hoc non est plane perspectum, cognitum. Itali: *questo non è chiaro*.

*Satis cogitatum.* Satis mediatum, animadversum.

*Utram... artem expetessam.* Utrum vilae institutum expetam, eligam.

Utram aetati agundae arbitrer firmiorem:

Amorine me an re obsequi potius par sit;

Utra in parte plus sit voluptatis vitae

Ad aetatem agendam.

10

De hac re mihi satis haud liquet; nisi hoc sic faciam, opinor:

Vtramque rem simul exputem; iudex sim, reusque ad eam rem.

Ita faciam! ita placet!

Omnium primum Amoris artis eloquar, quemadmodum expediant.

Nunquam Amor quemquam nisi cupidum hominem postulat se in

plagas 15

Coniicere; eos cupit, eos consecatur; subdole blanditur,

Blandiloquentulus; ab re consulit, harpago, mendax, cuppes,

avarus,

Elegans, despoliator, latebricolarum hominum corruptor

Blandus, inops, celati indagator: nam quomodo quis adamat,

*Aetati agundae.* Ad vitam agendam.

*Firmiorem.* Diuturniorem, commodiorem.

*Amorine me an re etc.* Utrum magis deceat me amori operam dare, an divitiis comparandis.

*Utra in parte etc.* Utra in parte plus voluptatis sit ad vivendum.

*De hac re mihi etc.* Nos: *In questo non ci veggo den chiaro.*

*Nisi hoc sic faciam, opinor.* Nisi, ut ego opinor, hoc sic fecero.

*Exputem.* Pro futuro, exputabo. Perpendam.

*Iudex sim.* Iudex ero.

*Ad eam rem.* In hac re.

*Amoris artis eloquar, quemadmodum expediant.* Considerabo quemadmodum Amoris artes prosint.

*Quemquam nisi cupidum hominem postulat se in plagas coniicere.* Postulat, ut quisquam se in retia couiciat, nisi volens.

*Eos cupit.* Eos ambit.

*Ab re consulit.* Ea suadet, quae sunt damno.

*Harpago.* Rapax, a graeco verbo ἁρπάζω, rapio.

*Cuppes.* Gauco, deluo, cupidus. Itali: *ghiottonc.*

*Elegans,* ab eligendo dictus, beic in malam partem usurpatur. Qui studiosius ea conquirat, quae ad amoenum vitae cultum pertinent. Italice: *avido di delicateure.*

*Latebricolarum hominum.* Hominum, qui in latebris otiantes vitam ducunt.

*Inops.* Metonymice. Amatores enim saepe ad inopiam redigunt amicae. *Inops* latius patet quam *pauper* et *egens.*

*Celati indagator.* Secretorum indagator.

*Quomodo.* Quocumque modo.

Quom sagittatis extemplo saviis percussus est,  
Eloco res foras labitur, liquitur.

20

« Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes! »

Ibi cuculus ille: « Ocelle mi, fiat et istuc, et si

Amplius vis dari. » Ibi pendentem ferit illa: iam amplius orat:

Non sat id est mali, quod ecibit, quod comest, quod facit sumti, 23

Ni amplius etiam datur mox.

Ducitur familia tota: vestiplici, unctor, auri custos,

*Extemplo.* Statim, illico. Ex Vossii sententia idem est atque *ex tempore*, a voce *tempus*, cuius diminutivum est *tempulus* vel *tempulum*. Adverbii *επιμαρ* alii petunt a voce *templum*, propterea quod augures, visis auspiciis, statim surgerent ex templo. Hoc vocabulum semel tantummodo usurpavit Tullius in orationibus, Terentius bis, saepissime vero Plautus, qui interdum scripsit etiam *extempulo*.

*Sagittatis... savius.* Osculis, quae instar sagittae animum pervadunt ac feriant. *Savium* vel *suavium* proprie dicitur de osculo libidinoso.

*Eloco.* Graeci *αεθδεν*. Statim, e vestigio. Falso nonnulli arbitrantur esse antiquam formam adverbii *illico*.

*Res foras labitur, liquitur.* Res familiaris dilabitur, absumitur.

*Da mihi hoc, etc.* Mellita amicae verba, nummulos ab amatore experimentis.

*Mel meum.* Vox blande potentis. Nos: *mia dolcezza*.

*Si audez.* Hinc conflatum est vocabulum *sodes*, quod idem valet ac *quaero, amabo*. Itali: *di grazia, se vuoi, se ti piace*.

*Ibi cuculus ille.* Translate ponitur *cuculus* de stupido amatore. Nos: *allora il baccellone*.

*Ocelle mi.* Vox blandientis. Boccaccius: *Luce degli occhi miei, anima mia, cuor del corpo mio*.

*Amplius vis dari.* Malora vis tibi dari.

*Pendentem.* Incertum, dubium; vel vinctum, illigatum, translatione ducta a servis, qui ad trabem alligati, ne possent oblectari, pendentem a dominis verberabantur.

*Ferit.* Translate. Donum petit. Nostrates eodem sensu: *gli dà la stoccata*.

*Amplius orat.* Plura petit.

*Non sat id est mali, etc.* Corruptus locus heic nobis obversatur, in quo diu multumque se torserunt interpretes, ut genuinam lectionem requirerent. Sed quom diversi omnes abierint, unus omnium rem acutius videtur Fridericus Bothius, quem ipsi sequimur. Sensus igitur erit: Non satis est damnus, quod amatori offert meretrix bibendo, edendo et sumis sibi necessarios faciendo; ulsi mox plura etiam illi dentur. Ducitur in cuculi domum tota famulorum cohors, quam ipse alat et vestiat.

*Vestiplici, unctor, etc.* Enumerantur hic meretricis servi ab amatore alendi. Et primo quidem *vestiplici* sic dicti a vestibus plandis, italice:

Flabelliferae, sandaligerulae, cantrices, cistellatrices,  
Nuntii, renuntii, raptores panis et peni.

Fit ipse, dum illis comis est, inops amator.

Haec ego quom ago cum meo animo et recolo, ubi qui eget,  
quam prett sit parvi:  
Apage te, Amor! non places! nil te utor, quamquam illuc est  
dulce.

*quelli che hanno cura delle vesti.* Deinde *unctor*, cuius officium erat in balneis lavantium membra ungere.

*Flabelliferae.* Ancillae, quae flabellum ferunt et ventilationem faciunt.

*Sandaligerulae.* Quae dominae sandalia gerunt et praebent. Sandaliorum nomine intellige elegans feminarum calceamentum, auro plerumque distinctum.

*Cantrices*, seu psaltriae, a canendo dictae. In lautiorum hominum familia erant etiam mulieres, quae non modo fidium cantu, sed et voce ac mollioribus gesticulationibus oblectabant, et adhibebantur praesertim in conviviis deliciarum causa. Huismodi puellae Gadibus ut plurimum Romam ventitabant. Hasce *Gaditanas*, lascivis modis saltare et canere peritas, memorat Plinius in epistola 15 libri I ad Septicium Clarum.

*Cistellatrices.* Quae dominae cistellas servant. Cistellarum autem nomine intellige arculas (ital.: *cassette*), in quibus feminae illa reponere consueverunt, quae ad mundum muliebrem pertinent.

*Nuntii, renuntii.* Duabus hisce vocibus idem servus significatur, herae nuntium ferens et referens. Ludit autem more suo Plantus paronomasia.

*Raptores panis et peni.* Paronom. Peni nomine donantur cibi ad quotidianum victum necessarii.

*Dum illis comis est.* Liberalis est. Nos: *mentre largheggia con loro.*

*Ago.* Pro frequentativo agito. Considero.

*Recolo.* Repento, meditor.

*Ubi qui eget, quam... parvi.* Quam parvi aestimetur ubi quis ad inopiam est redactus. Siquis enim rem omnem familiarem absumsisset, tribu motus in ultimam civium classem referebatur, quos *aerarios* appellabant, propterea quod pro suo capite, tributum nomine aera penderent. *Aerarii* vero privabantur iure suffragii, et dignitatibus, si quas haberent, spoliabantur.

*Apage te.* Subandi: mecum ipse sio, exclamo. Vide adnotat. ad Mil. II. 2. 56. Hanc formulam praeter comicos poetas, ii tantum usurpabant qui in epistolis et in dialogis sermonem imitabantur familiariter colloquentium. Apud Tullium nusquam occurrit. Coniungitur interdum cum particula *sis*.

*Nil te utor.* Formula, qua aliquem amovemus, cuius ope non indigemus. Itali: *non ho bisogno di te; non so che farmi di te.* Sic: *condizione tua non utor* erat formula, qua dissolvebantur sponsalia.

*Illuc.* Arch. Illud.



Esse et bibere Amor amara dat, tibi satis quod sit aegre:

Fugit forum; fugat tuos cognatos; fugat ipse se a suo conuultu.

(Neque enim cum sibi amicum voluit dici.)

35

Mille modis amor ignorandus, procul adhibendus, abstinendus,

Nam qui in amorem praecipitavit, peius perit, quam si saxo saliat.

Apage, sis, Amor! tuas res tibi habe, Amor! mihi amicus ne fuas  
unquam!

Sunt tam, quos miseros maleque habeas, tibi quos obnoxios fecisti.

Certum est ad frugem animum adplicare,

40

Quamquam ibi animo labos grandis capitur.

Boni sibi haec expetunt; rem, fidem, honorem,

Gloriam et gratiam.

Hoc probis pretium est. Eo mihi mage lubet

*Esse et bibere Amor etc.* Ex Bothii sententia rursus a vulgatis editionibus recedimus. Sensus est: Amor amara dat ad edendum et bibendum, quae tibi satis displiceant. Ubi, Graecorum more, usurpat Plautus modum infinitivum *esse et bibere* pro gerundiis. Item Graecorum seculus, coniungit pronomen relativum *quod* numeri singularis cum vocabulo *amara* numeri multitudinis. Hac de re cf. adnotat. ad Auln. III. 8. 28.

*Fugit forum.* Non amat versari in publico; refugit a publicis officiis.

*Fugat ipse etc.* Ipse se fugat a suo adspectu. Quibus verbis Plautus graphice Amoris naturam expressit, recessum et solitudinem admittant.

*Ignorandus.* Negligendus est.

*Procul adhibendus.* Amovendus est.

*Abstinendus.* Ab amore est abstinendum.

*In amorem praecipitavit.* In amorem praecipitem cecidit.

*Si saxo saliat.* Si e rupe se praecipitem deiciat. Sunt qui putent, subaudiendam esse vocem *tarpeio*.

*Sis.* Si vis. Saepe coniungitur cum imperativis ad imperium quodammodo leniendum. Cum verbis numeri multitudinis scribimus *vultis*, hoc est *si vultis*.

*Tuas res tibi habe.* Solemnis formula divortii faciendi apud Romanos. Hoc est: res tuas tecum aufer et discede. Nos: *pigliati le cose tue, e vattene*. Hic translate ponitur a Lysitele Amorem a se amovente.

*Fuas.* Arch. Sis.

*Sunt tam, etc.* Sunt tamen. Etiam si ad partes tuas non transeam, non deerunt tamen tibi quos miseros facias.

*Certum est ad frugem etc.* Destinatum mihi in animo est ad rectam vivendi rationem me adplicare.

*Quamquam ibi etc.* Quamquam in hac vitae ratione magni labores sunt exantlandi. Siquidem vincendae sunt pravae animi cupiditates.

*Rem.* Opes, divitias.

*Hoc probis pretium est.* Hoc probis vitae laudabiliter actae praemium est.

Cum probis potius quamde cum improbis  
Vivere vanidicis.

ACTUS II. - SCENA II.

PHILTO, LYSITELES.

PHILTO.

Quo illic homo foras se penetravit ex aedibus?

LYSITELES.

Pater; adsum.

Impera, quod vis: neque tibi ero in mora, neque me latebrose  
Abs tuo conspectu occultabo.

PHILTO.

Feceris par tuis ceteris factis,  
Patrem si percoles tuom per pietatem.

*Quamde.* Arch. Quam.

*Vanidicis.* Vata loquentibus, mendacibus.

Non in Callicle solum expressit Plautus amici benevolentis imaginem, sed etiam in Lysitele, qui in hac scena a Philtone patre petit, ut sibi liceat indotatam uxorem ducere Charmidis filiam. Quod quidem testatur, se esse facturum, ut afflicta rebns subveniat Lesbonicis, amici et aequalis sui, qui per comitatem, ut ipse ait, atque animi causa paternas opes absumperat. Lysitelis petitioni primo refragatur Philto; sed tandem filii precibus victus, eius proposito assentitur. In hac scena commode etiam effluxit poeta mores patris amantiissimi a saeculi licentia filium amoventis.

*Illic.* Arch. Ille.

*Quo illic homo foras se penetravit ex aedibus?* Quonam, domo egressus, ille se coniecit? Itali: *Dove mai si è cacciato colui?* Haec scum ipse loquitur Philto filium quaerens, quem domi non invenerat.

*Adsum.* Nos: *ecco mi.*

*Neque tibi ero in mora.* Neque ullam moram interponam.

*Latebrose.* In latebris.

*Abs tuo.* Praepositio *abs* fere nsurpatur ante voces, quarom prima littera est *q* vel *l*.

*Feceris par etc.* Rem facies dignam ceteris tuis factis.

*Patrem si percoles tuom per pietatem.* Si patrem cultu, obsequio et pietate prosequeris. Nos: *se usurai col padre ossequio e rispetto.* *Per pietatem*, pro ablativo pietate.

Nolo ego cum improbis te viris, gnate mi,  
 Neque in via, neque in foro ullum sermonem exsequi.  
 Novi hoc seclum ego, moribus quibus sit. Malus bonum malum  
 esse volt, ut  
 Sit sui similis; turbant, miscent mores mali, rapax; avarus,  
 Invidus; sacrum profanum, publicum privatum habent, 10  
 Hiulca gens. Haec ego doleo; haec sunt, quae med excruciant;  
 Haec dies noctisque tibi canto ut caveas.  
 Quod manu nequeunt tangere, tantum fas habent, manus quo  
 abstineant;  
 Cetera rape, trahe, fuge, late! Lacrimas haec mihi, quom video,  
 eliciunt,  
 Quia ego ad hoc genus duravi hominum. Quin prius me ad pluris  
 penetravi? 15  
 Nam hi maiorum mores laudant; eosdem lutulant, quos conlaudant.

*Sermonem exsequi.* Sermonem instituere.

*Hoc seclum.* Eleganter ponitur pro hominibus hoc seculo viventibus.

*Bonum. Supp. hominem.*

*Turbant, miscent mores etc.* Mali mores, homines rapaces, avari, invidi turbas et seditiones concitant.

*Sacrum profanum, etc.* Gens avida, hianti ore praedam appetens, sacra habet tamquam profana, publica tamquam privata. Nos: *un' avida genia tratta le cose sacre come profane, le publiche come le private.*

*Haec ego doleo; haec sunt, etc.* Itali: *Questo è il mio dolore; questo il mio tormento.*

*Haec... tibi canto.* Haec frequenter in ore habeo, tibi inculco.

*Tantum fas habent, manus quo abstineant.* Hoc solum habent tamquam sacrum, a quo manus abstineant, quod manu nequeunt tangere.

*Cetera rape, trahe, fuge, late!* Notanda Plautina prosopopoeia, quae improbi inducuntur ad vitia se invicem cohortantes. Quae quidem loquendi ratio et dialogum varietate distinguit, et audientes iucundius afficit, quam si noster usitato more scripsisset: Cetera rapiunt, auferunt, postea vero fugiunt et latent.

*Quia ego ad hoc genus duravi hominum.* Quia ad corruptam hanc aetatem sum reservatus.

*Quin prius me ad pluris penetravi?* Cur prius ad plures non abii, non decessi? *Pluris* per euphemismum pro *mortuis*. Quae locutio a Graecis primum profecta, in italicam etiam linguam pervasit.

*Hi.* Improbi aetatis nostrae homines.

*Maiorum mores laudant; eosdem lutulant.* Maiorum mores laudant intereadum eos maculant.

Hisce ego de artibus gratiam facio, ne colas, ne inbuas iugenium.  
 Meo modo moribus vivo antiquis; quae ego tibi praecipio, ea  
 Nihil ego istos moror fatuos mores facito.

Turbidos, quos boni dedecorant se.

20

Haec tibi si mea imperia capesses, multa in pectore bona consistent.

LYSITELES.

Semper ego usque ad hanc aetatem ab ineunte adulescentia  
 Tuis servivi servitute imperiis, praeceptis, pater.

Pro ingenio ego me liberum esse ratus sum; pro imperio tuom.

Meum animum tibi servitute servire, aequom censui.

25

PHILTO.

Qui homo cum animo inde ab ineunte aetate depugnat suo,

Utrum ita se esse mavelit, ut eum animus aequom censeat,

An ita potius, ut parentes eum esse et cognati velint;

Si animus hominem pepulit, actum est: animo servit, non sibi;

*Hisce ego de artibus etc.* Facile patior, te hisce artibus ingenium tuum non excolere et imbuere. Itali: *Sono contento, che tu ecc. Ars*, tum in bonam tum in malam partem ponitur, de virtutibus pariter ac de vitiis.

*Moribus antiquis.* Bonis. Quam homines antiqui simplicioribus et sanctioribus moribus praediti fuisse credantur, factum est, ut *antiquus pro bono et laudabili usurpetur.*

*Nihil ego istos moror.* Nolo ego istos fatuos mores. Italice: *Non mi piacciono questi sciocchi costumi.* Nota senis ingenium graphice a poeta expressum.

*Quis. Arch.* Quibus.

*Si mea imperia capesses.* Si mandata mea exsequeris.

*Tibi multa in pectore bona consistent.* Multis bonis perfrueris.

*Servivi servitute.* *Obtemperavi.*

*Imperiis, praeceptis.* Imperium gravius et severius est; *praeceptum* lenius, mitius, fere cum monitione ac doctrina conjunctum. Nos: *ai tuoi ordini ed alle tue istruzioni.*

*Pro ingenio... pro imperio.* Ad indolem... ad imperium quod atinet. Cum animo suo. Cum cupiditatibus suis, cum libidine sua.

*Depugnat, utrum mavelit.* *Luctatur cum animo suo, visurus utrum mavelit.*

*Utrum animus aequom censeat.* Uti animus censet, oportere eum esse.

*Parentes... et cognati.* Nos: *i genitori ed i parenti.*

*Si animus hominem pepulit.* Si libido animum percussit, commovit, devicit. Itali: *se la passione sconfigge l'uomo.*

*Actum est.* Modus proverbialis, qui in re desperata semper usurpatur. Nostrates: *la cosa è finita; non vi ha più speranza.*

Si ipse animum pepulit, dum vivit, victor victorum cluet. 30  
 Tu si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeas.  
 Nimio salius est, ut opust, te ita esse, quam ut animo lubet.  
 Qui animum vincunt, quam quos aumus, semper probiores cluent.

LYSITELES.

Istaec ego mihi semper habui aetati tegumentum meae,  
 Ne penetrarem me usquam, ubi esset damni conciliabulum, 35  
 Ne noctu irem obambulatum, neu suum adimerem alteri.  
 Ne aegritudinem tibi, pater, parerem, parsi sedulo.  
 Sarta tecta tua praecepta usque habui mea modestia.

PHILTO.

Quid exprobras, bene quod fecisti? Tibi fecisti, non mihi.  
 Mihi quidem aetas acta est ferme; tua istuc refert maxime. 40  
 Benefacta benefactis aliis perlegito, ne perpluant.

*Victor victorum cluet.* Victor victorum nominatur. Clueo a graeco verbo *κλυω*, ponitur pro eo quod est *dicor, nominor, etc.*

*Ut opust.* Uti decet.

*Qui animum vincunt.* Morata oratio senis, eandem sententiam aliis atque aliis verbis efferentis.

*Tegumentum.* Tutelam, praesidium.

*Penetrarem me. Coniicerem me, ingrederer.*

*Damni conciliabulum.* Intellige damnosas societates, praesertim vero ganeas, ubi meretrices et amatores conciliantur, vel etiam ipsa lupanaria et prostibula. Cf. Bacchid. I. t. 47.

*Irem obambulatum.* Circum ambularem, hinc atque illic discurrerem. Nos: *andassi attorno.*

*Parsi sedulo.* Diligenter cavi.

*Sarta tecta etc.* Metaphora ab aedificiis translata, quae *sarta tecta* appellantur, quum sunt integra et in parietibus et in tecto. Hec Lysiteles: Mea modestia, pater, tua praecepta integra semper atque inviolata servavi.

*Modestia.* Hic ponitur pro virtute, qua homines in omni vita modam et pudorem sic servant, ut dictis aut factis nunquam legitimos fines excedant.

*Quid exprobras?* Cur exprobras quod bene fecisti; quasi beneficium in me contuleris?

*Mihi quidem aetas etc.* Equidem vitae meae cursum ferme peregi; utilitas maxime tua agitur.

*Benefacta benefactis aliis perlegito, ne perpluant.* Allegoria ex imbre translata, qui largior interdum et repentinus per rariores tegulas penetrat et lavat parietes. Sensus est: Benefacta benefactis cumula, lisdemque animum probe perlegito, ne quid vitii in illum ingrediatur.

Is probus est, quem poenitet, quam probus sit et frugi bonae;  
 Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est, nec frugi bonae;  
 Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriae.

LYSITELES.

Ob eam rem haec, pater, autumavi, quia res quaedam est, quam  
 volo 45

Ego me abs te exorare.

PHILTO.

Quid id est? Veniam dare iam gestio.

LYSITELES.

Adulescenti huic genere summo, amico atque aequali meo,  
 Minus qui caute et cogitate suam rem tractavit, pater,  
 Bene volo ego illi facere, si tu non nevis.

PHILTO.

Nempe de tuo?

LYSITELES.

De meo: nam quod tuum est, meum est: omne meum est autem  
 tuum. 50

*Is probus est, quem poenitet.* Ille probus est dicendus, qui etiamsi bonus sit et frugi nunquam tamen sibi satis placet, et se probiorem facere studet. Cf. Aulul. III. 7. 90; Mil. III. 1. 42; Stich. IV. 1. 4. Itali: *Quegli è veramente buono, il quale non è mai contento della sua bontà e virtù.* In veteribus editionibus perperam legitur: *Quem non poenitet.*

*Qui ipsus sibi satis etc.* Eu senis orationem diutius in eadem sententia commorantis.

*Qui ipsus se contemnit.* Qui de se superbe non sentit, optima indole est praeditus.

*Autumavi.* Dixi. Purgat se Lysiteles, quod videatur se ipsum laudasse.

*Exorare.* Petere, obtinere.

*Veniam dare iam gestio.* Vehementer iam cupio id tibi concedere. Cf. Cic. ad Att. VI. 9: *Impetravi a Salaminis ut silereat: veniam illi quidem mihi dederunt.*

*Adulescenti huic.* *Aetatis.*

*Aequali.* Eiusdem aetatis.

*Minus qui caute et cogitate suam rem tractavit.* Minus caute et prudenter rem suam familiarem administravit. Haec notandus Lysitelis euphemismus, qui Lesbionici amici prodigaliter verborum lenitate mitigavit. Quo facto Lysiteles mores servat amici sinceri et studiosissimi.

*Illi.* *Blasphemias.* Quos quidem pleonasmos saepe usurpant qui familiariter inter se loquuntur.

*Nempe de tuo?* V. adnot. ad Mil. III. 3. 48.

PHILTO.

Quid is? egeine?

LYSITELES.

Eget.

PHILTO.

Habuitne rem?

LYSITELES.

Habuit.

PHILTO.

Qui eam perdidit?

Publicisne adfinis fuit an maritimis negotiis?

Mercaturamne an venalis habuit, ubi rem perdidit?

LYSITELES.

Nihil istorum.

PHILTO.

Quid igitur?

LYSITELES.

Per comitatem edepol, pater;

Praeterea aliquantum animi causa in deliciis disperdidit.

55

PHILTO.

Edepol hominem praedicatum ferme familiariter,

*Quid is?* Supp. agit. In quam vitae conditione versatur?

*Rem. Opes.*

*Qui? Quomodo?*

*Publicisne adfinis fuit etc.* Adfinis rei ponitur translate pro eo quod est rei particeps, consocius. Utrum publicis an maritimis se immiscuit negotiis?

*Mercaturamne an venalis habuit?* Utrum mercaturam factitavit, an servos venales habuit? Hoc est: Utrum mercator an venalicius fuit? Nos: *Fu egli mercante o venditore di schiavi? Venale* pro venaleis, in casu accusativo.

*Nihil istorum.* Supp. actum est, accidit.

*Per comitatem.* Ob largiendi facilitatem, ob nimiam liberalitatem.

*Animi causa.* Animi relaxandi causa. Itali: *per divertirsi*.

*Edepol hominem praedicatum familiariter.* Eo pertinent haec Philtonis verba, ut ironice et quasi ridendo Lysitelem filium reprehendat, qui mitioribus omnino verbis causam significasset, quae Lesbonicum amicum ad Inopiam redegerat. Profecto, ait, amicis atque humanissimis verbis hominem commemorasti, qui etc. Itali: *Affè che tu hai parlato molto amichevolmente di un uomo, che ecc.*

Qui quidem nusquam per virtutem rem confregit, atque eget!  
 Nil moror eum tibi esse amicum cum eiusmodi virtutibus.

LYSITELES.

Quia sine omni malitia est, tolerare egestatem eius volo.

PHILTO.

De mendico male meretur, qui ei dat, quod edit aut bibit: 60  
 Nam et illuc, quod dat, perdit, et illi prodit vitam ad miseriam.  
 Non eo dico, quin, quae tu vis, ego velim et faciam lubens;  
 Sed ego hoc verbum quom illi quoidam dico, praemonstro tibi:  
 Ut ita te aliorum miserescat, ne tui alios misereat.

LYSITELES.

Deserere illum et deiuvare in rebus advorsis pudet. 65

PHILTO.

Pol pudere quam pigere praestat, totidem literis.

LYSITELES.

Edepol deum virtute dicam, pater, et maiorum et tua

*Qui quidem nusquam per virtutem etc.* Qui opes suas in nulla re honesta absumpsit, et tamen eget.

*Nil moror.* Non placet.

*Cum eiusmodi virtutibus.* *Esportazioni.*

*Sine malitia.* Sine fraude et fallacia.

*Tolerare egestatem eius.* Sustentare, levare illius egestatem.

*De mendico male meretur.* Nos: *Rende un cattivo servizio al mendico.*

*Quod edit.* Archaismus Plauto per familiaris. Quod edat.

*Illi prodit vitam ad miseriam.* Miseriam illius vitam producit, propagat.  
 Nos: *prolunga l'infelicità della vita di lui.*

*Non eo dico, quin etc.* Haec non loquor, quod nolim ea libenter facere quae cupis.

*Hoc verbum quom illi quoidam dico, etc.* Quum ita de Lesbionico loquor, volo te monere, ut aliorum inopiam sic iuves, ut tamen ad egestatem te non redigas.

*Deiuvare.* Non iuvare.

*Pol pudere quam pigere praestat, totidem literis.* Satius est pudere quam pigere; quum utrumque verbum totidem litteris constet. Comicus iocus, quom nequicquam ad italicam linguam transferas. Ital.: *meglio aversi a vergognare, che aversi da pentire; dacchè l'uno e l'altro di questi verbi (pudere, pigero) è composto di egual numero di lettere.*

*Deum virtute.* Gratia et auxilio deorum. Nos: *per grazia, per l'aiuto degli dei.*



Multa bona bene parta habemus: bene si amico feceris,  
Ne pigeat fecisse; ut potius pudeat, si non feceris.

PHILTO.

De divitiis magnis si quid demas, plus fit, an minus? 70

LYSITELES.

Minus, pater; sed civi immuni scis quid cantari solet?  
Quod habes, ne habeas, et illuc, quod nunc non habes, habeas,  
malum:

Quandoquidem nec tibi bene esse potes pati, neque alteri.

PHILTO.

Scio equidem istuc ita solere fieri; verum, gnate mi,  
Is est immunis, quoi nihil est, qui munus fungatur suum. 75

LYSITELES.

Deum virtute habemus, et qui nosmet ntamur, pater,  
Et aliis qui comitati simus benevolentibus.

PHILTO.

Non edepol tibi pernegare possum quidquam, quod velis.  
Quoius egestatem tolerare vis? Loquere audacter patri.

LYSITELES.

Lesbonico huic adolescenti, Charmidai filio, 80  
Qui illic habitat.

PHILTO.

Qui comedit, quod fuit, quod non fuit?

*Bona bene.* Paronom. *Bene*, hoc est bonis artibus.

*Ut potius.* Supp. *ita*.

*Immuni.* Inofficioso, illiberali, avaro, odioso. V. adnot. ad 1. 1. 2.

*Civi immuni scis quid cantari solet?* Scisne quid soleat diciitari ad-  
versus civem avarum?

*Quod habes, ne habeas, etc.* Utinam bona tibi auferantur, quae nunc  
possides, et malis torquearis, quae non habes!

*Is est immunis.* Is est odiosus.

*Comitati simus benevolentibus.* Simus comes, munifici erga benevolentes.

*Pernegare.* Omnino negare.

*Audacter.* Hic ponitur in bonam partem pro eo quod est fidenter. Lo-  
quere audacter patri. Nos: *Dillo francamente, senza timore al padre.*

*Charmidai.* Gracca diphthongus ai, quae respondet latinae ae.

*Qui comedit, etc.* Qui omnia obligurivil.

## LYSITELES.

Ne opprobra, pater: multa homini eveniunt, quae vult, quae nevolt.

PHILTO.

Mentire edepol, gnate, atque id nunc facis haud consuetudine;

Nam sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi:

Eo ne multa, quae nevolt, eveniunt, nisi fictor malust.

85

LYSITELES.

Multa est opera opus ficturae, qui se fictorem probum

Vitae agundae esse expetit; sed hic admodum adolescentulus.

PHILTO.

Non aetate, verum ingenio apiscitur sapientia.

Sapientia aetas condimentum est; sapiens aetati cibust. —

Agedum, eloquere, quid dare illi nunc vis.

*Multa homini eveniunt, quae vult, quae nevolt.* Multa homini eveniunt etiam praeter voluntatem.

*Id nunc facis haud consuetudine.* Itali: ora non parti secundo il tuo solito costume.

*Nam sapiens etc.* In veteribus editionibus admodum corruptus est Plautinus hic locus, in quo et versus perperam sunt collocati, et personarum nomina locis non suis posita. In editione taurinensi an. m. dccc. xxiii, quam potissimum sequimur, omnia sic emendavit Bothius, ut germanum, aut saltem probabilem, inde sensum liceat exculpere.

*Pol.* Per deum Pollucem. Profecto.

*Eo ne multa, etc.* Idcirco haud multa sapienti eveniunt, quae non vult, nisi ipse malus sit faber fortunae suae; hoc est nisi ipse malam sibi fortunam fugat. Allegoria ex arte figulina.

*Multa est opera opus etc.* Multa industria et cura illi opus est in lingo, qui cupiat sibi rationem fingere vitae laudabiliter degendae.

*Sed hic.* Supp. est.

*Apiscitur.* Acquiritur.

*Sapientia.* Hic ponitur pro scientia rerum expetendarum et fugiendarum. Italice: *il senno, il giudizio.*

*Sapientia aetas condimentum etc.* Quam Lysiteles voluisset Lesbionici vitia excusatione adolescentiae defendere, Philto respondet, non aetatem, sed optimam cuiusque indoleri esse causam sapientiae. Et quo clarius sententiam suam significet, uti comicorum mos est, similitudine utitur depromta ex re culinaria. Aut autem: Ipsa sapientis natura est tamquam cibus; aetas est veluti condimentum. tamvero quemadmodum condimentum per se cibum facere nequit, sed illi saporem tantummodo conciliat, eumque meliorem reddit; ita non aetas quidem sapientem facit, sed ingenitam sapientiam solum perficit.

*Agedum.* De vocabulo *age* vide adnot. ad Aulul. I. 1. 1.

LYSITELES.

Nil quidquam, pater; 90

Tu modo ne me prohibeas accipere, si quid det mihi.

PHILTO.

An eo egestatem ei tolerabis, si quid ab illo acceperis?

LYSITELES.

Eo, pater.

PHILTO.

Pol ego istam volo me rationem edoceas.

LYSITELES.

Licet.

Scin' tu illunc, quo genere gnatus sit?

PHILTO.

Scio, adprime probo.

LYSITELES.

Soror illi est adulta virgo grandis: eam cupio, pater,  
Ducere uxorem.

100

PHILTO.

Sine dote?

LYSITELES.

Sine dote.

PHILTO.

Uxoremne?

LYSITELES.

Ita:

Tua re salva, Hoc pacto ab illò summam inibis gratiam,

*An eo egestatem etc.?* An illius egestatem levabis hoc modo; quidpiam videlicet ab illo accipiendo?

*Licet.* Apud Plautum saepe colloquentis assensum significat. Faciam quod a me petis. Cf. *Most.* 11. 1. 55; *Pseud.* 1. 3. 22; *Rud.* 1v. 6. 8.

*Adprime probo.* Optimo, honestissimo.

*Grandis.* Aetate provecta. Cf. *Aulul.* 11. 9. 14.

*Ita.* Particula respondentis cum affirmatione. Itali: *Sì.*

*Tua re salva.* Nos: *senza tuo danno.*

*Ab illo.* Lesbónico.

Neque commodius ullo pacto ei poteris auxiliarier.

PHILTO.

Ego indotatam ted uxorem ut patiar . . . ?

LYSITELES.

Patiundum est, pater;

Et eo pacto addideris nostrae lepidam famam familiae.

105

PHILTO.

Multa ego possum docte dicta et quamvis facunde loqui:  
 Historiam veterem atque antiquam haec mea senectus sustinet;  
 Verum ego quando tē et amicitiam et gratiam in nostram domum  
 Video adlicere, etsi advorsatus tibi fui, istac iudico:  
 Tibi permitto; posce; duce.

LYSITELES.

Di te servassint mihi!

110

Sed adde ad istam gratiam unum.

PHILTO.

Quid id est autem unum?

LYSITELES.

Eloquar.

*Commodius. Melius.*

*Auxiliarier. Παραθύρη.*

*Ego indotatam ted uxorem ut patiar . . . ?* Ἀποσώπηση. Particula ut in-servit indignationi. Nos: *Che io soffra, che tu pigli una moglie senza dote?*

*Lepidam famam. Houestam famam. Itali: una bella fama.*

*Docte et quamvis facunde. Multum docte et facunde.*

*Historiam veterem et antiquam sustinet. Tenet, scilicet historiam veterem et vetustissimam. Antiquus plus est quam vetus. Quare quum utrumque vocabulum coniunctim usurpatur, antiquus posteriore semper loco ponitur. Nos: questa mia vecchiezza conosce la storia antica e l'antichissima.*

*Quando te et amicitiam et gratiam etc. Quoniam video, te amicitiam et gratiam conciliare domui nostrae.*

*Istac iudico. Ad sententiam tuam accedo. Iudico ex sententia tua. Itali: la penso come te.*

*Tibi permitto; posce; duce. Tibi permitto uxorem indotatam; illam posce et duce. Duce. Arch.*

*Servassint. Ἀρχαίων. Servaverint, servent. Locutio comiter respondentis et gratias agentis.*

Tu ad eum afeas: tu concilies: tute poscas.

PHILTO.

Eccere!

LYSITELES.

Nimio citius transiges; firmum omne erit, quod tu egeris.

Gravius tuom erit unum verbum ad eam rem, quam centum mea.

PHILTO.

Ecce autem in benignitate hoc reperi negotium! —

115

Dabitur opera.

*Tu concilies.* Conciliare proprie de nuptiis et amoribus dicitur. Hinc amorum et nuptiarum *conciliator* est Latinis internuncius, qui se medium interponit, ut nuptiae et amores iungantur.

*Eccere!* De hoc vocabulo disserentes, diversi abierunt veteres grammatici, quorum opiniones omnes in medium afferre otiosum plane foret. Illi vero potissimum falsi sunt, qui in huiusce nominis notatione confugiunt ad *aedem Cereris*. Quibus miror etiam *Forcellinium* nostrum esse adstipulatam. Ad nos quod attinet, satis sit dicere, hanc particulam, quae quinques apud Plautum, semel vero apud Terentium legitur, affirmationem quandam vehementiorem significare, atque ab illo usurpari, qui suae sententiae testimonium veritatis addit, aut aliquam rem admiratione excipit et inopinatam deprehendit. Ita in hoc loco est particula admirantis. Siquidem Philto praeter expectationem audit se a Lysitele rogari, ut ipsemet Lesbonicum adeat, et uxorem poscat. Haud absurde nos: *Capperi! Anche questo tuoi ch'io faccia?* Ceterum, si vocis *εἴπω* quaeramus; formula iurisiurandi nobis occurret *per Ceretem*, uti ecastor, *per Castorem*; edepol, *per Pollucem*. Graeci inquirunt: *κατὰ τῆς Ἀφροδίτης*, hoc est *per matrem terrae*. Cf. Plaut. Amph. II. 1. 4; Cas. II. 6. 35; Men. II. 3. 50; Trucul. II. 2. 58; Terent. Phorm. II. 2. 5.

*Nimio citius transiges.* Negotium multo citius perficies. Cf. Cic. Ep. ad fam. XIII. 14: Peto a te ut negotium conficiendum cures, ipse suscipias, *transigas*.

*Gravius tuom erit unum verbum.* Maioris momenti, auctoritatis. Nos: *Acrà maggior peso una tua parola*.

*Ad eam rem.* Supp. conficiendam. In ea re.

*Ecce autem.* Usurpatur in iis, quae nova et improvisa animo accidunt.

*In benignitate hoc reperi negotium.* Ob benignitatem hanc molestiam contraxi. Itali: *colla mia cortesia mi sono tirato addosso questa briga*. Haec submissa voce ait Philto. Postea ad filium conversus: dabitur, inquit, opera. Nos: *Lo farò*.

## LYSITELES.

Lepidus vivis. Haec sunt aedes; hic habet;  
Lesbonico est nomen: age, rem cura. Ego te opperiar domi.

## PHILTO.

Non optima haec sunt, neque ego ut aequom censeo;  
Verum meliora sunt quam quae deterruma. 120  
Sed hoc unum consolatur me atque animum meum,  
Quia, qui nil aliud, nisi quod sibi soli placet,  
Consultit advorsum filium, nugas agit:  
Miser ex animo fit, factius nihilo facit.  
Suae senectuti is acriorem hiemem parat,  
Quom importunam illanc tempestatem conciet. 125  
Sed aperiuntur aedes, quo ibam: commode  
Ipse exit Lesbonicus cum servo foras.

*Lepidus vivis.* Comis es atque humanus. Passim apud Latinos scriptores verbum vivo pro sum. Amph. Prolog. 75; Bacchid. III. 6. 24; Cas. II. 8. 53; Cist. I. 2. 11; Mil. I. 1. 56; Rud. II. 1. 1; V. I. 1; Truc. II. 2. 62; Ter. Hecyr. V. 4. 90; Cic. ad Att. III. 5.

*Haec.* Ἀρχαῖος.

*Deterruma.* Minime bona.

*Consultit advorsum filium.* Deliberat, statuit adversus filii voluntatem.

*Nugas agit.* Inepte agit. Saepe apud Plautum ponitur ἀλαστορία, omisso verbo.

*Ex animo.* Vere.

*Factius nihilo facit.* Paronom. Nihilo melius facit. Factius est gradus comparativus participii factus, a, um.

*Senectuti is acriorem hiemem parat.* Translate: duriores, graviores sibi senectutem parat.

*Importunam.* Molestam.

*Conciet.* Adversus se excitat. Itali: si tira addosso.

*Aedes, quo ibam.* Aedes, ad quas ibam. Nos: la casa, a cui io mi avviava.

*Commode.* Opportune.

## ACTUS II. - SCENA III.

LESBONICUS, STASIMUS, PHILTO.

LESBONICUS.

Minus quindecim dies sunt, quom pro hisce aedibus

Minas quadraginta accepisti a Callicle.

Estne hoc, quod dico, Stasime?

STASIMUS.

Quom considero,

Meminisse videor fieri.

LESBONICUS.

Quid factum est eo?

STASIMUS.

Comesum, expotum, exunctum, elotum in balineis:

Piscator, pisto, abstulit, lanii, coqui,

Olitores, myropolae, aucupes. Confit cito,

5

Dum Lesbonicus a Stasimo servo expensae pecuniae rationem repetit, Philto intervenit Lesbonicus sororem filio suo uxorem petiturus. Primo Lesbonicus ioco id fieri, suamque inopiam a Philtone derideri arbitratur. Tandem vero Philtoni efflagitanti assentitur. Quod quidem Philtonis et Lesbonicus colloquium identidem exhilaratur festiva Stasimi interpellatione, praesertim vero ludicra quadam narratione de agro, quem Lesbonicus vult dotem sorori dare. Siquidem Stasimus conatur Philtoni persuadere, agrum tali esse fato sive fortuna, ut quisquis illum possideat, is cum omni domo, familia, fortunisque omnibus ad interuocionem depereat.

*Minus quindecim dies sunt, quom etc.* Dies quindecim nondum effluerunt, ex quo etc.

*Estne hoc, quod dico? Nonne? Itali: Non è egli vero?*

*Quom considero. Nos: Quando ci penso.* Notanda Stasimi responsio ad risum eliciendum comparata.

*Quid factum est eo? Supp. argento.*

*Exunctum, elotum in balineis.* In unguentis emendis atque in balneis insumtum. Namque veteres immodicos sumptus faciebant in quotidianas unctiones et lavationes.

*Myropolae.* Unguentorum venditores, a graecis vocibus *μύρον*, unguentum, *πώλη*, vendo.

*Confit cito. Supp. magis.* Citius absunitur.

Quam si formicis tu obicias papaverem,  
Nisi tu immortale rerē esse argentum tibi.

LESBONICUS.

Minus hercle in istis rebus sumtum est sex minis.

10

STASIMUS.

Quid, quod dedisti scortis?

LESBONICUS.

Ibidem una traho.

STASIMUS.

Quid, quod defraudavi?

LESBONICUS.

Hem, ista ratio maxuma est!

STASIMUS.

Non tibi illud adparere, si sumas, potest?

*Si formicis etc.* Proverbium de re, quae brevi fiat.

*Nisi tu immortale.* Perperam reliquae editiones hunc versum alio transferunt.

*Tibi.* In manibus tuis.

*Ibidem una traho.* Cf. adnotat. ad l. 2. t16.

*Quod defraudavi.* Quod defraudavi, suffuratus sum. Animadvertite, lector, procax servi ingenium.

*Hem.* Particula indignantis.

*Ista ratio maxuma est.* Quantitas maxima. Nos: *questa è la partita più grande.*

*Non tibi illud adparere, etc.?* Germanam ex hoc versu significati-  
onem nequicquam hauries, nisi per interrogationem efferas. Hoc enim  
sibi vult Stasimus: Anne miraris, Lesbónico, sumtus illos, quos supra  
memoravi, tibi non apparere, quum in eo sis, ut patrimonium absumas?  
Nos: *Parti egli una meraviglia, che tu non comprenda come  
tu abbia speso tutto quel danaro, se sei in sul divorare il  
tuo patrimonio?* Hic vero iuvat animadvertere, particulam non in in-  
terrogatione poni pro *nonne* ab irascentibus aut admirantibus; praeterea  
non usurpari ab interrogante, quum suspicatur, colloquentem ipsius sen-  
tentiae adversari; *nonne*, quum putat, colloquentem sibi assentiri. Par-  
ticula *si* passim occurrit pro *quum*, *quo tempore*. Cf. Terent. Ad. V. 8. 19;  
Phorm. V. 9. 13; Cic. de finib. II. 3. 10.



Sero atque stulte, prius quod cautum oportuit,  
Postquam comedit rem, post rationem potat.

15

LESBONICUS.

Nequaquam argenti ratio comparet tamen.

STASIMUS.

Ratio quidem hercle adparet; argentoni οἷζιτι.  
Minas quadraginta accepisti a Callicle,  
Et ille aedis abs te accepit mancupo.

LESBONICUS.

Admodum.

PHILTO.

Pol, opino, adfinis noster aedis vendidit.  
Pater quom peregre veniet, in porta est locus,  
Nisi forte in ventrem filio conrepsertit.

20

*Prius quod cautum oportuit.* Quod prius cavere oportebat.

*Rationem putat.* Rationes subducit. Ital.: *fa i conti*.

*Ratio comparet vel adparet.* Ratio praesto est, videtur. Nos: *il conto va bene*.

*Argentum οἷζιτι.* A verbo οἷζομαι. Abiit, periit, evanuit.

*Aedis abs te accepit mancupo.* Domum abs te emit ea conditione, ut evictionem praestares, in te reciperes. *Aliquid accipere mancupo* fuit apud Romanos formula jurisconsultorum, qua significabant, aliquem ea lege quidpiam emere, ut venditor vadem et praedem se constitueret, si quis forte conaretur rem illam venditam recuperare. Cf. Dig. lib. xxi. tit. 2. *de evict.* Nos: *comperò da te la casa col patto della evizione, cioè che tu gliene mantenessi il possesso, la proprietà.*

*Admodum.* In dialogo hanc particulam usurpant respondentes, ut afferunt, rem eo plano modo se habere, quo dictum est. Omuino, certe, res prorsus ita est. Nos: *Per l'appunto*. Cf. Bacch. V. 1. 24; Pseud. iv. 7. 54; Rud. I. 5. 10; Terent. Hec. iii. 5. 8; Phorm. ii. 2. 1; Cic. de legib. iii. 11. 26.

*Opino.* Archaism.

*Adfinis noster.* Lesbonicus futurus adfinis.

*In porta est locus.* Supp. ei. Erit illi manendum sub dio.

*Nisi in ventrem filio conrepsertit.* Quum Lesbonicus filius iam pecuniam devorasset, quam pro aedibus acceperat, si Charmides vellet aedes suas adire, illi necesse erat in filii ventrem ingredi.

STASIMUS.

Trapezitae mille drachumarum Olympicum,  
Quas de ratione debuisti, redditae.

LESBONICUS.

Nempe. quas spondi.

STASIMUS.

Imo quas dependi, inquit.

25

Quas sponione pro tu exactus nuper es  
Pro illo adolescente, quem tu esse aibas divitem.

LESBONICUS.

Factum.

STASIMUS.

Ut quidem illud perierit.

LESBONICUS.

Factum id quoque est.

*Trapezitae.* Nummario, argentario, a graeca voce τραπεζα, mensa. Itali: *al banchiere.*

*Drachumarum Olympicum.* Drachma, archaici. pro drachma, graeco numo argenteo, qui respondet ferme denario romano. *Olympicum* pro eo quod est olympicarum. Differebat autem ratione pretii drachmae olympicae a drachmis atticis.

*De ratione.* Ex ratione. Nos: *secondo il conto.*

*Mille drachumarum . . . . redditae.* Nota verborum constructionem per syllepsin; quasi scriptum esset *mille drachmae.* *Mille drachmarum* rarior dictio pro eo quod est *mille drachmae.*

*Nempe.* In hoc loco vim habet explicantis.

*Quas dependi.* Quas solvi. Nos: *che ho sborsato.*

*Quas sponione pro tu exactus nuper es.* Quas alius a te nuper exegit pro sponione; quas tu nuper coactus fuisti solvere titulo sponionis. Itali: *che tu dovetti poc' anzi pagare secondo la promessa che facesti.* Notanda in hoc loco rarior syntaxis: *ego exigo pecuniam* pro vulgari a me exigitur pecunia, hoc est, cogor solvere pecuniam. A. Gellius (N. A. xv. 14.) ait, hoc graeca figura dictum esse. Graeci enim scribunt: *εξήγαγον με ὑπὸ τῆς ἐπιτροπῆς*, hoc est exegit me pecuniam. *Sponione pro.* Ἀνεπιτροπή. In quibusdam editionibus perperam legitur *promuper*, inauditum vocabulum.

*Aibas.* Arch. Aiebas.

*Factum.* Vox affirmantis in responsione. Nos: *Sì, è vero.*

*Ut quidem illud perierit.* Stasimus, uti fit, ad hilarandam caveam, voci *factum* a Lesbónico prolatae aliam affligit sententiam ac Lesbonicus ipse tribuerat, hoc modo: Factum est ut mille drachmae, quas pro sponione solvisti, perirent.

*Factum id quoque est.* Itali: *Anche questo è vero.*

Nam hunc enim vidi miserum: me eius miserum est.

STASIMUS.

Miseret te aliorum, tui nec miseret nec pudet.

30

PHILTO.

Tempus adeundi est.

LESBONICUS.

Estne hic Philto, qui advenit?

Is hercle est ipse.

STASIMUS.

Edepol nae ego istunc velim

Meum fieri servom cum suo peculio.

PHILTO.

Herum atque servom plurimum Philto iubet

Salvere, Lesbonicum et Stasimum.

LESBONICUS.

Di duint

35

Tibi, Philto, quaecunque optes. Quid agit filius?

PHILTO.

Bene volt tibi.

LESBONICUS.

Edepol mutuom mecum facit.

STASIMUS.

Nequam illud verbum est « Bene volt » nisi qui bene facit.

Egoque volo esse liber; nequidquam volo.

*Tempus adeundi est.* Philto, qui haecenus Lesbonicum et Stasimum colloquium auscultaverat, secum ipse: Nunc, ait, est tempus Lesbonicum adeundi.

*Edepol nae ego istunc etc.* Ad spectatores conversus haec profert Stasimus, ut illorum risum captet. Vellet autem Philtonem, hominem ditissimum, suum fieri servum, propterea quod legibus Romanorum cautum esset, ut peculium servi ad dominum pertineret.

*Plurimum iubet salvere.* Nos: *saluta caramente.*

*Duint.* Arch. Dent.

*Filius.* Lysiteles.

*Edepol mutuom etc.* Profecto a me mutuo amatur.

*Nequam illud etc.* Verbum illud *bene volt* est inutile, nisi benevolentia aliquo beneficio comprobetur.

*Egoque.* Ego etiam.

Hic postulet frugi esse; nugas postulet.

PHILTO.

Meus gnatus me ad te misit, inter se atque vos

Adfinitatem ut conciliarem et gratiam.

Tuam volt sororem ducere uxorem; et mihi

Sententia eadem est et volo.

LESBONICUS.

Haud nosco tuom?

Bonis tuis rebus meas res inrides malas.

PHILTO.

Homo ego sum, homo tu es: ita me amabit Iupiter!

Neque te derisum veni, neque dignum puto;

Verum hoc, ut dixi, meus me oravit filius,

Ut tuam sororem poscerem uxorem sibi.

LESBONICUS.

Mearum me rerum novisse aequom est ordinem.

Cum vestris nostra non est aequa factio:

Adfinitatem vobis aliam quaerite.

*Hic postulet etc.* Hic nempe Lesbianicus, postulet honestam vivendi rationem sequi, inaniter postulabit.

*Nugas postulet. Nos: frotille.* Haec omnia ita profert Stasimus, ut a spectatoribus tantummodo exaudiantur.

*Vos.* Vestram familiam.

*Conciliarem.* Iungerem.

*Et volo. Supp. idem.*

*Haud nosco tuom?* Formula contemnentis et irati. Supp. ingenium vel animum. Eadem significatione Plautus: Non ego te novi? Haud absurde Itali: *T'intendo.*

*Bonis tuis rebus etc.* Quum tu secunda utaris fortuna, afflictas res meas irrides.

*Homo ego sum etc.* Eadem nobis est natura. Nos: *Siamo tutti uomini.*

*Ita me amabit etc.* Formula iurantis.

*Neque dignum puto.* Supp. qui deridearis. Cf. Aulul. II. 2. 45.

*Mearum rerum ordinem.* Meam conditionem, rerum mearum statum.

*Cum rostris nostra non est aequa factio.* Non decet, nos inopes cum factiosis vestri ordinis hominibus societatem inire. Eadem ferme habet Euclio (Aulul. II. 2. 49, et seqq.), cuius filiam Megadorus sibi uxorem poposcerat.

STASIMUS.

Satin' tu sanus mentis aut animi tui,  
 Qui conditionem hanc repudies? Nam illuc tibi  
 Ferentaneum esse amicam inventum intellego.

35

LESBONICUS.

Abin' hinc dierecte?

STASIMUS.

Si hercle ire occipiam, vetes.

LESBONICUS.

Nisi me aliud quid vis, Phillo, respondi tibi.

PHILLO.

Benigniore, Lesbonice, te mihi,  
 Quam nunc exerior esse, confido fore:  
 Nam et stulte facere et stulte fabularier  
 Utrumque, Lesbonice, in aetate haud bonum est.

60

STASIMUS.

Verum hercle hic dicit.

LESBONICUS.

Oculum ego ecfodiam tibi,

Si verbum addideris!

STASIMUS.

Hercle quin dicam tamen!

*Sanus mentis aut animi tui.* Differunt inter se *mens* et *animus*. Illa nimirum est praestantior animae pars, qua intelligentia et consilium continentur; huic motus et impetus tribuitur.

*Ferentaneum amicam* appellat Plautus eum, qui repente opem fert; qui coler et expeditus est ad opem ferendam. Alii legunt *ferentarium*. Quae vox a militia Romanorum est deprompta, apud quos *ferentarii* dicebantur levis armaturae milites, omnium velocissimi, qui eminus, hoc est telis et lapidibus pugnabant, et a quibus pugnandi initium fiebat. Per analogiam *ferentarios milites* dixoris i nostri *betsaglieri*.

*Abin' hinc dierecte?* Locutio imperantis. Abi in malam rem. Nos: *Vatene in mala?* De origine vocis *dierectus* alii alia, sed parum probabilia protulerunt. Ceteris potior visa est Salmasii sententia, *εὐρων* petentis a graeco vocabulo *εὐάφρατος*, disruptus.

*Nisi me.* Supp. a.

*In aetate.* Vide adnotat. ad l. 1. 2.

*Ecfodiam.* Archaism. *Ecfodiam*.

*Quin.* Omnino, etiam.

Nam si sic non licebit, luscus dixero.

PHILTO.

Ita tu nunc dicis, non esse aequiparabilis  
Vostras cum nostris factiones atque opes?

63

LESBONICUS.

Dico.

PHILTO.

Quid nunc? si in aedem ad coenam veneris,  
Atque ibi, opulentus tibi par forte ut venerit,  
Adposita coena sit, popularem quam vocant,  
Si illi congestae sint epulae a clientibus,  
Si quid tibi placeat, quod illi congestum siet,  
Edisne, an incoenatus cum opulento adcubes?

70

LESBONICUS.

Edim, ni vetet.

STASIMUS.

At ego pol, etiamsi vetet,  
Edim, atque ambabus malis expletus vorem;  
Et, quod illi placeat, praeripiam potissimum,

75

*Si sic.* Si salvis oculis.

*Luscus.* Dicitur qui altero oculo est captus.

*Factiones.* Nos: *aderenze*, *attenenze*.

*Quid nunc?* Quid igitur? Vehementior interrogatio enim quadam indignatione.

*Si in aedem ad coenam veneris.* Si ad coenam veneris in templum, ubi veteres interdum epulabantur.

*Opulentus tibi par forte ut venerit.* Postquam vir opulentus iuxta te forte accubnerit. Nos: *poichè per avventura si fosse assiso a te dallato un riceo.* Ex Bothii sententia tibi par est tibi aequalis genere. Lesbonicus enim, uti supra dictum est, erat summo genere natus.

*Popularem quam vocant.* In multis rerum adjunctis, uti exempli gratia in triumphis, publicum epulum populo dabatur in sacris aedibus.

*Congestae.* Appositae.

*A clientibus.* Clientes etiam convivium interdum patronis apparabant in templis.

*Edim.* Arch. Edam. *Vorem.* Vorabo.

*Ambabus malis expletus vorem.* Itali: *scuffiero*, ovvero macinerò a due palmenti.

*Praeripiam.* Ante rapiam, occupabo.

Neque illi concedam quidquam de vita mea.  
 Verecundari neminem apud mensam decet:  
 Nam ibi de divinis atque humanis cernitur.

PHILTO.

Rem fabulare.

STASIMUS.

Non tibi dicam dolo:

Decedam ego illi de via, de semita,  
 De honore populi; verum quod ad ventrem attinet,  
 Non herele hoc longe, nisi me pugnis vicerit.  
 Coena hac annona est sine sacris hereditas.

80

*De vita mea. De victu meo.*

*Verecundari. Itali: usar riguardi. Huc spectat proverbialis illa nostratum locutio: A tavola e letto, nessun rispetto.*

*De divinis atque humanis cernitur. De rebus maximi momenti decernatur. Morata servi oratio, cui, ut Persii verbis utar, summa boni est uncta vixisse patella.*

*Rem fabulare. Verum dixisti. Nos: Tu dici appunto la cosa come sta.*

*Non dolo. Candido, sincere.*

*Decedam illi de via, de semita. Locum illi dabo in via, in semita. Semita hic ponitur pro loco, qui in utroque margine viae latae commeanlium pedibus teritur ad vitanda iumenta, vehicula, lutum et pulverem.*

*De honore populi. Honores illi cedam, qui populari suffragio civibus conferuntur.*

*Non herele hoc longe. Ne tantillum quidem, ne latum quidem unguem cedam. Quae quidem verba *dicuntur* profert Stasimus, primum videlicet digitum (*la punta del dito*), aut minutulum quidpiam spectatoribus ostendendo.*

*Coena hac annona est sine sacris hereditas. Itiusce versus obscuritate factum est, ut quidam interpretes nonnulla per coniecturam immutarent, legerentque: coena haec an non est sine sacris hereditas. Bothius e contrario germanam veterum codicum lectionem religiosissime tenuit, ex qua probabilem saepe sensum elicias hoc modo: coena gratuita in hac annonae caritate habenda est tamquam hereditas sine sacris, quae tibi incommodo et sumptui sint. Itali: Una buona cena gratis in questo gran caro dei viveri, è come un'eredità senza alcun peso. Quod quidem facili intellectu erit, ubi scias, legibus XII Tabularum cautum fuisse, ut sacra privata cuiusque gentis et familiae essent perpetua, atque una cum patrimonio ad heredes transirent, quorum impensa diligentissime administrarentur. Haud aliter apud nos ingentem saepe numero pecuniam testatores legare consueverunt aut in subsidium egentium, aut in aegrorum solatium, aut in sacra, quae quotannis vel singulis mensi-*

## PHILTO.

Semper tu hoc facito, Lesbionice, cogites,  
 Id optimum esse, tute uti sis optimum; 85  
 Si id nequeas, saltem ut optimis sis proximus.  
 Nunc conditionem hanc, quam ego fero et quam abs te peto,  
 Dare atque accipere, Lesbionice, te volo.  
 Dei divites sunt: deos decent opulentiae  
 Et factiones; verum nos homunculi 90  
 Salillum animai, quam quom extemplo amisimus,  
 Aequo mendicus atque ille opulentissimus  
 Censetur censu ad Acheruntem mortuos.

## STASIMUS.

Mirum ni, illuc ni tecum divitias feras, 95  
 Ubi mortuos sis, ita sis, ut nomen cluet.

## PHILTO.

Nunc ut scias, hic factiones atque opes  
 Non esse, neque nos tuam neglegere gratiam,  
 Sine dote posco tuam sororem filio. 100

bus, vel per omnes hebdomadas peragantur. Quo fit ut maximis interdum oneribus premantur heredes. Hinc autem manavit proverbialis illa locutio apud Romanos: *sine sacris hereditas* ad significandum lucrum sine nullo onere et sumtu. Latinae huic dictioni respondet vernacula: *carne senza osso, rosa senza spine*.

*Semper . . . cogites.* Nos: *Non ti esca mai di mente.*

*Id optimum esse, tute uti etc.* Itali: *che il miglior partito è di ecc.*

*Dare atque accipere.* Concedere atque accipere.

*Factiones.* Potentia.

*Homunculi salillum animai.* Homunculi, parva corpora, quae ab anima, tanquam sale, putredine prohibentur. *Animai.* Arch. Animae.

*Aequo mendicus etc.* Tum pauper, tum dives, mortuus apud Acheronem pariter aestimatur.

*Mirum ni etc.* Dictio comica stomachantis. Hic Stasimus, quem decessisset sapientem Philtonis orationem laudare, serviliter iocando: Credo equidem, ait, te ad Acheronem divitias tuas esse perlaturum, ubi tandem post mortem sis vere *Pholto*, hoc est hominibus carus, uti nomen tuum sonat (a verbo *φίλο*, amo). His enim in terris, quam sis admodum pareus, ab hominibus parum amaris. Quae omnia submissa voce dicuntur a Stasimo.

*Hic.* In nostra familia.

*Neglegere.* Archaism. Negligere.



Quae res bene vortat! Habeon' pactam? Quid laces?

STASIMUS.

Proh di immortales, conditionem quouismodi!

PHILTO.

Quin fabulare « di bene vortant! spondeo? »

STASIMUS.

Eheu, nil usus ubi erat dicto « spondeo »

Dicebat; nunc hic, quom opus est, non quit dicere.

105

LESBONICUS.

Quom adfinitate vostra me arbitramini

Dignum, habeo vobis, Philto, magnam gratiam:

Sed, etsi hercle graviter cecidit stultitia mea,

Philto, est ager sub urbe hic nobis; eum dabo

Dotem sorori: nam is de stultitia mea

Solus superfit praeter vitam reliquos.

110

PHILTO.

Profecto dotem nil moror.

LESBONICUS.

Certum est dare.

STASIMUS.

Nostramne vis nutricem, here, quae nos educat,

*Quae res bene vortat! Quae res bene eveniat! Vide adnot. ad Aulul. II. 3. 41.*

*Habeon' pactam? Habeone illam tamquam desponsam? An spondes? Solemnis formula, qua utebantur in despondendis puellis. Quae quum peterentur dicebantur speratae, post sponsalia pactae.*

*Conditionem quouismodi. Nos: che bel partito!*

*Quin fabulare? Cur non ais?*

*Nil usus ubi erat dicto etc. Quum dicendum non fuisset « spondeo », dicebat, se pro aliis obligabat, et fortunas suas evertibat; nunc etc.*

*Habeo vobis magnam gratiam. Ital: vi sono molto obbligato.*

*Etsi graviter cecidit stultitia mea. Etsi ego ob stultitiam meam gravissima damna sum perpessus.*

*Ager sub urbe. Ager suburbanus, urbi vicinus.*

*Is ... solus superfit ... reliquos. Is ager mihi solus superest.*

*Dotem nil moror. Ital: non mi curo della dote.*

*Certum est. Destinatum est, deliberatum est. Nos: Sono risoluto.*

*Nutricem, quae nos educat. Transl. Agrum, qui nos alit.*

Abalienare a nobis? Cave, sis, feceris.

Quid edemus nosmet postea?

LESBONICUS.

Etiam tu taces?

115

Tibi ego rationem reddam?

STASIMUS.

Plane periiimus,

Nisi quid ego conminiscor. Philto, te volo.

PHILTO.

Si quid vis, Stasime.

STASIMUS.

Huc concede aliquantum.

PHILTO.

Licet.

STASIMUS.

Arcano tibi ego hoc dico: ne ille ex te sciat,

Neve alius quisquam.

PHILTO.

Crede audacter quidlibet.

130

STASIMUS.

Per deos atque homines dico, ne tu illuc agrum

*Abalienare.* Alienum facere. Itali: *dare altrui.*

*Feceris.* Facias.

*Etiam tu taces?* In hoc loco particula *etiam* est Imperantis cum indignatione, et ponitur pro *quin*. *Quin taces?* Cf. *Asin.* II. 1. 35; *iv.* 2. 28; *Pers.* II. 4. 4; *II.* 4. 7; *Poen.* I. 3. 22; *Ter. Ad.* IV. 2. 11; *Eun.* IV. 7. 29; *Phorm.* III. 3. 9.

*Tibi ego rationem reddam?* Cf. *Aul.* I. 1. 6. Nos: *Debbo io renderti conto de' fatti miei?*

*Te volo.* Supp. *alloqui.*

*Si quid vis.* Formula, qua urbane homini respondemus, qui significavit, se velle rem nobiscum agere. Nos: *Posso io servirti in qualche cosa?*

*Concede.* Secede.

*Licet.* Hac particula assensum significamus.

*Arcano.* Secreto. Itali: *in credenza.*

*Ne.* Non.

*Crede audacter quidlibet.* Nullo timore committe mihi quidlibet. Nos: *Di' francamente quello che vuoi.*

Tuom siris unquam fieri neque gnati tui.  
 Ei re argumentum dicam.

PHILTO.

Audire edepol lubet.

STASIMUS.

Primum omnium olim terra quom proscinditur,  
 In quinto quoque sulco moriuntur boves.

125

PHILTO.

Apage!

STASIMUS.

Acheruntis ostium in nostro est agro.  
 Tum vinum, priusquam coactum est, pendet putidum.

LESBONICUS.

Consuadet homini, credo. Etsi scelestus est,  
 At mi infidelis non est.

STASIMUS.

Audi cetera.

Post id, frumenti quom alibi messis maxuma est,  
 Tribus tantis illi minus redit, quam obseveris.

130

PHILTO.

Hem, istic oportet obseri mores malos,  
 Si in obserendo possint interfieri.

*Siris.* Syncope a Plauto passim usurpata. Siveris, sinas.

*Ei re argumentum dicam.* Eius rei causam tibi aperiam.

*Olim... quom.* Vide adnot. ad Mil. I. 1. 9.

*Proscinditur.* Aratur.

*In quinto quoque sulco etc.* Vix cum boves quantum sulcum duxerunt etc.

*Apage!* Supp. a me istum agrum. Nos: *Alla larga!*

*Acheruntis ostium etc.* Transl. Pestilens est hic ager.

*Vinum, priusquam etc.* Metonymia. Vinum pro uva posuit. Antequam uva maturescat, putrescit.

*Etsi scelestus etc.* Licet scelestus, est tamen Stasimns mihi fidelis. Quare nihil, credo, Philtoni suadebit, quod mihi sit nociturum.

*Frumenti messis.* Collectio frumenti.

*Tribus tantis illi minus redit, quam obseveris.* Ille ager reddit minus tribus tantis quam salum sit. Itali: *esso rende tre volte tanto di meno di quello che avrai seminato.*

*Hem.* Particula rem novam aut mirificam aut inopinatam admirantis.

*Si in obserendo.* Si forte dum obseruntur.

*Interfieri.* Deleri, de medio tolli.

## STASIMUS.

Neque unquam quisquam est, quoniam ille ager fuit,  
 Quin pessime ei res vorteret: quorum fuit, 135  
 Alii exulatum abierunt; alii ecmortui;  
 Alii se suspendere. Item, nunc hic, quoniam est,  
 Ut ad incitas redactus!

## PHILTO.

Apage a me istum agrum!

## STASIMUS.

Magis apage dicas, si omnia a me audiveris:  
 Nam fulguritae sunt alternae arbores; 140  
 Acerrume moriuntur angina sues;  
 Oves scabrae sunt, tam glabrae, hem! quam haec est manus;  
 Tum autem Syrorum, genus quod patientissimum est  
 Hominum, nemo exstat, qui ibi sex menses vixerit:  
 Ita cuncti solstitiali morbo decidunt. 145

*Pessime res vorteret.* Res pessime cesserunt.

*Quorum fuit.* Supp. ii.

*Hem.* Vide adnot. ad Prolog. 3.

*Hic.* Lesboniens.

*Ad incitas redactus.* Supp. *calces, lineas.* Locutio deprompta ex ludo latrunculorum, in quo *incitus*, hoc est immotus, dicitur lusor, cui nulli sunt latrunculi, quos ulterius promovere possit. Translate ponitur haec locutio de homine, qui in tanta inopia versetur, ut nullo iam pacto se inde possit expedire. Nos: *ridotto all'estrema miseria.*

*Fulguritae alternae arbores.* Fulmine ictae. Itali: *gli alberi, l'uno sì e l'altro no, sono colpiti dal fulmine.*

*Acerrume.* Crudelissime, vel celeriter.

*Oves scabrae.* Oves lana nudatae ob scabiem. Cf. Cat. R. R. xcvi.

*Tam glabrae, hem! quam haec est manus.* *Δυστυχία.* Itali: *più pelate, vedi, di questa mano.*

*Syrorum, etc.* Fuere Syri Asiae populi, genus hominum laborum patientissimum. Plurimi Syrorum venales Romam advehebantur, et tanquam servi, rei rusticae praesertim operam dabant.

*Ita.* Quia. Cf. Mostell. iii. 2.44.

*Solstitiali morbo.* In solstitialem morbum inquirentes Plantini interpretés, diversi prorsus abierunt. Alii enim contendunt, comitialem morbum significari a poeta, alii subitaneum, alii quemlibet morbum gravem et lethalem; postremo alii, quibus et ipse assentior, febres illas vehementes atque exiliales, quae aestivo tempore grassari consueverunt, quaeque prima aut altera recessione homines interimunt.

PHILTO.

Credo ego istuc, Stasime, ita esse; sed Campas genus

Multo Syrorum iam antidit patientia.

Sed is est ager profecto, ut te audiui loqui,

Malos in quem omnis publice mitti decet.

Sed Fortunatorum memorant insulas,

150

Quo cuncti, qui aetatem egerunt caste suam,

Convenient: contra istuc detrudi maleficos

Aequom videtur, qui quidem istius sit modi.

STASIMUS.

Hospitium est calamitatis. Quid verbis opust?

Quamvis malam rem quaeras, illic reperias.

155

At tu hercle et illi et alii cave, sis, dixeris,

Me tibi dixisse hoc.

PHILTO.

Dixisti arcado satis.

STASIMUS.

Quin hic quidem eum cupit ab se abalienari,

Si quidem reperire possit, quoid os sublinat.

PHILTO.

Meus quidem nunquam fiet.

STASIMUS.

Si sapias quidem. —

160

Lepide hercle de agro ego hunc senem deterrui:

*Campas genus.* Genus Campanum, Campani homines.

*Multo Syrorum.* Subaudi *genus*.

*Antidit.* Archaism. Anteit.

*Publice.* Publica auctoritate, publico decreto.

*Fortunatorum insulas.* Vulgo: *le isole beate*.

*Caste.* Sancte, integre, honeste.

*Istuc.* In istum agrum.

*Qui quidem etc.* Pronomen *qui* refertur ad adverbium *istuc* positum a poeta pro eo quod est *in istum agrum*.

*Illi.* Lesbionico.

*Os sublinat.* Vide adnot. ad Aulul. iv. 2. 61.

*Lepide hercle.* Haec secum ipse Stasimus.

*De agro deterrui.* De agro accipiendo deterrui.

Nam qui vivamus nihil est, si illum amiserit.

PHILTO.

Redeo ad te, Lesbionice.

LESBONICUS.

Dic sodes mihi,

Quid hic locutus tecum?

PHILTO.

Quid censes? Homo est:

Vult fieri liber; verum, quod det, non habet.

165

LESBONICUS.

Et ego esse locuples, verum nequidquam volo.

STASIMUS.

Licitum, si velles: nunc, quom nihil est, non licet.

LESBONICUS.

Quid tecum, Stasime?

STASIMUS.

De istoc, quod dixi modo,

Si ante voluisses, esses; nunc sero cupis.

PHILTO.

De dote mecum conveniri nil potest;

170

Quod tibi lubet, tute agito cum nato meo;

Nunc tuam sororem filio posco meo;

Quae res bene vortat! – Quid nunc? etiam consulis?

LESBONICUS.

Quid istic? quando ita vis, di bene vortant! spondeo.

*Qui vivamus. Quomodo.*

*Quid censes? Homo est.* Promissi memor Philto reticet quae de agro a Stasimo accepit.

*Quod det, non habet.* Nihil habet quo in libertatem se possit vindicare.

*Licitum, si velles.* Tibi licuisset, si voluisses paternas fortunas servare.

*Quid tecum? Supp. loqueris.*

*Conveniri nil potest.* Nulla conditio statui potest. Itali: *non possiamo andar d'accordo.*

*Tute agito.* Tu ipse age.

*Quid nunc? Supp. ais.*

*Quid istic?* Formula annuentis post aliquam reluctance. Cf. Ter. Andr. 11. 3. 40; Eun. 1. 2. 91. Nos: *Che debbo io dirti?*

PHILTO.  
Nunquam edepol quouquam tam exspectatus filius  
Natus, quam est illud Spondeo natum mihi.

175

STASIMUS.

Di fortunabunt vostra consilia.

PHILTO.

Ita volo. —

I hac, Lesbonice, mecum, ut coram nuptiis  
Dies constituatur. Eadem haec confirmabimus.

LESBONICUS.

Sed, Stasime, abi huc ad meam sororem ad Calliclem:  
Dic, hoc negoti quomodo actum est. . . . .

180

STASIMUS.

Ibitur.

LESBONICUS.

Et gratulator meae sorori.

STASIMUS.

Scilicet.

LESBONICUS.

Dic Callicli, mi ut convenat. . . . .

STASIMUS.

Quin tu i modo!

*Nunquam edepol etc.* Nemo unquam tanta voluptate filium suscepit,  
quanta ego audivi illud spondeo.

*Di fortunabunt.* Pro optativo. Dii secudent vestra consilia!

*Coram. Te praesente.*

*Ad meam sororem ad Calliclem.* Ad meam sororem in domum Calliclis.

*Hoc negoti quomodo actum est.* Itali: come si è conchiuso l'affare.

*Scilicet.* In responsionibus habet vim affirmandi, et valet utique, certe,  
etc. Cf. Asin. II. 4. 83; Men. II. 3. 41; Poen. III. 2. 23; Pseud. IV. 7. 82.

*Mi ut convenat.* Quomodo mihi conveniat, me deceat. . . . . Fortasse  
addere voluit: quaerere dotem sorori, vel aliud quidpiam, nisi Stasimus  
illum interpellasset. *Convenat.* Arch. Perperam reliquae editiones habent:  
me ut conveniat. Indecore enim cuperet Lesbonicus, Calliclem ad se venire.

*Quin tu i modo! . . . . I modo! . . . . Abi modo!* Formulae indignantis,  
fastidiose amolientis aut quidpiam improbantis. Nos: Va via; che è ciò  
che tu d'è? Cf. Stich. III. 2. 23. — Quae quidem ita pronuntiari videntur a  
Stasimo, ut a spectatoribus tantummodo audiantur.

LESBONICUS.

De dote ut videat, quid opus sit facto.

STASIMUS.

I modo!

LESBONICUS.

Nam certum est, me sine dote haud dare . . . .

STASIMUS.

Quin tu i modo! 185

LESBONICUS.

Neque enim illi damno unquam esse patiar . . . .

STASIMUS.

Abi modo!

LESBONICUS.

Meam negligentiam, *Stasime* . . . .

STASIMUS.

I modo!

LESBONICUS.

*Neque*

Aequom, videtur, quin, quod peccarim . . . .

STASIMUS.

I modo!

LESBONICUS.

Potissimum mihi id obsit.

STASIMUS.

I modo!

LESBONICUS.

O pater, .

En unquam adspiciam te?

*Certum est. Decrevi.**Neque aequom videtur, quin.* Haec particula *quin* habet vim affirmandi. Neque aequom videtur, ut quod ego peccarim aliis noceat. Haud absurde nos: *Nè mi par giusto, che altri abbia a portar la pena delle mie scappate.**En unquam adspiciam te? MerdDicit.* Unquamne? Itali: *Quando mai fia che io ti rivegga?* Haec Lesbonicus, subita poenitentia tactus admissorum suorum.



STASIMUS.

I modo! i modo! i modo! 190

LESBONICUS.

Tute istuc cura, quod ego iussi. Iam hic ero.

STASIMUS.

Tandem inpetravi, abiret. Di vostram fidem!  
 Edepol re gesta pessume gestam probe,  
 Siquidem ager nobis salvos est. Etsi admodum  
 In ambiguo est etiam nunc, quid de hac re fuat. 195  
 Sed si alienatur, actum est de collo meo:  
 Gestandus peregre clypeus, galea, sarcina!  
 Ecfugiet ex urbe, ubi erunt factae nuptiae;  
 Ibit istac aliquo in maxumam malam crucem  
 Latrocinatum, aut in Asiam, aut in Ciliciam. 200  
 Ibo huc, quo mi inperatum est, etsi odi hanc domum,  
 Postquam hic exturbat nos ex nostris aedibus.

*Iam hic ero.* Confestim revertar.*Di vostram fidem.* Supp. rogo.

*Edepol re gesta pessume etc.* Profecto, etiamsi rem pessime hactenus gesserimus, nunc tamen res feliciter vobis successit, quum herilis filia opulento atque optimo adolescenti sit nuptura; dummodo ager nobis incolumis maneat.

*Fuat.* Futurum sit.*Si alienatur.* Si ager ad alienum dominium transferatur.*Actum est de collo meo.* Vae collo meo.*Peregre.* In peregrinas et longinquas regiones.

*Sarcina.* In re militari erat involuerum rerum, quae militibus usui essent, quasque humeris gestarent.

*Ecfugiet.* Supp. herilis filius, Lesbonicus.*In maxumam malam crucem.* Nos: in mala.*Latrocinatum.* Vide adnot. ad Mil. l. 1. 74.*Huc.* In domum, quam Callicles a Lesbónico emerat.*Hanc domum.* Familiam.*Hic.* Callicles.

## ACTUS III.

## SCENA I.

CALLICLES, STASIMUS.

CALLICLES.

Quomodo tu istuc, Stasime, dixti?

STASIMUS.

Nostrum herilem filium  
Lesbonicum suam sororem despondisse. Hoc modo.

CALLICLES.

Quoi homini despondit?

STASIMUS.

Lysiteli, Philtonis filio,

Sine dote.

CALLICLES.

Sine dote ille illam in tantas divitias dabit?  
Non credibile dicis.

STASIMUS.

At tute edepol nullus creduas.

5

Stasimus, ut ipsi imperatum fuit, nuntiat Callicli, conditionem Charmidis filiae oblatam, et servilis ingenii specimen edit, ad suspicandum proui.

*Dixti.* Sync.

*Nostrum herilem filium.* Filium heri mei. Absurde in vulgatis editionibus haec Callicli tribuuntur.

*Despondisse.* Itali: *che ha promesso in isposa.*

*Hoc modo.* Supp. *dixi.* Nos: *Così appunto; questo ho detto.*

*Ille illam.* Paronomasia.

*In tantas divitias dabit?* Dabit homini tam diviti?

*Nullus creduas.* Ne credas.

Si hoc non credis, ego credidero . . .

CALLICLES.

Quid?

STASIMUS.

Me nihili pendere.

CALLICLES.

Quamdudum istuc, aut ubi actum est?

STASIMUS.

Eloco hic ante ostium;

Tam modo, inquit Praenestinus.

CALLICLES.

Tanton' in re perdita,

Quam in re salva, Lesbonicus factus est frugalior?

STASIMUS.

Atque quidem ipse ultro venit Philto oratum filio.

10

CALLICLES.

Flagitium quidem hercle fiet, nisi dos dabitur virgini.

Postremo edepol istam ego rem ad me attingere intellego.

*Credidero. . . me nihili pendere.* Credam, me a te nihili aestimari. Frigidus sane iocus et inficelus.

*Quamdudum?* Nos: *Quanto tempo è?*

*Tam modo, inquit Praenestinus.* Tam modo pro eo quod est modo. Nos: *Pur ora.* Praenestini sunt Praenestis incolae, oppidi in finibus Acquorum, quod ab urbe aberat millia passuum ferme quatuor et viginti. Hosce oppidanos ridebant Romani, propterea quod verba quaedam usurparent non trita Romae, eorumque sermo peregrinitatem quandam redoleret. Sic dicebant ex. gr.: *tammodo* pro modo, *conia* pro ciconia, atque alia id genus. Haud aliter apud nos homines in provinciis degentes, longe absunt ab illa urbanitate, qua Taurinensium coloratur oratio.

*Tanton' . . . . . frugalior?* Magis frugi?

*In re perdita.* In paupertate. *In re salva.* Quum divitiis floreret.

*Atque quidem.* Atque etiam.

*Venit . . . oratum filio.* Venit rogatum puellam filio.

*Flagitium.* Est facinus cum dedecore et infamia conjunctum. *Fiet flagitium.* Nos: *La sarebbe un' infamità.*

*Postremo.* In hoc loco vim quandam addit sententiae, et Calliclis animum prodit, quem thesauri conscium, pndebat quod Charmidis filia in matrimonium sine dote collocaretur. *Postremo edepol istam ego rem ad me attingere intellego.* Itali: *Alla fin fine parmi bene, che questa faccenda la spettì a me.*

Ibo ad meum castigatorem, atque ab eo consilium petam.

STASIMUS.

Propemodum, quid illic festinet, sentio et subolet mihi:  
 Ut agro evortat Lesbonicum, quando evortit aedibus. 15  
 O here Charmide, quam absenti hic tua res distrahitur tibi!  
 Utinam te redisse salvom videam, ut inimicos tuos  
 Ulciscare! ut mihi, ut erga te fui et sum, referas gratiam!  
 Nimum difficile est reperiri amicum ita, ut nomen cluet,  
 Quoi tuam quom rem credideris, sine omni cura dormias. 20  
 Sed generum nostrum ire eccillum video cum adfini suo.  
 Nescio quid non satis inter eos convenit: celeri gradu  
 Sunt uterque; illic reprehendit hunc priorem pallio.  
 Haud aneuscheme adstiterunt! Huc aliquantum abscessero:  
 Est lubido orationem audire duorum adfinium. 25

*Castigatorem.* Megaronidem.

*Propemodum.* Coniungitur praesertim cum verbis sentiendi, percipiendi, experiendi. Cf. Trin. III. 3. 51; Trucul. IV. 3. 2.

*Illic.* Arch. IIIe.

*Festinet.* Trepidet, commoveatur, sataget. Nos: *si metta in faccende.*

*Subolet mihi.* Praesagio, praevideo. Metaphora ab odoribus translata, et Plauto familiaris.

*Agro evortat Lesbonicum.* Agro spoliel Lesbonicum. En suspiciosum Stasimi ingenium.

*Quando.* Postquam.

*Quam absenti hic etc.* Quomodo fortunae tuae hic te absente absumuntur!

*Nomen cluet.* Cf. adnot. ad II. 2. 28.

*Sine omni cura dormias.* In utramvis aurem dormias. Locutio proverbialis. Nulla cura solliciteris.

*Generum nostrum.* Lysitelem. *Adfini suo.* Lesbónico.

*Nescio quid etc.* Itali: *Pare siavi alcuna cosa intorno a cui non sieno abbastanza d'accordo.*

*Celeri gradu sunt.* Celeriter gradiuntur.

*Reprehendit hunc etc.* Hunc euntem pallio capit et retrahit. *Pallio.* Namque scena est Athenis, et dramatis personis graecae vestis mos est.

*Haud aneuscheme.* Haud indecore, haud invenuste. Cf. adnot. ad Mil. II. 2. 59.

*Lubido . . . audire.* Modus infinitivus pro gerundio. Έπιτομή.

## ACTUS III. - SCENA II.

LYSITELES, LESBONICUS, STASIMUS.

LYSITELES.

Sta cloco! noli advorsari, neque te occultassis mihi!

LESBONICUS.

Potin', ut me ire, quo profectus sum, sinas?

LYSITELES.

Si in rem tuae,

Lesbonice, esse videatur gloriae aut famae, sinam.

LESBONICUS.

Quod est facillum, facis.

LYSITELES.

Quid id est?

LESBONICUS.

Amico iniuriam.

LYSITELES.

Neque meum est, neque facere didici.

LESBONICUS.

Indoctus quam docte facis! 5

Saepe numero fieri videmus, ut homines, qui animi causa rem familiarem in deliciis perdiderunt, excelsi atque alti praecipuum honoris bonaeque existimationis studium ostentent, ut vix ac ne vix quidem ad ea dedueantur, ex quibus aliquam nemini suo maculam inuri arbitrentur. Hisce adnumerandos Lesbonicus, qui in hac scena pertinacissimo renuit sororem Lysiteli dare sine dote; veritus videlicet, ne obtrectandi animum det malevolentibus. Quare hinc Lysiteles benevolentia, illinc decoro et liberalitate certat Lesbonicus.

*Sta cloco!* Sta in loco. Nos: *Fermati-là.*

*Occultassis.* Archaism. *Ocultaveris.*

*Potin'.....sinas?* An fieri potest ut tu patiaris etc.?

*Quo profectus sum.* Nos: *dove sono avviato.*

*Si in rem tuae esse videatur gloriae aut famae.* Si tuae gloriae aut famae hoc convenire videatur.

*Amico iniuriam.* Supp. *facis.*

*Meum est.* Ingenii, moris mei est.

*Indoctus quam docte facis!* Etiamsi haec facere non didiceris, optime tamen facis.

Quid faceres, si quis docuisset te, ut sic odio esses mihi,  
Qui bene simulas facere mihi te, male facis, male consulis?

LYSITELES.

Egone?

LESBONICUS.

Tu nae!

LYSITELES.

Qui male facio?

LESBONICUS.

Quod ego nolo, id quom facis.

LYSITELES.

Tuae re bene consulere cupio.

LESBONICUS.

Tun' mi es melior quam egomet mi?

Sat sapio; satis, in rem quae sint meam, ego conspicio mihi. 10

LYSITELES.

An id est sapere, ut qui beneficium, benevolentem, repudies?

LESBONICUS.

Nullum beneficium esse duco id, quod, quoi facias, non placet.  
Scio ego et sentio ipse, quid agam, nec modo se officium migrat,

*Ut sic odio esses mihi. Ut sic mihi esses importunus.*

*Bene simulas facere. Tmesis.*

*Nae. Sane, profecto. Particula graviter affirmantis.*

*Qui male facio? Quomodo male facio?*

*Melior. Amicior.*

*In rem quae sint meam. Quae me deceant.*

*Mihi. Pro mea utilitate. Dissertat. Vide adnot. ad Mil. t. 1. 5.*

*An id est sapere, ut qui beneficium, benevolentem, repudies? An id est sapere, beneficium tibi oblatum et benevolentem hominem repudiare? Itali: Chiamerai tu assennato colui che respinge un uomo benefico ed affezionato? Ut qui repudies. Quipequi repudies, quum repudies. Animadvertite, lector, cautam et prudentem Lysitelis responsionem. Ne altum atque irritabilem Lesbonicum animum offenderet, beneficium commemorando, quod in illum erat collaturus, lenius statim verbum subdit benevolentem.*

*Nec modo se officium migrat. Verbum migro hic ponitur active et transitive. Nec officium meum mutat se vel mutatur. Nec meum officium nunc aliud est ac fuit antea. Lucretius pariter II. 774: Caerula quae sint, Nunquam in marmoreum possunt migrare colorem, hoc est mutari; Idem V. 828: Omnia migrant. Intellige mutantur.*

Nec tuis depellor dictis, quin rumori serviam.

LYSITELES.

Quid ais? nam retineri nequeo, quin dicam ea, quae promeres. 15  
 Itane tandem tibi maiores famam tradiderunt tui,  
 Ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes,  
 Atque honoris posterorum tuorum ut vendax fieres?  
 Tibi paterque avosque facilem fecit et planam viam  
 Ad quaerendum honorem; tu fecisti, ut difficilis foret, 20  
 Culpa maxuma et desidia tuisque stultis moribus.  
 Praeoptavisti, amorem virtuti ut tuum praeponeres;  
 Nunc te hoc pacto credis posse obtegere errata? Ah, non ita est!  
 Cape, sis, virtutem animo, et corde expelle desidiam tuo.  
 In foro operam amicis da; haud in lecto amicae, ut solitus es. 25  
 Atque agrum istum tibi relinqui ego ob eam rem enixe expeto,  
 Ut tibi sit, qui te conrigere possis: ne omnino inopiam  
 Cives obiectare possint tibi, quos tu inimicos habes.

LEBONICUS.

Omnia ego istaec, quae dixisti, scio. Vel exsignavero,  
 Ut rem patriam et maiorum meum foedarim gloriam. 30  
 Scibam, ut esse me deceret; facere tuon quibam miser;  
 Ita, vi Veneris victus, captus otio, in fraudem incidi;  
 Et tibi nunc, proinde ac merere, summas habeo gratias.

LYSITELES.

At operam perire meam sic, et te haec corde spernere,

*Nec tuis depellor dictis, quin rumori serviam.* Nec verba tua faciant, ut famae non serviam.

*Quid ais?* Formula admirantis. Nos: *Che di' tu mai?* Cf. Amph. I. 1. 202.

*Vendax fieres.* Absurde vulgatae editiones habent *vindex*.

*Praeoptavisti, amorem etc.* Maluisti amorem tuum virtuti antepondere.

*Cape virtutem animo.* Excipe animo virtutem.

*Ut tibi sit, qui te conrigere etc.* Ut tibi modus suppetat te erigendi.

*Vel exsignavero, ut rem etc.* Exsignare idem valet ac quae mente tenemus in scriptum redigere. Sensus est: ego paratus essem etiam perscribere, quemadmodum etc. Itali: *Io sarei presto anche a porre in iscritto, come abbia ecc.*

*Scibam.* Arch.

*Summas habeo gratias.* Nos: *ti sono grandemente obbligato.*

*Operam perire.* Operam meam irritam fieri.

Perpeti nequeo; simul me piget, pudere te parum;  
 Et postremo, nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis,  
 Tute pone te latebis facile, ne inveniatur te honor;  
 In occulto iacebis, quom te maxime clarum voles.  
 Pernovi equidem, Lesbionice, tuom admodum imperitum ingenium;  
 Scio, te sponte non tuapte errasse, sed amorem tibi  
 Pectus obscurasse. Atque ipse amoris teneo omnia vias.  
 Ita amor est, balista ut iacitur: nil sic celere est neque volat;  
 Atque is mores hominum moros et morosos efficit:  
 Minus placet, magis quod suadet; quod dissuadet, placet.  
 Quom inopia est, cupias; quando eius copia est, tum non velis;  
 Ille, qui aspellit, is compellit; ille, qui consuadet, vetat.  
 Insanum est malum indu hospitium devorti ad Cupidinem.  
 Sed te moneo, hoc etiam atque etiam ut reputes, quid facere expetas.  
 Si istuc, ut conari facis indicium, tuom incendes genus.  
 Tum igitur tibi aquae erit cupido, genus qui restinguas tuom.  
 At qui erit? — Si nactus: proinde ut corde amantes sunt cati,

*Me auscultas.* Mihi morem geris.

*Tute pone te etc.* Tu ipse facile impediens, quominus honos te inveniatur.

*Pectus.* Metonym. Mentem.

*Balista ut iacitur.* Balista a βάλισσα, iactio, fuit machina militaris, qua lapides aut grandiora tela torquebantur. Hic vero ponitur metonymice pro telo, quod balista iacitur. Amor est similis telo, quod balista iacitur.

*Mores... moros... morosus.* Paronomasia. Morus a graeca voce μωρος, stultus. Cf. Mil. II. 4. 17. *Morosus.* Ital. *strano, fastidioso, fantastico.*

*Quom inopia est.* Quamdiu voti non es compos.

*Cupias... velis.* Eleganter pro modo indicativo cupis... vis.

*Qui aspellit, is compellit.* Qui repellit, impellit.

*Insanum.* Ingens, maximum. Cf. adnot. ad Mil. I. 1. 24.

*Indu.* Archaism. In. Ex graeco ἰνδύω. Cf. Vossii Etymol. p. 508.

*Indu hospitium devorti ad Cupidinem.* Hospitari apud Cupidinem.

*Si istuc.* Subaudi facis.

*Ut conari facis indicium.* Ut indicas te esse conaturum. Nos: *come mostri di voler fare.* Perperam aliae editiones habent: si istuc conare, ut facis indicium.

*Tuom incendes genus.* Transl. Genus tuum perdes. Itali: *rovinerai la tua casa.*

*Aquae... qui.* Vide adnot. ad ProL. 15.

*At qui erit?* At quomodo tibi erit aqua? Undenam aquam sumes?

*Proinde ut.* Uti, quemadmodum.

*Corde... cati.* Sollicitus, acuti.



Ne scintillam quidem relinques, genus qui congliscat tuom.

LESBONICUS.

Facile est inventu: datur ignis, tametsi ab inimicis petas.  
Sed tu, obiurgans me a peccatis, rapis deteriores in viam:  
Meam tibi vis dem sororem sine dote. Hoc non convenit, 55  
Me, qui abusus tantam suam rem patriam, porro in divitiis  
Esse agrumque habere, egere illam autem: ut merito me oderit.  
Nunquam alienis gravis erit, qui suis se concinnat levem.  
Sicut dixi, faciam. Nolo te iactari diutius.

LYSITELES.

Tanto meliust, te sororis causa egestatem exsequi, 60  
Atque eum agrum me habere, quam te, tua qui toleres moenia?

LESBONICUS.

Nolo ego, mihi te tam prospicere, qui meam egestatem leves;  
Sed, ut inops infamis ne sim: ne mi hanc famam differant,  
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi  
Sic sine dote dedisse, inage quam in matrimonium. 65

*Congliscat. Crescat.*

*Facile est inventu. Supp. scintilla vel ignis.*

*Datur ignis, tametsi etc. Vel inimici, si ab ipsis petas, dant ignem.*

*A peccatis. Ob peccata. Sic Plin. H. N. xxiv. 5: Si caput a sole dolcat.*

*Rapis deteriores in viam. Nos: mi tiri al partito men buono.*

*Qui abusus tantam sum etc. Qui tantas fortunas patrias absumpsi.*

*Me. . . . porro in divitiis esse. Quum porro accedit ad verba, significat rei alicuius continuationem. Itali: che io continui ad esser ricco.*

*Ut merito. Supp. ita.*

*Nunquam alienis etc. Nunquam apud alienos auctoritate valebit, qui suis hominem se praebet nullius momenti. Notanda antithesis: gravis. . . . levem.*

*Nolo te iactari diutius. Nolo te diutius in hoc sermone immorari; nolo te diutius hac de re laborare.*

*Egestatem exsequi. Egestatem ferre.*

*Quom te. Supp. potius.*

*Tua qui toleres moenia. Quo agro sumptus quotidianos tolerare possis.*

*Moenia. Arch. Munia.*

*Qui. Quomodo.*

*Ne mi hanc famam differant. Ne malam hanc de me famam divulgent.*

*Germanam sororem. Eodem patre eademque matre genitam.*

*In concubinatum. Concubinatus est, si mulier cum aliquo vivat, cum quo non sit matrimonio coniuncta. Haec concubinatum appellat Lesbonicus matrimonium sine dote.*

Quis me improbius perhibeatur esse? Haec famigeratio  
Te honestet, me autem conlutulet, si sine dote duxeris.  
Tibi sit emolumentum honoris; mihi, quod obiectent, siet.

LYSITELES.

Quid? te dictatorem censes fore, si abs te agrum acceperim?

LESBONICUS.

Neque volo neque postulo neque censeo: verum tamen 70  
Is honos est homini pudico, meminisse officium suum.

LYSITELES.

Scio equidem te, animatus ut sis; video, subolet, sentio:  
Id agis, ut, ubi adfinitatem inter nos nostram adstrinxeris,  
Atque eum agrum dederis, nec quidquam hic tibi sit, qui vitam  
colas,

Ecfugas ex urbe inanis, profugus patriam deseras, 75  
Cognatos, adfinitatem, amicos, factis nuptiis.

Mea opera hinc proterritum te meaque avaritia autument.

Id me commissurum, ut patiar fieri, ne animum induxeris.

STASIMUS.

Non enim possum, quin exclamem: Euge! Euge, Lysiteles, πάλι!

*Haec famigeratio.* Haec fama evulgata.

*Me conlutulet.* Mihi dedecus afferet.

*Mihi, quod obiectent, siet.* Mihi erit quod obiciant.

*Te dictatorem censes fore?* An putas, te summum honorum fastigium esse impleturum?

*Homini pudico.* Ei qui bonum atque honestum servat.

*Scio te, animatus ut sis.* Equidem scio, quaenam tua mens sit. Itali:  
*So bene qual è la tua intenzione.*

*Subolet.* Translate. Cogitatione praecipio. Nos: *Me Io immagino.*

*Vitam colas.* Vitam sustentens.

*Inanis.* Egens.

*Proterritum... autument.* Expulsum dicent.

*Id me commissurum etc.* Ne credas, me id esse facturum, ut patiar haec accidere, quae memoravi.

*Non enim possum.* Profecto non possum. Cf. adnot. ad Mil. II. 3. 12.

*Euge! Eγt.* Vox plaudentis. Cf. Most. I. 3. 103. Nos: *Bravo!*

*Πάλι!* Iterum. Supp. dico. Graeca vocabula identidem usurpat Plautus. Quo facto orationem familiariter colloquentium imitatur. Haud aliter nos in circulis et congressionibus amicorum latinas vel gallicas voces saepe inserimus quotidiano sermone.

Facile palmam habes; hic victus. Vicit tua comoedia. —  
 Hic agit magis ex argumento et versus meliores facit.  
 Etiam ob stultitiam tuam te tueris? Multam abomina.

LESBONICUS.

Quid tibi interpellatio aut in concilium huc accessio est?

STASIMUS.

Eodem pacto, quo huc accessi, abcessero.

LESBONICUS.

I hac mecum domum,

Lysiteles: ibi de istis rebus plura fabulabimur.

LYSITELES.

Nihil ego in occulto agere soleo. Meus ut animus, cloquar:  
 Si mihi tua soror, ut ego aequom censeo, ita nuptum datur  
 Sine dote, neque tu hinc abiturus, quod meum erit, id erit tuom;  
 Sin aliter animatus es, bene, quod agas, eveniat tibi:  
 Ego amicus tibi nunquam ero alio pacto. Sic sententia est.

STASIMUS.

Abit hercle ille. Ecquid audis, Lysiteles? Ego te volo.

Hic quoque abiit. Stasime, restas solus. Quid ego nunc agam,

*Hic victus.* Lesbonicus est victus.

*Vicit tua comoedia.* Stasimus servus, qui Lysiteli et Lesbonicum colloquium auscultaverat, Lysiteli plaudens: vicit tua comoedia, inquit; hoc est: multo melius dixisti quam Lesbonicus. Perinde ac si ageretur de duobus poetis, quorum uterque comoediam docuisset, et de palma certaret.

*Hic agit magis etc.* Haec verba ad Lesbonicum conversus profert Stasimus. Hic, nempe Lysiteles, commodius quam tu, o Lesbonicus, comoediae argumentum tractavit.

*Etiam ob stultitiam etc.* An te defendis etiam stultitia tua?

*Multam abomina.* Fac ut poenam pecuniariam a te depellas, quae tibi utpote victo erit pendenda.

*Quid tibi interpellatio est? Prisca locutio Plauto peculiaris, pro vulgari:* Cur tu nos colloquentes interpellas, aut accedis huc in concilium?

*Eodem pacto, etc.* Servilis iocus.

*Hac.* Nos: per quæta parte.

*Hinc abiturus.* Supp. es.

*Bene, quod agas, eveniat tibi.* Hali: il cielo te la mandi buona.

*Ille.* Lesbonicus.

*Ecquid audis? Anne audis? audi.*

*Te volo.* Subaudi colloqui.

Nisi uti sarcinam constringam et clypeum ad dorsum adcommo-  
dem,

Soccis fulmentas suppingi iubeam? Non sisti potest:

Video, caculam militarem me futurum haud longius,

95

Ut aliquem ad regem in saginam herus se coniexit meus.

Credo ad summos bellatores acrem – fugitorem fore,

Et capturum spolia ibi – illum, qui hero advorsus venerit;

Egomet autem, quom extemplo arcum mi et pharetram sumsero,

Cassidem iu caput, – dormibo placide in tabernaculo.

100

Ad forum ibo: nudius sextus quoi talentum inuotom

Dedi, repositam: ut habeam; mecum quod feram, viaticum.

*Constringam.* Etiam atque etiam alligem.

*Soccis fulmentas suppingi iubeam.* Iubeam soleam subtus addi calceamentis, quo videlicet solidiora et firmitiora sint. *Soccus* fuit calceamenti genus apud Graecos, tum virile, tum muliebre.

*Non sisti potest.* Actum est. Nulla iam spes salutis elucet. tam dominum meum ab exitio vindicare non licet.

*Cacula.* Calo, servus militis.

*Haud longius.* Mox, propediem.

*Ut ad regem in saginam etc.* Ubi ad alicuius regis stipendia se contulerit, a quo saginetur, hoc est alatur, atque opibus cumuletur. *Coniexit.* Arch. pro futuro coniecerit.

*Credo ad summos etc.* Fuere qui comparisonem haece verbis inesse suspicarentur; quasi Stasimus voluerit significare, Lesbianicum, si conferatur cum summis bellatoribus, acrem fugitorem fore. Inepte. Hic particula *ad* valet *apud, inter.*

*Et capturum spolia ibi - illum, etc.* Hic Stasimus ludit illa sermonis ambiguitate, quae maxime confert ad theatrum exhibitarandum. Primo enim credas, Lesbianicum laudari ntpote qui hostium spolia sit capturus; sed praeter expectationem servus illa statim subdit, quae longe aliam significationem verbis affingant.

*Qui hero advorsus venerit.* Qui hero obvius venerit.

*Quom extemplo.* Statim ac.

*Dormibo placide etc.* Hic etiam iocatur Stasimus, et longe alia profert, atque spectatores arbitrabantur. Hinc caveae risus. *Dormibo.* Arch.

*Nudius sextus.* Nunc est dies sextus. Nos: *sei giorni fa.*

*Viaticum.* Necessaria ad iter faciendum.

## ACTUS III. - SCENA III.

MEGARONIDES, CALLICLES.

MEGARONIDES.

Ut mihi rem narras, Callicles, nullo modo  
Pote fieri prorsus, quin dos detur virgini.

CALLICLES.

Namque hercle honeste fieri ferme non potest,  
Ut eam perpetiar ire in matrimonium  
Sine dote, quom eius rem penes me habeam domi.

MEGARONIDES.

Paranda dos domi est, nisi exspectare vis,  
Ut eam sine dote frater nuptum conlocet,  
Post adeas tute Philtonem, et dotem dare  
Te ei dicas: facere id eius ob amicitiam patris.  
Verum hoc ego vereor, ne istaec pollicitatio  
Te in crimen populo ponat atque infamiam.  
Non temere dicant te benignum virgini:  
Dalem tibi dotem, ei quam dares, eius a patre;  
Ex ea te largitari, neque ita, ut sit data,

Megaronides et Callicles consilia ineunt quemadmodum dotem Charmidis filiae parent; ac nonnullis verbis ultro citroque habitis, inter eos tandem convenit, ut pecuniam ex thesauro depromant, quem Charmides peregre profecturus Callicli demonstraverat in suis aedibus. Ne autem Lesbianicus quidpiam de thesauro suspicetur, simulant, quemdam ex Seleucia venisse, qui mille numos philippeos ferat, a Charmide missos. tunc vero ille est sycophanta, qui tribus numis operam suam locavit, quemadmodum patebit ex scena secunda actus quarti.

*Ut mihi rem narras. Itali: A quel che mi dici.*

*Pote. Supp. est.*

*Namque hercle. Revera, profecto. Cf. adnot. ad Mil. iv. 5. 11.*

*Vereor. . . . te in crimen etc. Vereor ue haec pollicitatio te populi criminationibus et probris obiectet.*

*Non temere etc. Non sine causa te in virginem esse liberalem.*

*Neque ita, etc. Neque te dotem intactam virgini reddere, ut tibi fuit data, et dicent, te quidpiam ex illa detraxisse. Culumem. incolumem, integram. Detraze. Sync.*

Columem te sistere illi, et detraxe autument.

Nunc si opperiri vis adventum Charmidis,

Perlongum est huic ducenti: interea abscesserit.

CALLICLES.

Nam hercle omnia istaec veniunt in mentem mihi.

MEGARONIDES.

Vide, si hoc utibile magis atque in rem deputas,

Ut adeas Lesbianicum edoctum, ut res se habet.

CALLICLES.

Ut ego nunc adolescenti thesaurum indicem

Indomito, pleno amoris ac lasciviae?

Minume, minume hercle vero! nam certo scio

Locum quoque illum omnem, ubi situst, comederit:

Quem fodere metuo, sonitum ne ille exaudiat,

Ne ipsam rem indaget, dotem dare si dixerim.

*Nunc si opperiri vis.* In hoc loco nunc vim habet particulae adversativae *sed*. Haud aliter Graeci *sed* pro *ἀλλὰ* crebro usurpant. Sic Bacch. III. 3. 8: Nam absque te esset, ego illum habebrem rectum ad ingenium bonum: nunc propter te tuamque pravus factus est fiduciam Pistoclerus. In hac significatione saepe occurrit apud Tullium. Cf. Epist. ad fam. I. 9. 47; III. 11. 7; VI. 9. 3; XI. 4. 1: de fin. I. 13. 42: Tuscul. Disp. III. 1. 2: pro Font. XI. 24: Phil. V. 6. 16: in Verr. V. 67. 171: in Catil. II. 7. 16: pro leg. agr. II. 31. 85.

*Perlongum est huic ducenti: interea abscesserit.* Alii aliter hunc locum interpungunt, sed absurde. Sensus est: Perlongum videbitur hoc tempus Lysitelli virginem ducere eupientii; interea morae pertaesus abscedet a nuptiis.

*Utibile magis atque in rem.* Utilius et convenientius.

*Ut adeas Lesbianicum edoctum.* Ut Lesbianicum couvenias, cumque edoceas. In reliquis editionibus perperam legitur *adeam*.

*Ut ego adolescenti thesaurum indicem?* Eleganter Itali efferunt hanc dicendi formulam per modum infinitivum: *Io svelare il tesoro ad un giovane ecc.?*

*Indomito.* Effreni, roctorem recusanti.

*Minume, minume hercle vero!* In responsionibus *minime* negat. Crescit autem vis orationis, si addas particulas *hercle*, *vero*, aut nomen *gentium*. Nos: *Oibò, oibò! no davvero!* Cf. Cic. Tusc. Disp. I. 6. 10; II. 27. 67: Plant. Merc. II. 3. 83; Poen. III. 3. 76: Ter. Eun. IV. 1. 11.

*Locum quoque etc.* Hyperbole ad caveam hilarandam.

*Situst.* Positust, conditust est thesaurus.

*Comederit.* Comederet, vel comedet.

MEGARONIDES.

Quo pacto ergo igitur?

CALLICLES.

Clam dos deproxi potest,

Dum occasio ei re reperiatur; interim

Ab amico *amicod* alicunde argentum rogem.

MEGARONIDES.

Potin' est ab amico alicunde exorari?

CALLICLES.

Potest.

30

MEGARONIDES.

Gerrae! nae tu illud verbum actutum inveneris:

« Mihi quidem hercle non est, quod dem mutuom. »

CALLICLES.

Malum hercle — ut verum dicas, quam ut des mutuom.

*Quo pacto? Supp. dotem dabimus virgini?*

*Ergo igitur?* In colloquiis ille utitur particula *ergo* aut *igitur*, qui datae responsioni non acquiescens, ad quaestionem redit. Cf. Cas. iii. 2. 17; Pseud. iv. 1. 10; Truc. I. 2. 73; Cic. de fin. iv. 18. 49: Quis tibi *ergo* istud dabit praeter Pyrrhonem? Horat. Sat. II. 3. 156: Quanti emptae? Parvo. Quanti *ergo*? Octussibus. Ambas vero particulas interdum coniungunt *utroque* veteres comici et secularis aevi scriptores. Sic Apul. Met. I. p. 104. 25: *ergo igitur* inefficaci celeritate fatigatus ad balneas processeram.

*Ab amico amicod.* Mancum versus iugose supplevit Bothius, repetita voce *amico*. Haud absouam Plantio iugose hanc paronomasiam dixeris, cuius sensus est: ab amico, qui reapse amicus sit, ut nomen sonat.

*Gerrae!* Sunt gerrae crates viminae. Hic vero interiective profertur haec vox. Itali: *Ciance!*

*Illud verbum.* Illa verba.

*Actutum.* Confestim. Huiusco adverbii frequentior usus apparet in comicis; rarior in oratoribus atque historicis.

*Malum hercle — ut verum dicas etc.* Malum hercle est, te verum dicere, potiusquam pecuniam mutuam mihi dare. Nimirum particula *ut* cum subiunctivo saepe usurpatur a Plauto pro modo infinitivo. Ceterum, ut sensum versus plauē assequaris, lector, iuvabit animadvertere, priora illa verba *malum hercle*, clara voce pronuntiarī a Callicle, ita ut a Megaronide exaudiantur (quasi velit Callicles significare, malum esse, pecuniam mutuam unquam posse inveniri); posteriorem vero partem versus submisso proferri, atque ita ut verborum sonus ad spectatorum aures tantummodo perueniat. Quo facto iam palam fit spectatoribus Calliclis mens, cupientis pecuniam sibi mutuam a Megaronide dari, potiusquam verum dici.

MEGARONIDES.

Sed vide consilium, si placet.

CALLICLES.

Quid consili est?

MEGARONIDES.

Scitum, ut ego opinor, consilium inveni.

CALLICLES.

Quid est?

35

MEGARONIDES.

Homo conducatur aliquis iam quantum potest  
 Ignota facie, quae non visitata sit,  
 Quasi sit peregrinus.

CALLICLES.

Quid is scit facere postea?

MEGARONIDES.

Is homo exornetur graphice in peregrinum modum,  
 Quasi ad adolescentem a patre ex Seleucia  
 Veniat; salutem ei nuntiet verbis patris;  
 Illum bene gerere et valere et vivere,  
 Et eum rediturum actutum. Ferat epistolas  
 Duas; eas nos consignemus, quasi sint a patre.

40

*Quid consili est? Nos: Qual disegno hai tu?**Scitum. Acutum, prudens.**Homo conducatur. Alicuius hominis opera mercede comparetur.**Quantum potest. Quam primum fieri potest. Cf. Aulul. l. 2. 41; Bacch. II. 2. 114.**Quae non visitata sit. Quae haud saepe in hisce locis fuerit visa.**Quid is scit facere postea? Quid postea faciet?**Graphice. A graeco γραφικη, pingo. Commode, apte.**A patre. Supp. missus.**Verbis patris. Patris nomine. Nos: da parte del padre.**Bene gerere. Subaudi rem. Lucrum facere. Cf. Pers. IV. 3. 34.**Consignemus, quasi sint a patre. Epistolas sigillo muniamus, quasi fuerint a patre obsignatae.*



CALLICLES.

Falsidicum confidentem! – Quid tum postea? 45

MEGARONIDES.

Det alteram illice, alteram dicat tibi

Dare sese velle . . . .

CALLICLES.

Perge porro dicere.

MEGARONIDES.

Seque aurum ferre virgini dotem a patre

Dicat; patremque id iussisse aurum tibi dare. 50

Tenes iam?

CALLICLES.

Propemodo, atque ausculto perlubens.

MEGARONIDES.

Tum tu igitur demum id adulescenti aurum dabis,

Ubi erit locata virgo in matrimonium . . . . .

CALLICLES.

Scite hercle sane hoc!

MEGARONIDES.

Ubi thesaurum ecfoderis.

Suspicionem ab adulescente amoveris: 55

Censebit aurum esse a patre adlatum tibi;

Tu de thesauro sumes.

*Falsidicum confidentem!* Haec secum, submissa voce, Callicles, Megaronidis audaciam miratus. Itali: *Che intrepido mentitore è costui!*

*Quid tum postea?* Haec rursus clara voce Callicles ad Megaronidem conversus. Nos: *E poi?*

*Alteram.* Proprie, quum de duabus tantummodo epistolis sermo sit. Cf. vocem *alius* apud ΠΟΡΜΑ, de diff. verb. edit. Taurin. an. MDCCLII.

*Perge porro.* Cf. adnot. ad III. 2. 56.

*Tenes iam?* Intellexistin? Itali: *Hai capito?*

*Propemodo.* Sunt qui ita existiment, adverbium *propemodo*, nusquam apud antiquissimos scriptores occurrere, atque a recentioribus tantummodo fuisse excogitatum. Quare adversus Bothii sententiam contendunt, heic et in Pseud. I. 3. 49 legendum esse *propemodum*. Nos rem haud satis compertam et exploratam in medio relinquimus.

*Scite.* Ingeniose, prudenter.

CALLICLES.

Satis scite et probe!

Quamquam hoc me aetatis sycophantari pudet.

Sed epistolas quando obsignatas adferet,

Si quidem obsignatas attulerit epistolas,

Nonne arbitraris, tum adolescentem anuli

Paterni signum novisse? 60

MEGARONIDES.

Etiam tu taces?

Sexcentae ad eam rem causae possunt conligi:

Quem habivit, perdidit; alium post fecit novom.

Iam si obsignatas non feret, dici hoc potest,

Apud portitorem eas resignatas sibi

Inspectasque esse. In huiusmodi negotio

Diem sermone terere, segnitias mera est:

Quamvis sermones possunt longi texier.

Abi ad thesaurum iam confestim clanculum;

Servos, ancillas amove; atque audin'? 70

CALLICLES.

Quid est?

MEGARONIDES.

Uxorem ipsam quoque hanc rem uti celes face:

*Hoc aetatis sycophantari.* Hac mea aetate iam provecta fallacias struere. A graeco *εἰσὸν*, *ficus*, *quibus*, *accuso*. Vide Aristoph. Scholiast. ad Plutarch. V. vii. 74.

*Si quidem.* Si tamen. Nos: *Seppure*.

*Anuli paterni signum etc.* Intellige anulum signatorium, quo veteres praesertim utebantur ad obsignandas epistolas.

*Etiam tu taces?* Particula *etiam* indignantis est, vel impatientis. Itali: *Zitto!* Cf. Amph. I. 1. 290; il. 1. 31; Most. il. 1. 129; il. 2. 89; Ter. Eun. V. 6. 16.

*Ad eam rem causae.* Supp. *expediendam*. Eius rei causae.

*Quem habivit, perdidit.* Anulum perdidit, quem habuit. *Habivit.* Arch.

*Portitorem.* Hoc nomine eum appellabant Latini, qui vectigal exigeret pro rerum transvectione, quod portorium dicebatur. Nos: *il doganiere*, *il gabelliere*. Ad hunc pertinebat omnia inspicere et curiosius perscrutari.

*Segnitias.* Stultitia.

*Quamvis... longi.* Longissimi. Itali: *lungi quanto ti piace*.

Nam pol tacere nunquam quidquam est quod queat.  
 Quid nunc stas? quin te hinc amoves et demoves?  
 Aperi; deprime inde, auri ad hanc rem quod sat est;  
 Continuo operito denuo; sed clanculum,  
 Sicut praecepi; cunctos exturba acedibus.

75

CALLICLES.

Ita faciam.

MEGARONIDES.

At enim nimis longo sermone utimur:  
 Diem conficimus.

CALLICLES.

Quid iam?

MEGARONIDES.

Properato est opus.

Nihil est, de signo quod vereare. Me vide.  
 Lepida illa est causa, ut commemoravi, dicere,  
 Apud portitores esse inspectas. Denique  
 Diei tempus non vides? quid illunc putas  
 Natura illa atque ingenio? Iamdudum ebriust:  
 Quidvis probari poterit. Tum, quod maxumum est,  
 Adferre, non petere hic se dicet.

80

85

*Quin te hinc amoves et demoves?* *Ταυτολογία* haud infrequens in familiari sermone. Nos: *perchè non te ne vai e non ti levi di qui.*

*Aperi.* Supp. thesaurum.

*Exturba.* Eilice.

*De signo.* De sigillo epistolarum.

*Me vide.* Rem audacter aggredere. Te securum a metu praesto. Itali: *Te ne sto io mallevadore.* Cf. Rud. III. 3. 18, atque adnot. ad Mil. II. 4. 23.

*Lepida.* Apta, concinna.

*Diei tempus non vides?* Nonne horam diei vides?

*Quid illunc putas natura illa atque ingenio?* Quid putas, Lesbonicum, qua est natura et ingenio, hac diei hora fecisse? Iamdudum est ebrius.

*Quidvis probari poterit.* Quidvis illi suadere poterimus.

*Adferre, non petere hic se dicet.* Hoc modo sententia Megaronidis est supplenda: Quum hic sycophanta, lator epistolarum, dicat se aurum adferre, non potere, facile fiet, ut Lesbonicus minutissima quaeque diligenter non inspiciat; ac propterea nulla ex resignatis epistolis orietur difficultas. Haud absurde nos: *Dicendo costui di recare e non di domandar danaro, Lesbónico non la guarderà tanto nel sottile.*

CALLICLES.

Iam sat est.

MEGARONIDES.

Ego sycophantam iam conduco de foro,  
 Epistolasque etiam consignabo duas,  
 Eumque ad adolescentem meditatam probe  
 Huc mittam.

CALLICLES.

Eo ego igitur intro ad officium meum.

90

Tu istuc age actum reddas.

MEGARONIDES.

Nugax sum, nisi!

*Sycophantam conduco de foro.* Sycophantam de foro huc pretio adducam.  
*Meditatum probe.* Probe doctum. Itali: *ben istrutto, ben preparato.*  
*Ad officium meum.* Ad thesaurum effodiendum.  
*Istuc age actum reddas.* Paronomasia. Fac ut hoc perficias.  
*Nugax sum, nisi!* Me nullius momenti hominem dicito, nisi hoc le-  
 pide perfecero.

## ACTUS IV.

## SCENA I.

## CHARMIDES.

Salsipotenti et multipotenti Iovis fratri aetherei, Neptuno,  
 Laetus, lubens, laudes ago gratas gratisque habeo et fluctibus  
 salsis,  
 Quos penes omnis boni potestas mei quidem fuit et meae vitae,

Actum quartum auspicatur poeta a Charmidis *πρωτογενής*, qui ex Seleucia reversus Neptuno gratias agit, cuius ope incolomis ex tot maris periculis evaserat. Haud aliter in Milite glorioso (act. II. sc. 2.) Philocomasium simulans, se peregre venisse, Ephesiae Dianae gratum animum testatur, quae ipsam in saevis fluctibus servasset. Hic vero notanda omnino gestientis Charmidis oratio, qui usque eo Neptunum laudibus ornat, ut adversus naufragorum criminationes illum etiam purgare non dubitet.

*Salsipotenti.* Neptuno salsorum fluctuum potenti, maris domino. Graeci: αἰὲς ὑπαικούμενος. Nos: *al signore del mare*. Haud aliter Horatius (Od. I. 3. 1.): *Venerem Cyprī potentem*; Virgilius (Aen. I. 84.): *Aeolum nimborum potentem*; Ovid. (Metam. IX. 315.): *Lucinam uteri potentem*; Seneca (Herc. fur. 300.): *Cererem frugum potentem* appellant. Quas quidem locutiones eleganter quis transferat ad quaedam significanda, quae ad christianam religionem pertinent. Sic exempli gratia: templum Virgini Matri sacrum, morborum potenti commode dixcris latine pro eo quod est Italis: *Chiesa sacra alla Madonna degl' infermi*.

*Multipotenti.* Qui multum potest.

*Iovis aetherei.* Iovis coelestis, Iovis qui coelo imperat. Quemadmodum *salsipotens* dicitur Neptunus, sic iure *aethereus* Iupiter appellatur.

*Laetus, lubens.* Formula saepissime a Latinis usurpata et litteris singulariis *L. L.* ut plurimum expressa in monumentis, quae diis immortalibus dedicabantur.

*Laudes ago gratas gratisque habeo.* Inepte aliae editiones: *grates gratasque habeo*.

*Quos penes omnis etc.* In quorum arbitrio et potestate fuerunt omnia mea bona, vitaeque ipsa. Hunc versum, in reliquis editionibus corruptum, ad probabilem lectionem Bothius redegit.

Quom suis me ex locis in patriam urbisque moenia reducem  
 faciunt.  
 Atque tibi ego, Neptune, ante alios deos gratis ago et habeo  
 summas:  
 Nam te omnes saevomque severumque avidis moribus commemo-  
 rant,  
 Spurcificum, imanem, intolerandum, vesanum; ego contra opera  
 expertus:  
 Nam pol placido te et clementi meo usque modo, ut volui, usus  
 in alto.  
 Atque hanc gloriam tuam ante auribus nobilem iam acceperam  
 ad homines:  
 Pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque domare. 10

*Quom. Quod.*

*In patriam urbisque moenia reducem faciunt.* In Bothiana editioe legitur: *in patriam urbem incolumem reducem faciunt.* A qua lectione nobis recedendum esse existimavimus. Neque id temere. Namque vocem *incolumem*, etsi non absurdam, redundantem tamen atque inutilem dixerit quisquis animadvertat, iam contineri in vocabulo *reducem*, quod Latini usurpant de illo, qui peregre *incolumis* redierit. Sic Plautus ipse *Capt. V. 1. 1*: Iovi ago gratias, cum te *reducem* tuo patri reddiderunt; hoc est *incolumem*. Tacitus etiam *Ann. I. 70*: Nec fides salutis, antequam Caesarem exercitumque *reducem* viderunt. Sensus est: se salvos non crediderunt, antequam Caesarem exercitumque *incolumem* rediisse viderunt. Nec facit, quod *patriam urbisque moenia* in placita lectione coniungamus. Si quidem *patriam* pro Attica regione generalim ponit poeta; *urbis moenia* pro Athenis.

*Gratis ago et habeo summas.* Maximas tibi verbis gratias ago, et grato animo accepti beneficii memoriam prosequear. Itali: *ti rendo infinite grazie, e ti sarò sempre obbligato.*

*Avidis moribus.* Natura avidum, voracem, utpote qui naves et nautas undis absorbeat.

*Spurcificum.* Spurca facientem; foedas tempestates excitantem.

*Vesanum.* Furentibus ventis agitatam.

*Contra opera expertus.* Re contrarium ego sum expertus. Nos: *io provai col fatto il contrario.*

*Meo usque modo.* Ad meam semper voluntatem.

*In alto.* Supp. mari.

*Auribus nobilem.* Gloriam auribus celebratam.

*Ad homines.* Apud homines.

*Damnare.* Poena afficere.

Abi, laudo: scis ordine, ut aequom est, tractare homines. Hoc  
dis dignum est:

Semper mendicis modici sint.

Fidus fuisti; infidum esse iterant: nam absque foret te, sat scio  
in alto

Distraxissent disque tulissent tui satellites miserum foede

Me bonaque omnia item una mecum passim caeruleos per campos: 15

Ita iam quasi canes, haud secus, navem circumstabant turbines

Ventid: imbres fluctusque atque procellae infensae frangere malum,

Ruere antennis, scindere vela, ni tua propitia foret praesto

Pax. — Apage a me, sis! dehinc certum est me otio dare; satis  
partum habeo,

Quibus aerumnis deluctavi, filio dum divitias quaero. 20

Sed quis hic est, qui in plateam ingreditur cum novo ornatu  
specieque?

*Abi.* Interiectio blandientis et laudantis. Hac utuntur qui compotes votorum sunt facti. *Abi, laudo.* Nos: *Va, che io ti lodo.* Terent. Ad. iv. 2. 25: *Abi, virum te iudico.*

*Ordine.* Bene. Cf. Amph. ii. 1. 59; Capt. ii. 3. 17; Cas. V. 9. 18; Pers. 1. 3. 11.

*Dignum est.* Supp. ut.

*Mendicis modici sint.* Mendicis faveant.

*Iterant.* Memorant, narrant, dicitant.

*Abaque foret te.* Formula ex familiari sermone deprompta, quaeque comicis poetis frequentata, nusquam apud reliquos scriptores occurrit. Nisi tu fuisses, nisi tu opem tulisses. Cf. Bacch. ii. 3. 8; Capt. ii. 5. 96; Menaech. V. 7. 83; Pers. ii. 2. 55; Terent. Hecyr. iv. 2. 25; Phorm. 1. 4. 11.

*Distraxissent.* In partes diversas traxissent.

*Disque tulissent.* Tmesis. Discerpsissent.

*Tui satellites.* Venti et procellae.

*Turbines venti.* Validi et vorticosi venti.

*Infensae frangere malum.* Quae iratae conabantur frangere malum.

*Ruere antennis.* Activa significatione. Deicere antennis.

*Tua pax.* Voluntas et numen tuum.

*Dehinc.* In posterum.

*Satis partum habeo.* Supp. divitiarum.

*Quibus aerumnis deluctavi.* Cum quibus aerumnis deluctatus sum.

*Quaero.* Paro.

*Plateam.* Viam urbis latiore.

*Novo ornatu.* Habitu insolito. Nos: *con quello strano abbigliament.*

Simitu pol, quamquam domum cupio, hic opperiar, quam gerat rem.

## ACTUS IV. - SCENA II.

SYCOPHANTA, CHARMIDES.

SYCOPHANTA.

Huic ego die nomen Trinuno faciam: nam ego operam meam  
Tribus numis hodie locavi ad artis nugatorias.  
Advenio ex Seleucia, Macedonia, Asia atque Arabia,  
Quas ego neque oculis, nec pedibus unquam usurpavi meis.  
Viden', egestas quid negoti dat homini misero mali, 5  
Qui ego nunc subigor, trium numorum causa ut has epistolas  
Dicam ab eo homine me accepisse, quem ego, qui sit homo,  
nescio,  
Neque novi, neque, natus necne is fuerit, id solide scio?

CHARMIDES.

Pol hic quidem fungino genere est, capite se totum legit.

*Domum cupio.* Ἐπιθυμῶ. Supp. ire.

*Hic opperiar, quam gerat rem.* Hic expectabo, visurus quid agat.

Sycophanta, quem Megaronides ad Lesbonicum misit cum epistolis, offendit in Charmidem, ex Seleucia reducem. Hic confestim id quod erat suspicatus, hominem lepide ludificando, animos spectatorum ad hilaritatem risumque traducit. Pulcherrimus autem totius comoediae locus hac scena continetur, in quo Sycophanta Charmidis nomen oblitus, a quo dicebat, se duas epistolas accepisse, verissimis plane coloribus obliuissimos illos homines nobis ob oculos ponit, qui in sermone familiari summa ope contendunt, ut nomen quod illorum mente excidit, quodque in primoribus labris versatur, in memoriam tandem revocent.

*Die.* Ἄρξωμεθα. Diei.

*Artis nugatorias.* Dolos. Itali: *birbonerie*.

*Quas neque oculis, nec pedibus unquam.* Quas neque vidi, neque pedibus meis unquam tetigi. Haec secum ipse Sycophanta.

*Quid negoti dat mali.* Quas molestias, labores, difficultates affert.

*Qui. Quo negotio.*

*Neque.... solide scio.* Nec plane scio. Itali: *nd so bene*.

*Hic fungino genere est.* Charmides sycophantam conspiciat, cuius



Illirica facies videtur hominis; eo ornatu advenit.

10

## SYCOPHANTA.

Ille, qui me conduxit, ubi conduxit, abduxit domum;

Quae voluit, mihi dixit, docuit et praemonstravit prius,

Quomodo quidque agerem. Nunc adeo si quid ego addidero amplius,

Eo conductor melius de me nugas conciliaverit.

Ut illic me exornavit, ita sum ornatus. Argentum hoc facit.

15

Ipsae ornamenta a chorago haec sumsit suo periculo.

Nunc ego si potero ornamentis hominem circumducere,

Dabo operam, ut me esse ipsum plane sycophantam sentiat.

## CHARMIDES.

Quam magis specto, minus placet mi haec hominis facies. Mira sunt,

Ni illic homo est aut dormitator, aut sector zonarius.

20

caput grandiori petaso tegebatur, iocandi causa illum fungio genere ortum dicit, ob similitudinem, quae inter talem hominem et fungum intercedebat. Huiusmodi pileos, qui latos haberent margines, usurpabant veteres quam iter facerent, quo minus sole, imbre et pulvere offenderentur.

*Illirica facies videtur etc.* Eo ornatu adveniens illyrici hominis speciem praesertit. Nos: *all' abito sembra che abbia l'apparenza di un uomo dell' Illiria.*

*Qui me conduxit, ubi conduxit, abduxit etc.* Paronomasia. Qui operam meam mercede conduxit etc.

*Nunc adeo.* Eleganter coniungitur particula *adeo* cum adverbis temporis, et idem valet atque apud Graecos *εἰς γὰρ*. Nunc quidem, nunc certe. Cf. Asin. III. 1. 99; Menaech. 1. 2. 11; Merc. II. 2. 57; Mil. II. 2. 4; Pseud. 1. 2. 59; Rud. III. 4. 23; Truc. II. 2. 19; Virg. Aen. IX. 156.

*Si quid addidero amplius.* Si quid addidero ad illa, quae mihi fuerunt praemonstrata.

*Eo conductor melius etc.* Eo melius qui me conduxit, opera mea dolos suos perficiet.

*Illic.* Archaism. Ille.

*Argentum hoc facit.* Pecunia ad hunc ornatum induendum me adigit.

*A chorago.* Choragus, a graecis vocibus *χῆρος*, *chorus*, et *ἡγούμενος*, *duco*, dictus est qui ornatum ad fabulam agendam necessarium histrionibus suppeditabat. Hinc *choragii* nomine donabatur omnis scenicus apparatus.

*Suo periculo.* Nos: *a suo rischio.*

*Hominem circumducere.* Lesbonicum fallere.

*Quam magis.* Rarior locutio. Quo magis.

*Mira sunt, ni.* Mirum est, nisi. Itali: *È un gran miracolo, se non.*

*Dormitator.* Fur nocturnus, interdiu dormiens et noctu evigilans.

*Sector zonarius.* Qui zonam seu crumenam secat. Nos: *tagliaborse.*

Loca contemplat, circumspiciat sese atque aedis noscitat:

• Credo edepol, quo nox furatum veniat, speculatur loca.

Magis lubido est observare, quid agat; ei re operam dabo.

SYCOPHANTA.

Has regiones demonstravit mi ille conductor meus;

Apud illas aedis sistendae mihi sunt sycophantiae.

Foris pultabo.

25

CHARMIDES.

Ad nostras aedis hic quidem habet rectam viam:  
Hercle opinor mi adveniendi hac noctu agitandum est vigiliis.

SYCOPHANTA.

Aperite hoc, aperite! Heus, equi his foribus tutelam gerit?

CHARMIDES.

Quid, adolescens, quaeris? quid vis? quid istas pultas?

SYCOPHANTA.

Heus, senex,

Census quom sum, iuratori recte rationem dedi.

Lesbonicum hic adolescentem quaero, in his regionibus

Ubi habitat, et item alterum ad istanc capitis albitudinem:

30

*Aedis noscitat. Explorat.*

*Magis lubido est. Nos: Mi cresce la voglia.*

*Has regiones. Haec urbis partem. Itali: Questo rione.*

*Conductor meus. Calicles, qui operam meam pretio emit.*

*Sistendae sunt sycophantiae. Struendae.*

*Habet rectam viam. Recta pergit.*

*Mi... agitandum est vigiliis. Mibi agitandae sunt vigiliae. Hellenismus, qui apud vetustissimos scriptores passim occurrit. Sic apud Varr. RR. II. 7: Frenos suspendendum, pro eo quod est freni sunt suspendendi.*

*Aperite hoc. Haec vociferatur sycophanta fores pultans.*

*Equi his foribus tutelam gerit? Quisquam hasce fores servat?*

*Census quom sum, iuratori etc. Quom censum professus sum, censori rationem de rebus meis omnibus reddidi. Siquidem quom cives censorum, unusquisque tenebatur nome suum, genus, aetatem, officia, pecunias et praedia sua apud censorem profiteri. Haec autem omnia iuratus edebat. Quare censor, qui iureiurando unumquemque adigeret, haec iurator dicitur a Plauto. Paucis, hoc sibi vult sycophanta: Quomam iure, senex, me interrogas, quid quaeram? quid velim? Anue tu censor es? Erit igitur italico: Quando si fece il censo, allora io diedi minuto conto di me al censore.*

*Et item alterum ad istanc etc. Et alterum, praeter Lesbonicum, etiam quaero, canis capillis tibi similem.*

Calliclem aiebat vocari, qui has mihi dedit epistolas.

CHARMIDES.

Meum gnatum hic quidem Lesbianicum quaerit et amicum meum,  
Quoi ego liberosque, bonaque commendavi, Calliclem. 35

SYCOPHANTA.

Fac me, si scis, certiozem, hiee homines ubi habitent, pater.

CHARMIDES.

Quid eos quaeris, aut quis es, aut unde es, aut unde advenis?

SYCOPHANTA.

Multa simul rogitas; nescio quid expediam potissimum.

Si unum quidquid singillatim et placide percontabere,

Et meum nomen et mea facta et itinera ego faxo scias. 40

CHARMIDES.

Faciam ita, ut vis. Agedum, nomen primum tuum memora mihi.

SYCOPHANTA.

Magnum facinus incipissis petere.

CHARMIDES.

Quid ita?

SYCOPHANTA.

Quia, pater,

Ante lucem si ire occipias a meo primo nomine,

Concubinum sit noctis, prinsquam ad postumum perveneris.

*Calliclem aiebat vocari. Supp. se.*

*Pater.* Ob provectam aetatem et canitiem patris nomine donatur Charmides a sycophanta.

*Quid expediam potissimum.* Quid primum respondeam.

*Placide.* Sensim, sedate. Nos: *bel bello.*

*Facinus.* Pro re passim apud Plautum. Cf. Mil. 11. 4. 24; Rud. 1. 2. 73.

*Incipissis.* ἄρχωμαι. Incipis.

*Quid ita?* Cur nam? Particula *ita* vim addit interrogationi, qua admirationem nostram significamus ob rem auditam, quasi incredibilem. Graeci: *Τί δ;* Galli: *Comment?* Nos: *Perché mai?*

*Quia ante lucem etc.* Haec eo pertinent, ut significet, se nomen habere longissimum.

*Primo nomine.* Parte prima nominis.

*Concubium noctis.* Multa nox; provecta nox. Itali: *notte avanzata.*

*Postumum.* Postremam nominis partem.

CHARMIDES.

Opus factum est viatico ad tuum nomen, ut tu praedicas.

45

SYCOPHANTA.

Est minusculum alterum, quasi vasculum vinarium.

CHARMIDES.

Hic homo solide sycophanta est. Quid ais tu, adolescens?

SYCOPHANTA.

Quid est?

CHARMIDES.

Eloquere, isti tibi quid homines debent, quos tu quaeritas?

SYCOPHANTA.

Pater istius adolescentis dedit has duas mi epistolas  
Lesbonici. Is mi est amicus.

CHARMIDES.

Teneo hunc manifestarium!

50

Me sibi epistolas dedisse dicit! Ludam hominem probe!

SYCOPHANTA.

Ita ut ocepi, si animum advortas, dicam.

CHARMIDES.

Dabo operam tibi.

SYCOPHANTA.

Hanc me iussit Lesbonico, gnato suo, dare epistolam,  
Et item hanc alteram suo amico Callicli iussit dare.

*Opus factum est viatico etc.* Si nomen tuum ita est longum, ut dies unus satis non sit ad illud pronuntiandum, opus est viatico, ne cibus aliquo ad iter necessaria pronuntiantem deficiant.

*Minusculum alterum, quasi vasculum.* Alterum mihi nomen est parvum, instar vasculi vinarii. Similitudo strenuo potatori conveniens, cui ob vini cupidinem vas vinarium quamvis capax, parvum videri consuevit.

*Quid ais?* Hac formula ulitur, qui diversum a priori sermonem cum aliquo velit exordiri. Cf. Amph. II. 1. 73; Menaechn. I. 2. 52. Nos: a proposito.

*Teneo hunc manifestarium!* Hic manifesto est doli convictus.

*Ludam.* Ludificabo.

*Dabo operam tibi.* Vido adnot. ad Aul. II. 1. 21.

*Hanc . . . . epistolam . . . hanc alteram.* *Δυσκόλια.*

CHARMIDES.

Mihi quoque edepol, quom hic nugatur, contra nugari lubet. — 85  
Ubi ipse erat?

SYCOPHANTA.

Bene rem gerebat.

CHARMIDES.

Ergo ubi?

SYCOPHANTA.

In Seleucia.

CHARMIDES.

Ab ipson istas accepisti?

SYCOPHANTA.

E manibus dedit mi ipse in manus.

CHARMIDES.

Qua facie est homo?

*Contra nugari.* Vide adnet. ad Mil. I. 1. 3. Haec secum ipse Charmides.

*Ubi ipse erat?* Quo facilius sycophantae fallaciam detegeret Charmides, illum interrogat ubinam esset homo, qui duas illas epistolas Lesbionico et Callicli afferendas ei dederat. Sycophanta vero interrogationis significationem alie trahens: Bene, ait, rem gerebat. Unde iam illud palet, haec verba: *Ubi ipse erat?* duplicem habere posse intellectum; quasi dicas: in quenam statu illius res erant? (*come se la passava egli?*); vel: in quonam loco erat quum epistelas tibi tradidit? (*dove era egli?*). Hanc amphibologiam, qua de industria usus est poeta, nequicquam italico interpreti servare licebit.

*Ergo ubi?* In interrogatiene utitur particula *ergo* qui datae respensionem haud acquiescens, non sine stomacho iterum distinctius quaerit. Nos: *Ma dove era egli?* Cf. Bacch. iv. 8. 59; Epid. I. 1. 19; il. 2. 74; Pers. II. 2. 33; Horat. Sat. II. 3. 156: *Quanti emptae? Parve. Quanti ergo? Octusibus.* Cic. de fin. iv. 18. 49.

*Istas. Supp. epistolas.*

*Qua facie est homo?* Huc faciunt quae habet A. Gellius, N. A. XIII. 28: «Animadvertere est, pleraque verborum latinorum ex ea significatione, in qua nata sunt, decessisse, vel in aliam longe, vel in proximam, eamque decessiensem factam esse consuetudine et inscitia temere dicentium, quae cuiusmodi sint non didicerint. Sicuti quidam *faciem* esse hominis putant os tantum, et oculos, et genas, quod Graeci *πρόσωπον* dicunt: quando *facies* sit forma omnis et modus et factura quaedam corporis totius, a faciendo dicta, ut ab aspectu *species*, a fingendo *figura*. Itaque Pacuvius in tragoedia, quae *Niptra* inscribitur, *faciem* dixit hominis pro *corporis longitudine*. • Haud aliter haec Plautus: *Qua facie est homo?* quoniam est forma seu factura illius corporis? Nos: *Qual sembianza è la sua?*

SYCOPHANTA.

Sesquipede quidem est quam tu longior.

CHARMIDES.

Haeret haec res, si quidem ego absens sum quam praesens longior.  
Novistin' hominem?

SYCOPHANTA.

Ridicule rogitas, quocum una cibum

60

Capere soleo.

CHARMIDES.

Quod ei est nomen?

SYCOPHANTA.

Quod edepol homini probo.

CHARMIDES.

Lubet audire!

SYCOPHANTA.

Illi edepol - illi - illi illi - Vae misero mihi!

CHARMIDES.

Quid est negott?

SYCOPHANTA.

Devoravi nomen imprudens modo.

Cf. ASIN. II. 3. 19: MÆC. *Qua facie vester Saurea est? Si is est, iam scire potero.* LIL. *Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus, Truculentis oculis, commoda statura, tristi fronto.* POEN. V. 2. 151: POEN. *Sed earum nutrix, qua sit facie mihi expedi.* MILPH. *Statura haud magna, corpore aquilo est.*

*Sesquipede quidem etc.* Alior est quam tu pede et dimidio.

*Haeret haec res.* Res non satis liquet; haud satis intelligo. Nos; *L'af-fare è un po' imbrogliato.* Cf. Amph. I. 2. 182; Pseud. IV. 2. 28.

*Ridicule rogitas, etc.* Ridendi causa a me petis, utrum eum noscam, eum quo cibum capere soleo.

*Quod est ei nomen? Quod edepol homini probo.* Quum Charmidis nomen sycophantae de memoria excidisset, ut se difficultate expediat, aliud respondet atque interrogantis verba postulabant; perinde ac si nomen hic positum fuisset pro fama, existimatione. Perfecto, ait, illud ei est nomen, quo probi homines gaudere consueverunt.

*Illi edepol - illi - illi - etc.* Hac pronomini repetitione Plautus graphice hominem expressit, qui dubitatione, haesitantia, tractuque verbo-rum ostendit, aptum sibi responsum non suppetere.

*Devoravi nomen etc.* Illius nomen mihi imprudenti modo excidit.

CHARMIDES.

Non placet, qui amicos intra dentis conclusos habet.

SYCOPHANTA.

Atque etiam modo vorsabatur mi in labris primoribus.

65

CHARMIDES.

Temperi huic hodie anteveni.

SYCOPHANTA.

Teneor manifesto miser!

CHARMIDES.

Iamne commentatus nomen?

SYCOPHANTA.

Deum me hercle atque hominum pudet!

CHARMIDES.

Vide, homo, ut hominem noveris.

SYCOPHANTA.

Tanquam me. Fieri istuc solet:

Quod manu teneas atque oculis videas, id desideres,

Literis reconminiscar. C est principium nomini.

70

*Qui amicos intra dentis etc.* Festive Charmides sycophantam ridet, qui clausis labiis quidpiam mussitabat, nomen quaerens, quod ex animo effluerat. Nec temere hac utitur locutione, quae ad illos etiam pertinet, qui rem amicorum devorant.

*Atque etiam modo vorsabatur etc.* Nos: *E pur ora io l'aveva sulla punta della lingua.*

*Temperi.* Tempore, tempestive. Nos: *a tempo.* Haec secum Charmides.

*Teneor manifesto.* Manifesto sum deprehensus, convictus. Itali: *Sono bello e scoperto.*

*Commentatus.* Caveae hilarandae causa, ambiguam vocem de industria usurpat noster, quae significat *meminisse* pariter et *exeogitare*. Nos: *non ti sei ancora ricordato del nome?* vel: *non hai ancora inventato il nome?*

*Vide, homo, ut hominem etc.* Paronomasia. Nos: *Vedi, come lo conosci.*

*Istuc.* Arch. Istud.

*Quod manu etc.* Adde: Ut quod manu teneas.

*Literis reconminiscar.* Nomen inveniam sectando vestigia literarum, quibus conflatur. Ital. *Vedrò di trovar questo nome, richiemandomi alla mente le lettere ehe lo componono.*

*C est principium nomini.* Animadvertite, lector, quam aptus sit, quamque ad naturam accommodatus hic Sycophantae et Charmidis dialogus;

CHARMIDES.  
 Callias?  
 SYCOPHANTA.  
 Non est.  
 CHARMIDES.  
 Callippus?  
 SYCOPHANTA.  
 Non est.  
 CHARMIDES.  
 Callidemides?  
 SYCOPHANTA.  
 Non est.  
 CHARMIDES.  
 Callinicus?  
 SYCOPHANTA.  
 Non est.  
 CHARMIDES.  
 Callimarchus?  
 SYCOPHANTA.  
 Nihil agis;  
 Neque adeo edepol floccifacio, quando egomet memini mihi.  
 CHARMIDES.  
 At enim multi Lesbonicis sunt hic: nisi nomen patris

plane ut non verba legere, sed colloquentibus interesse, eorumque gestum oculis iam cornere videaris.

*Nihil agis.* Frustra mo interrogas.

*Neque adeo edepol floccifacio, etc.* Nec profecto mihi curae est nomen tibi memorare, quando egomet memini mihi. Nos: *Nè per verità m'importa gran fatto il dirti ora questo nome; dacchè per me lo so abbastanza.* Perperam in plerisque editionibus legitur: *memini mei.*

*At enim.* Itali: *Ma però.* Hasce particulas coniunctim usurpamus latine, quum id quod ab altero dictum est non negamus, sed tamen diversum aliquid apponimus, quod etiam sit considerandum. Quasi dicamus: verum quidem profers; sed tamen notandum, multos hic Lesbonicos esse etc. Cf. Terent. Eun. II. 3. 90; Heaut. IV. 3. 91; Cic. de orat. III. 49: Quid disputatione ista afferri potest elegantius, aut ornato dici subtilius? *At enim* vereor, inquit Crassus, ne haec aut difficiliora istis ad persequendum esse videantur, aut etc.



Dices, non monstrare istos possum homines, quos tu quaeritas. 75  
 Quod ad exemplum est, coniectura si reperire possumus?

SYCOPHANTA.

Ad hoc exemplum est: Ch. . . . .

CHARMIDES.

An Chares? an Charidemus? num Charmides?

SYCOPHANTA.

Hem, istuc erit! Qui istum dī perdant!

CHARMIDES.

Dixi ego iamdudum tibi:

Bene te potius dicere aequum est homini amico, quam male.

SYCOPHANTA.

Satin' intra labra atque dentis latuit vir minumi preti? 80

CHARMIDES.

Ne male loquere absenti amico.

SYCOPHANTA.

Quid ergo ille ignavissimus

Mihi latitabat?

CHARMIDES.

Si adpellasses, respondisset, nomine.

Sed ipse ubi est?

SYCOPHANTA.

Pol illum reliqui ad Rhadamam in Cecropia insula.

CHARMIDES.

Qui homo est me insipientior, qui, ipse egomet ubi sim, quaeritem?

*Quod ad exemplum est? Cuiam alli nomini est simile?*

*Coniectura si etc. Si forte coniectura illud reperire possimus.*

*Ad hoc exemplum est: Ch. . . Nos: Comincia così: Ch. . .*

*Hem, Particula laetantis. Cf. Terent. Andr. iv. 2. 3; Hec. ii. 2. 12: Hem istoc verbo animus mi rediit.*

*Qui. Διασκεδῶς.*

*Istum. Charmidem.*

*Satin'. Particula indignantis. Nonne?*

*Quid. . . mihi latitabat? Nos: Perché si nascondeva da me?*

*Si adpellasses, respondisset, nomine. Synchysis.*

*Rhadamam in Cecropia insula. Iocandi causa Plautus Sycophantam inducit duo loca memorantem, quae nusquam sunt.*

*Qui homo etc. Haec secum Charmides.*

Sed nil disconducit huic re?

SYCOPHANTA.

Quid ais?

CHARMIDES.

Quin hoc te rogo: 85

Quos locos adisti?

SYCOPHANTA.

Nimum mirimodis mirabiles.

CHARMIDES.

Lubet audire, nisi molestum est.

SYCOPHANTA.

Quin discupio dicere.

Omnium primum in Pontum advecti ad Arabiam terram sumus.

CHARMIDES.

Eho, an etiam Arabia est in Ponto?

SYCOPHANTA.

Est. Non illa, ubi tus gignitur;

Sed ubi absinthium fit atque cunila gallinacea.

90

CHARMIDES.

Nimum graphicum hunc nugatorem! Sed ego sum insipientior,  
 Qui egomet, unde redeam, hunc rogitem, quae ego sciam atque  
 hic nesciat;

Nisi quia lubet experiri, quo evasurust denique.

Quid tibi nomen est, adulescens?

SYCOPHANTA.

Pax, id est nomen mihi;

Hoc cotidianum est.

*Nil disconducit. Prodest.*

*In Pontum advecti ad Arabiam etc.* loculariter Sycophanta Arabiam in Ponto statuit.

*Eho. Nos: Come?* De hac particula vide adnot. ad Mil. II. 3. 30.

*Cunila gallinacea.* A graeca voce *Κορυνη*, est herbae genus, quod alio nomine *origanum gallinaceum* vel *heracleoticum* appellatur.

*Graphicum.* Peritum, scitum.

*Quo evasurust denique.* Nos: *dove vada egli finalmente a rin-scire.*

*Cotidianum.* Usitatum, vulgare.

CHARMIDES.

Edepol nomen nugatorium!

95

Quasi dicas, si quid crediderim tibi: pax! periisse eloco.

Sed quid ais? quo inde isti porro?

SYCOPHANTA.

Si animum advortas, eloquar.

Ad caput amnis, quod de coelo exoritur sub solio Iovis.

CHARMIDES.

Sub solio Iovis?

SYCOPHANTA.

Ita dico.

CHARMIDES.

E coelo?

SYCOPHANTA.

Atque e medio quidem.

CHARMIDES.

Eho, an etiam in coelum escendisti?

SYCOPHANTA.

Imo horiola advecti sumus 100

Usque aqua advorsa per amnem.

CHARMIDES.

Eho, an etiam vidisti Iovem?

SYCOPHANTA.

Callide. Isse ad villam aiebant servis depromptum cibum.

*Nugatorium.* Ridiculum.*Quasi dicas, si quid etc.* Sensus est: En quid nomen tuum sonet. Idem est ac si dicas (si quid crediderim tibi): sat verborum! statim perit.*Pax.* Interiectio silentium indicantis. Iam finis sit verborum. Nos: *basta*.*Isti porro?* Ivisi postea?*Ad caput amnis, etc.* Itali: *Alla sorgente del fiume*. Haec iocandi causa ex Sycophantae ingenio.*Ita dico.* Locutio affirmantis. Graeci: *επι' εγώ*. Nos: *Appunto*.*Horiola.* Navienia piscatoria.*Aqua advorsa.* Nos: *a ritroso*.*Callide.* Assensum significat; quasi dicas: recte, probe. Cf. Terent. Adolph. III. 3. 63; Andr. I. 2. 30.*Servis depromptum cibum.* Ut cibum servis depromeret.

CHARMIDES.

Manta.

SYCOPHANTA.

Porro . . . .

CHARMIDES.

Deinde porro nolo quidquam praedices.

SYCOPHANTA.

Ego vero hercle.

CHARMIDES.

Si es molestus? nam pudicum neminem

*Se praebere oportet, qui abs terra ad coelum pervenerit?*

106

SYCOPHANTA.

Dimittam, ut te velle video. Sed monstra hosce homines mihi,  
Quos ego quaero, quibus me oportet has deferre epistolas.

CHARMIDES.

Quid ais tu nunc? si forte ipsum Charmidem conspexeris  
Illum, quem istas tibi dedisse commemoras epistolas,  
Norisne hominem?

SYCOPHANTA.

Nae tu me edepol arbitrare beluam,

110

*Manta.* Arch. Mane. Nimirum Charmides, nugarum sycophantae iam pertaesus, tacere illum lubet. Mane, quiesce, cessa.

*Deinde porro.* *Παρωρως.*

*Herclē.* Affirmantis particula.

*Si es molestus?* Subaudi: An perges nngari, etsi es molestus? Particula *si* haud infrequenter nsnrpatur a Plauto in hac significatione. Cf. Capt. 111. 3. 14; Cist. I. 1. 99; Mil. 111. 1. 36; Most. I. 1. 42; Pseud. I. 1. 85.

*Nam pudicum neminem etc.?* An oportet neminem se praebere pudicum, qui etc.? Particula *nam* inservit interrogationi, quae ex animo commoto proficiatur. Nihil vero interest utrum praecedat, an enclitico more verba sequatur. Cf. Cist. 11. 1. 16: *Nam*, obsecro, unde haec gentium? Epid. I. 2. 29: *Nam* qui perdidit? Most. 11. 1. 21; Poen. V. 3. 3; Rnd. 111. 3. 94; Virg. Georg. 11. 445; Id. Aen. 11. 373; Horat. Ep. 1. 1. 78.

*Dimittam.* Omittam loqui.

*Si forte ipsum Charmidem conspexeris . . . . . norisne?* Si forte ipsum Charmidem conspiceres . . . . . an illum nosceres? Nos: *se per avventura tu vedessi Carmide in persona, quel desso che ecc., lo riconosceresti tu?*

*Beluam.* Convicium in hominem stolidum.

Qui quidem non novisse possim, quicum aetatem exegerim.  
 An illic tam esset stultus, qui mihi mille numum crederet  
 Philippeum, quod me aurum deferre iussit ad gnatum suum  
 Atque ad amicum Calliclem, quoi rem aibat mandasse hic suam?  
 Mihi concrederet, ni med illic et ego illunc nossem adprobe? 115

CHARMIDES.

Enimvero ego nunc sycophantae huic sycophantari volo:  
 Si hunc possum illo mille numum Philippeo circumducere,  
 Quod sibi me dedisse dixit. Quem ego, qui sit homo, nescio.  
 Neque oculis ante hunc diem unquam vidi, eina aurum crederem,  
 Quoi, si capitis res sit, numum nunquam credam plumbeum? 120  
 Aggredundust hic homo mi asta. — Heus, Pax, te tribus verbis  
 volo.

SYCOPHANTA.

Vel trecentis.

CHARMIDES.

Haben' tu aurum id, quod accepisti a Charmide?

SYCOPHANTA.

Atque etiam Philippeum, numeratum illius in mensa manu,  
 Mille numum.

*Mille numum crederet Philippeum.* Mille numos Philippeos traderet.

*Enimvero.* Est in hoc loco particula indignantis. Nos: *Per Dio*. Ita Ter. Phorm. III. 1. 1: *Enimvero*, Antipho, multimodis cum istoc animo es vituperandus. Cic. Verr. I. 26: Hic tum alius ex alia parte: *enimvero* ferendum non est: vocetur mulier.

*Sycophantae sycophantari.* Paronom. Fallacem hominem fallero.

*Mille numum Philippeo circumducere, quod etc.* Illis mille numis Philippeis fallero, quos sibi me etc. Cf. infra 161.

*Quoi, si capitis res sit, nunquam etc.* Cui, etiamsi in summo capitis periculo versaretur, nunquam traderem vel minimum numum. Itali: *al quale, fosse anche in pericolo della vita, non darei mai un quattrino.*

*Heus, Pax.* Vide huius scenae vers. 94.

*Te tribus verbis volo.* Supp. *alloqui.*

*Vel trecentis.* Etiam trecentis.

*Atque etiam.* Vehementius affirmat.

*Numeratum illius in mensa manu.* Manu apud mensarium illius numeratum.

CHARMIDES.

Nempe ab ipso id accepisti Charmide?

SYCOPHANTA.

Mirum, quin ab avo eius aut proavo acciperem, qui sunt mortui. 130

CHARMIDES.

Adulescens, cedodum istuc aurum mihi.

SYCOPHANTA.

Quod ego aurum dem tibi?

CHARMIDES.

Quod te a me accepisse fassus.

SYCOPHANTA.

Abs te accepisse?

CHARMIDES.

Ita loquor.

SYCOPHANTA.

Quis tu homo es?

CHARMIDES.

Qui mille numum tibi dedi, ego sum Charmides.

SYCOPHANTA.

Neque edepol tu is es, neque hodie is unquam eris, huic auro  
quidem.

Abi, sis, nugator: nugari nugatori postulas.

135

CHARMIDES.

Charmides ego sum.

SYCOPHANTA.

Nequidquam herele es: nam nihil auri fero.

*Mirum, quin.* Dicitio Plauto frequentata, atque inserviens ironico. Cf. Amph. II. 2. 118; Aul. I. 2. 7; Cist. IV. 2. 67; Merc. I. 2. 91; Most. II. 2. 62; Pers. III. I. 11; Rud. V. 3. 37.

*Cedodum.* Da, praebe. *Crdo* est imperativum defectivum verbi, quod coniugari non potest; manat autem a graeco *δο*, cui praefigitur *ee* demonstrativum, uti in *eeterum, eeu*, etc. Cf. Amph. II. 2. 146; Most. I. 3. 150; Ter. Hec. IV. 4. 86. Particula *dum* additur praesertim verbis cohortantibus atque imperativis.

*Neque hodie is unquam eris, huic auro quidem.* Itali: *ne oggi certamente sarai desso, almeno per buscarti questo danaro.*

*Nugari nugatori postulas.* Velles ludero ludentem.

Nimis arguted obrepisti in eapse occasiuncula :  
 Postquam ego me aurum ferre dixi, post tu factus Charmides ;  
 Prius tu non eras, quam auri feci mentionem. Nihil agis  
 Proin' tu te itidem rursus, ut Charmidatus es, recharmida. 140

CHARMIDES.

Quis ego sum igitur, si quidem is non sum, qui sum ?

SYCOPHANTA.

Quid id ad me attinet ?

Dum ille ne sis, quem esse ego nolo, sis mea causa quilibet.  
 Prius non is eras, qui eras; nunc is factus, qui tum non eras.

CHARMIDES.

Age, si quid agis.

SYCOPHANTA.

Quid ego agam ?

CHARMIDES.

Aurum redde.

SYCOPHANTA.

Dormitas, senex.

CHARMIDES.

Fassus, Charmidem dedisse aurum tibi ?

*Nimis arguted obrepisti.* Obrepero, eleganter ponitur de iis, qui fallendi causa tacite adeunt. Nos: *Troppo ingegnosamente hai saputo cogliere questa piccola occasione per darmela ad intendere.*

*Postquam . . . . post.* *Discovertite.*

*Te rursus, ut Charmidatus es, recharmida.* Perfamiliaris est comicis poetis huiusmodi verba fugere ad caveam hilaraudam. Exempla passim occurrunt apud Aristophanem, haud aliter atque apud recentiores Molierrum et Goldonium. Quemadmodum te Charmidem fecisti, ita Charmidis personam rursus exue; nihil enim ficto hoc nomine consequeris. Haud absurde nos: *come ti sei Carmidato, così puoi scarmidarti.*

*Mea causa.* Per me licet. Quantum mea interest. Itali: *quanto a me; per quel che mi riguarda.* Cf. Epid. V. 2. 14: Dum sine me quaeras, quaeras mea causa vel in mari. Men. V. 7. 40: *Mea* quidem hercle causa liber esto, atque ito quo voles. Rud. 1. 2. 51.

*Age, si quid agis.* Formula imperantis, hortantis, urgentis. Vide adnot. ad Mil. II. 2. 60. Cf. Stich. V. 4. 33 et 35.

*Dormitas, senex.* Nos: *Tu sogni, o buon vecchio.*

SYCOPHANTA.

Scriptum quidem. 145

CHARMIDES.

Properas, an non, propere abire actutum ab his regionibus,  
Dormitator, priusquam ego hic te iubeo mulcari male?

SYCOPHANTA.

Quamobrem?

CHARMIDES.

Quia illunc, quem ementitus es, ego sum ipse  
Charmides,

Quem tibi epistolas dedisse aiebas.

SYCOPHANTA.

Eho, quaeso, an tu is es?

CHARMIDES.

Is enimvero sum.

SYCOPHANTA.

Ain' tu tandem? is ipsisne es?

CHARMIDES.

Aio.

SYCOPHANTA.

Ipsus es? 150

CHARMIDES.

Ipsus, inquam, Charmides sum.

SYCOPHANTA.

Ergo ipsisne es?

CHARMIDES.

Ipsissimus.

Abin' hinc ab oculis?

*Scriptum quidem.* Non dedit mihi aurum in manum, sed in tabellis tantummodo notatum.

*Properas . . . propere abire.* Paronom.

*Dormitator.* Vide adnot. ad versum huius scenae 20.

*Quem ementitus es.* Quem falso es fabricatus. Galli: *que tu forgeas.*

*Eho.* Praemittitur interrogationi, quae cum quadam vehementia fiat ob admirationem.



SYCOPHANTA.

Enimvero serio quoniam advenis: -

Vapulabis arbitrato meo et novorum aedilium.

CHARMIDES.

At etiam maledicis?

SYCOPHANTA.

Imo, salvos quandoquidem advenis.

Di te perdant, si te floccifacio, an periisses prius!

155

Ego ob hanc operam argentum accepi; te macto infortunio.

CHARMIDES.

Sed enim . . . . .

SYCOPHANTA.

*Enim* qui sis, qui non sis, floccum non interduim.

Ibo ad illunc; renuntiabo, qui mihi tris numos dedit:

Ut sciat, se perdidisse. Ego abeo. Male vive et vale.

Quod di te omnes advenientem peregre perdant, Charmides! 160

*Enimvero.* In responsione graviorem habet affirmandi aut negandi vim. Nos: *certissimamente, indubitatamente.* Sic Amph. II. 2. 126: At. Tun' te abisso hodie hinc negas? Am. Nego *enimvero.* Capt. III. 4. 96: He. Fuistin' liber? Ty. Fui. Ar. *Enimvero* non fuit, nugas agit. Pers. II. 2. 2: To. Ain' vero verberum caput? P. Alo *enimvero.* Ter. Eun. II. 3. 38: Pa. Incommode hercle. Cm. Immo *enimvero* infeliciter.

*Serio quoniam advenis: vapulabis etc.* Verberaberis aedilium arbitrato propterea quod serio, hoc est revera advenis. Verba illa *quoniam serio advenis*, ita pronuntiantur a Sycophanta, ut a Charmide non exaudiantur. Hoc aulem pertinet ad antiquorum morem, ex quo siquid histriones in actione deliquissent, poenas dabant aedilium arbitrio, qui scenicos ludos curabant. Cf. Cistell. act. V sub fin. Perperam in vulgatis editionibus legitur *sero*.

*Imo, salvos quandoquidem etc.* Sycophanta ait, se Charmidi maledicere, propterea quod salvus redierit.

*Di te perdant.* Quum Sycophanta dicere velle videretur *di me perdant, si te floccifacio*, iocandi causa *me cum te* commutavit.

*Si te floccifacio, an periisses prius!* Si floccifacio, si quidquam pensi habeo, an tu periisses prius!

*Te macto infortunio.* Te afflicto infortunio.

*Floccum non interduim.* Nihili aestimo. *Interduim.* Archaism a verbo *interduo*.

*Renuntiabo.* Rem illi exponam.

*Se perdidisse.* Supp. tres numos.

*Quod di te omnes.* Quod abundat.

## CHARMIDES.

Postquam ille hinc abiit, postloquendi libere  
 Videtur tempus venisse atque occasio.  
 Iamdudum meum ille pectus pungit aculeus,  
 Quid illi negoti fuerit ante aedis meas:  
 Nam epistola illa mihi concenturiat metum 165  
 In corde, et illud mille numum quam rem agat.  
 Nunquam edepol temere tinnit tintinnabulum;  
 Nisi qui illud tractat aut movet, mutum est, tacet.  
 Sed quis hic est, qui huc in plateam cursuram incipit?  
 Lubet observare quid agat. Huc concessero. 170

## ACTUS IV. – SCENA III.

## STASIMUS, CHARMIDES.

## STASIMUS.

Stasime, fac te propere celerem? recipe te ad dominum domum,  
 Ne subito metus exoriat scapulis stultitia tua!  
 Adde gradum! adpropera! iamdudum factum est, quom abisti domo.

*Postquam . . . postloquendi etc.* ΠΕΡΙΣΤΡΟΦΗ.

*Concenturiat metum.* Augel metum. Metaph. a centuriis ducta, quo ad suffragia conveniebant.

*Illud mille numum quam rem agat.* Quid gerant illi mille numi.

*Nunquam temere tinnit tintinnabulum.* Non sine causa tintinnabulum sonum edit. Allegorice. Sensus est: Non sine causa hic sycophanta venit ante aedes meas.

*Nisi qui.* Nisi aliquis.

*Cursuram incipit.* Currit.

*Huc concessero.* Huc secedam.

Commodum discesserat Charmides a Sycophanta, cum in Stasimum servum offendit, qui celeri gradu se domum ex thermopolio recipiebat. Ab hoc intelligit, aedes a Leshonico filio venditas fuisse atque emtas a Callicle.

*Fac te propere celerem.* Haec secum Stasimus. Fac te celerrimum.

*Iamdudum factum est, quom etc.* Iam multum temporis effluxit, ex quo etc.

Cave, sis, tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent,  
Si aberis ab heri quaestione! ne destiteris currere!

5

Ecce hominem te, Stasimé, nihili! satin' in thermopolio  
Condalium es oblitus, postquam thermopotas gutturem?  
Recipe te, et recurre petere re recenti!

CHARMIDES.

Huic, quisquis est,  
Curculio est exercitor; is hunc hominem cursuram docet.

STASIMUS.

Quid, homo nihili? non pudet te? tribusne te poteris  
Memoriae esse oblitum? an vero, quia cum frigid hominibus  
Ibi bibisti, qui ab alicuo facile cohiberent manus?

10

*Cave ne bubuli cottabi etc.* Cave ne loris bubulis verbereris. Consueverunt Graeci in conviviis reliquias vini e poculo in terram elidere. Hoc autem *κότεραβίτες* dicebant, itemque *κότεραβος* appellabant vini sonitum in terram elisi. Translate Plautus cottabos bubulos vocat crepitus vorberum, quae loris bubulis infligerentur.

*Si aberis ab heri quaestione!* Si domo aberis, quum herus te quaeret? *Satin'*. Particula interrogandi. An? Cf. Cist. I. 3. 9; Mostell. I. 1. 73.

*Thermopolio.* A graecis verbis *θερμός*, *calidus*, et *πόλις*, *vendo*, nomen duxit caupona, in qua calidae potiones vendebantur.

*Condalium.* Dictum *ἀπὸ τῶν κτεράβων* (a digitorum articulis), fuit anuli genus, servorum proprium.

*Postquam thermopotas gutturem.* Postquam calida bibendo gutturem oblectasti.

*Recurre petere re recenti.* Redi ad petendum condalium, dum res adhuc recens est.

*Huic curculio exercitor.* Hunc curculio impellit. Quum videlicet Stasimus in scena huc atque illuc cursitaret, Charmides iocandi causa: hunc, ait, curculio ad cursum impellit. Curculionis autem nomine intellige, lector, parasitum, qui in scena tertia actus secundi comoediae cognominis, currens exhibetur a Plauto, et clamitans: date viam, noti atque ignoti. . . abite et de via secedite: ne quem in cursu capite aut cubito, aut pectore obfendam aut genu etc.

*Homo nihili. Nos: uomo da niente.*

*Tribusne te poteris memoriae etc.* An ob tria pocula, quae exhausisti, memoria te fecellit, et condalium es oblitus in thermopolio? Itaque et sequentia de se profert Stasimus.

*An vero, quia etc.* An speras, te condalium tuum posse recipere, propterea quod ibi bibisti cum hominibus frugi, qui aliena non suffurantur? Quae quidem *εἰσπυρήσις* dicuntur a Stasimo.

*Theruchus* fuit, *Cerconicus*, *Crinus*, *Cercobolus*, *Collabus*,  
*Oculicrepidae*, *cruricrepidae*, *ferriteri*, *mastigiae*.

Inter eosne homines condalium te redipisci postulas,  
 Quorum unus subripuit currenti cursori solum?

15

CHARMIDES.

Ita me di ament, graphicum furem!

STASIMUS.

Quid ego, quod periit, petam,  
 Nisi etiam laborem ad damnum adponam epithecam insuper?  
 Quin tu, quod periit, periisse ducis? Cape vorsoriam!  
 Recipe te ad herum!

CHARMIDES.

Non fugitivost hic homo: commeminit domi. 20

STASIMUS.

Utinam veteres mores omnes, veteres parsimoniae,  
 Maiori hic honori potius essent, quam mores mali!

*Theruchus*, *Cerconicus*, etc. Sunt haec nomina servorum, quibuscum Stasimus bibit, a Plauto conficta. In horum *trupus* vel acutissimus nequicquam inquirat.

*Oculicrepidae*, *cruricrepidae*. Quibus oculi pugnibus contundi, et crura frangi consueverunt.

*Ferriteri*. Qui compedibus vincti ferrum terunt.

*Mastigiae*. Verberibus digni.

*Quorum unus subripuit currenti etc.* Quorum unus selesam, seu calceum currenti surripuit. *Υεραβηλικός* de fure audacissimo et valerrimo.

*Graphicum furem!* Callidum sane furem hic memorat! Nos: *ladro matricolato!*

*Nisi etiam laborem et damnum etc.* Nisi velim damno etiam laborem adponere, tamquam additamentum. *Epithecā*, graeca vox, *ισθία*. Itali: *eccetto ch'io voglia al danno accoppiare anche la fatica per giunta.*

*Periisse ducis.* Habes tamquam amissum.

*Cape vorsoriam!* Vorsoria est funis nauticus, quo velum vertitur. Translate *vorsoriam capere* usurpatur pro eo quod est reverti.

*Utinam veteres etc.* Ridicula virtutis ostentatio in servo, qui domino rem patriam abligurienti semper est obsecutus.

*Veteres parsimoniae.* Velus frugalitas.

*Hic.* In hac urbe.

CHARMIDES.

Di immortales, basilica hic quidem facinora inceptat loqui!  
 Vetera quaerit! Vetera amare hunc, more maiorum, scias.

STASIMUS.

Nam nunc more nihilum faciunt, quod licet, nisi quod lubet; 25  
 Ambitio iam more sancta est, libera est a legibus;  
 Scuta iacere fugereque hostis more habent licentiam;  
 Petere honorem pro flagitio more fit.

CHARMIDES.

Morem improbum!

STASIMUS.

Strenuos praeterbitare more fit.

CHARMIDES.

Nequam quidem!

STASIMUS.

More leges perduxerunt iam in potestatem suam, 30  
 Mage qui sint obnoxiosae, quam – parentes liberis.  
 Eae miserae etiam ad parietem sunt fixae clavis ferreis,  
 Ubi malos mores adfigi nimio fuerat aequius.

*Basilica.* A graeco βασιλική, regium. *Basilica facinora*, egregias et magnificas res.

*Nam nunc more nihilum faciunt, etc.* Nam nunc ex consuetudine non faciunt quod licet, sed quod lubet. Inepte in vulgatis editionibus legitur *mores*.

*Scuta iacere... more habent licentiam.* Ex more, nunc licet scuta iacere, atque hostes fugere. Nos: *secondo gli odierni costumi, si può gittar via lo scudo, e fuggire il nimico.*

*Pro flagitio.* Nos: *in premio di delitti.*

*Strenuos praeterbitare.* Strenuos praeterire, negligere.

*More leges perduxerunt.* Sensus est: ex more homines iam perduxerunt leges in potestatem suam; quo more leges factae sunt magis obnoxiae hominibus, quam parentes liberis. Qui locus lectori praeter expectationem occurrit. Unusquisque enim contrariam potius sententiam expectaret; liberos videlicet esse parentibus obnoxios.

*Eae miserae etc.* Leges miserae clavis ferreis parieti adfiguntur, ut ab omnibus cognosci possint. Quod, iocandi causa, Stasimus in aliam significationem trahit; quasi leges hoc modo supplicio afficiantur.

CHARMIDES.

Lubet adire atque adpellare hunc; verum ausculto perlubens,  
Et metuo, si conpellabo, ne aliam rem occipiat loqui.

35

STASIMUS.

Neque istis quidquam lege sanctum est. Leges mori serviunt;  
Mores autem rapere propèrant qua sacrum, qua publicum.

CHARMIDES.

Herce istis malam rem magnam moribus dignum est dari!

STASIMUS.

Nonne hoc publice animum advorti? Nam id genus hominum ho-  
minibus

Univorsis est advorsum atque omni populo male facit: 40

Male fidem servando illis quoque abrogant etiam fidem,

Qui nil meriti: quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.

Si quis mutuom quid dederit, fit pro proprio perditum.

Quom repetas, inimicum amicum beneficio invenias tuo.

Mage si exigere cupias, duarum rerum exoritur optio: 45

Vel illud, quod credideris, perdas; vel illum amicum amiseris.

*Lubet.* Mihi luberet. Nos: *Avrei piacere di ecc.*

*Aliam rem.* De alia re.

*Neque istis quidquam lege sanctum est.* Ital. *E per costoro non vi ha cosa che sia per legge inviolabile.*

*Qua...qua.* Cum tum. Cf. Mil. IV. 2. 121.

*Istis malam rem magnam moribus etc.* Huiusmodi mores decet magno malo affici.

*Nonne hoc publice animum advorti?* Snpp. *decet.* Nonne hoc publica auctoritate est puniendum?

*Abrogant fidem.* Facinnt ut fides non habeatur.

*Qui nil meriti.* Qui nil tale meriti sunt; qui non merentur sibi fidem detrahi.

*Probant.* Metiuntur, indicant.

*Fit pro proprio perditum.* Perditur tamquam propriam. Perditur, perinde ac si esset propriam illius, cui mutuom datum est.

*Quom repetas, etc.* Si velis tuum repetere, invenies amicum, factum inimicum ob beneficium, quod in illum contulisti.

*Mage si exigere cupias.* Si vehementius cupias tuum exigere.

*Duarum rerum exoritur optio.* Tibi erit facultas eligendi inter duas res.

*Quod credideris.* Quod mutuom dederis.

Hoc qui venerit mi in mentem, re ipsa conmonitus modo . . .

CHARMIDES.

Meus est hic quidem Stasimus servos.

STASIMUS.

Nam ego talentum mutuom

Quod dederam, talento inimicum mi emi, amicum vendidi.

Sed ego sum insipientior, qui rebus curem publicis 50

Potius, quam, id quod proximum est, meo tergo tutelam geram.

Eo domum.

CHARMIDES.

Heus tu, adsta eloco! audi, heus tu!

STASIMUS.

Non sto.

CHARMIDES.

At ego te volo.

STASIMUS.

Quid si egomet te velle nolo?

CHARMIDES.

Ah, nimium, Stasime, saeviter!

STASIMUS.

Emere meliust, quoi imperes.

CHARMIDES.

Pol ego emi atque argentum dedi;

Sed si non dicto audiens est, quid ego?

*Qui venerit. Quomodo venerit.*

*Conmonitus modo. Supp. sum.*

*Talentum. Pecuniae vis, quae respondet sex millibus drachmarum.*

*Rebus curem publicis. Insolens syntaxis, pro vulgari: res curem publicas.*

*Tergo tutelam geram. Tuear, curem tergam meum.*

*Heus tu. Haec particula usurpatur proprie ubi aliquem vocamus, qui nolit nos audire, abeatque. Cf. Asin. II. 4. 40; Cas. II. 2. 1; Menaec. IV. 3. 22; Most. IV. 2. 28; Pseud. I. 3. 12; Ter. Heaut. II. 3. 107.*

*Te volo. Supp. stare, consistere.*

*Nimium saeviter. Nos: un po' troppo bruscamente.*

*Emere meliust. Melius facies, si emas.*

*Quid ego? Supp. agam.*

STASIMUS.

Da magnum malum. 55

CHARMIDES.

Bene mones: ita facere certus.

STASIMUS.

Nisi quidem es obnoxius.

CHARMIDES.

Si bonus est, obnoxius sum; sin secus est, faciam ut inbes.

STASIMUS.

Quid id ad me attinet, bonisne servis tu utare an malis?

CHARMIDES.

Quia boni malique in ea re pars tibi est.

STASIMUS.

Partem alteram

Tibi permitto; illam alteram ad me, quod boni est, adponito. 60

CHARMIDES.

Si meritus, fiet. Sed respice ad me huc: ego sum Charmides.

STASIMUS.

Item, qui est, qui mentionem facit, homo, hominis optumi?

CHARMIDES.

Ipse homo optumus.

STASIMUS.

Mare, terra, coelum, di, vostram fidem!

Satin' ego oculis plane video? estne ipse, an non est? Is est!

Certe is est! is est profecto! O mi here exoptatissime, 65

Salve!

*Facere certus. Subaudi sum. Facere decrevi.**Nisi quidem es obnoxius. Nisi quidem servo tuo, quem ais emisso, beneficiis obstringaris. Itali: Seppure non gli sei obbligato pei servigi che ti ha reso.**Bonisne servis etc. Nos: se tu abbia buoni o cattivi servi.**Quia boni malique etc. Quia tu es pars illius boni et mali.**Tibi permitto. Tibi relinquo.**Alteram, quod boni est. Partem alteram bonam.**Satin' ego etc. Haec et insequentia hominem dubitatione astantem graphice depingunt.*



CHARMIDES.  
Salve, Stasime.

STASIMUS.  
Salvom te . . . .

CHARMIDES.

Scio et credo tibi.

Sed omitte alia; hoc mihi responde. Liberi quid agunt mei,  
Quos reliqui hic, filium atque filiam?

STASIMUS.

Vivont, valent.

CHARMIDES.

Nempe uterque?

STASIMUS.

Uterque.

CHARMIDES.

Di me salvom et servatum volunt.

Cetera intus otiose percontabor, quae volo.

70

Eamus intro; sequere.

STASIMUS.

Quo tu te agis?

CHARMIDES.

Quonam, nisi domum?

STASIMUS.

Hiccine nos habitare censes?

CHARMIDES.

Ubinam ego alibi censeam?

STASIMUS.

Iam . . . .

CHARMIDES.

Quid iam?

*Salvom te... Supp. adventasse gaudeo.*

*Intus otiose. Nos: in casa a mio bell'agio.*

*Intus . . . . intro. Cf. adnot. ad Aul. I. 2. 3.*

*Te agis. Pergis.*

STASIMUS.

Non sunt nostrae aedes istae.

CHARMIDES.

Quid ego ex te audio?

STASIMUS.

Vendidit tuos natus aedis . . .

CHARMIDES.

Perii!

STASIMUS.

Praesentariis

Argenti minis numeratis.

CHARMIDES.

Quot?

STASIMUS.

Quadraginta.

CHARMIDES.

Occidi! 75

Qui eas emit?

STASIMUS.

Callicles, quoi tuam rem commendaveras,  
Is habitatum huc conmigrauit, nosque exturbauit foras.

CHARMIDES.

Ubi nunc filius meus habitat?

STASIMUS.

Hic in posticulo.

CHARMIDES.

Male disperii!

STASIMUS.

Credidi, aegre tibi id, ubi audisses, fore.

CHARMIDES.

Ego miser minimis vehiculis sum per maria maxuma

80

*Praesentariis.* Itali: *alla mano.**Posticulo.* Cf. adnot. ad I. 2. 37.*Aegre tibi fore.* Te aegre id esse laturum.*Minimis vehiculis.* Paruis et fragilibus naviculis.

Vectus capitali periclo, per praedones plurimos  
 Me servavi, salvos redii; nunc hic disperii miser  
 Propter eosdem, quorum causa fui hac aetate exercitus!  
 Adimit animam mi aegritudo: Stasime, tene me!

STASIMUS.

Visne aquam

Tibi petam?

CHARMIDES.

Res quom animum agebat, tum esse obfusam oportuit.

85

#### ACTUS IV. - SCENA IV.

CALLICLES, CHARMIDES, STASIMUS.

CALLICLES.

Quid hoc hic clamoris audio ante aedis meas?

CHARMIDES.

O Callicles, o Callicles, o Callicles,  
 Qualine amico mea commendavi bona!

CALLICLES.

Probo et fideli et fido et cum magna fide.  
 Et salve et salvom te advenisse gaudeo!

5

*Capitali periclo. Capitis periculo.*

*Fui hac aetate exercitus. Iactatus, conflictatus fui hac tam gravi aetate.*

*Adimit animam mi. Me interficit.*

*Tene me! Sustenta me!*

*Res quom animum agebat. Quom opes meae peribant, tunc oportuit aquam offundere, qua recrearentur. Iocus ad hilarandam caveam.*

Dom Callicles thesauro effodiendo esset intentus, dotem daturus Charmidis filiae, ipsum Charmidem audit ante aedes, adversam fortunam suam lamentantem, atque amicum infidelitatis arguentem, cui bona sua commendaverat. Quare prodiens rem omnem aperit Charmidi. Quo facto uterque in gratiam reconciliatur.

*Fideli et fido et cum magna fide. Συμπύκνωσις ad eliciendum risum.*

*Et salve. Et salvus sis.*

CHARMIDES.

Credo omnia istaec, si ita est, ut praedicas.  
Sed qui iste est tuos ornatus?

CALLICLES.

Ego dicam tibi.

Thesaurum effodiebam intus dotem, filiae  
Tuae quae daretur. Sed narrabo intus tibi  
Et haec et alia: sequere.

CHARMIDES.

Stasime!

STASIMUS.

Hem!

CHARMIDES.

Strenue

Curre in Piraeum, atque unum curriculum face.  
Videbis iam illic navem, qua advecti sumus.  
Iubeto Sangarionem, quae imperaveram,  
Curare ut eferantur; et tu ita simul.  
Solutum est portitori iam portorium.

10

STASIMUS.

Nihil est morai.

CHARMIDES.

Tu ambula! actutum redi!

15

*Sed qui iste etc.* Sed quinam est iste tuus vestitus? Erat nimirum Callicles succincta veste et multo pulvere conspersus, quippe qui thesauro effodiendo operam daret.

*Thesaurum effodiebam intus dotem.* Thesaurum effodiebam, hoc est dotem filiae tuae.

*Hem!* Hanc particulam usurpat qui vocatus adesse se dicit. En adsum. Nos: *Eccomi qua.*

*Strenue.* Celeriter.

*Piraeum.* Portum Athenarum.

*Atque unum curriculum face.* Neque currere desistas. Neque cursum intermitte. Uno spiritu viam confice.

*Iubeto Sangarionem curare etc.* Ital.: *Dì a Sangarione che procuri di ecc.*

*Nihil est morai.* Nihil morabor.

*Actutum.* Graeci *ἀκτύτῳ*. Celeriter. Rarius occurrit hoc adverbium apud oratores. Semel usurpavit Livius. Frequens autem apparet in comicis.

STASIMUS.

Illic sum atque hic sum.

CALICLES.

Sequere tu hac me intro.

CHARMIDES.

Sequor. —

STASIMUS.

Hic meo hero amicus solus firmus restitit  
 Neque demutavit animum de firma fide;  
 Hic unus, ut ego suspicor, servat fidem,  
 Quamquam labores multos cepse censeo.

20

*Illic sum etc.* Perbrevis tempore ibo et redibo.

*Restitit.* Remansit.

*Labores multos cepse censeo.* Male enim ei vulgo dictitatum fuerat in sermonibus ob emtas a Lesbónico aedes. *Cepse.* Sync. Cepisse, pertulisse.

## ACTUS V.

## SCENA I.

## LYSITELES.

Hic homo est hominum omnium praecipuos, voluptatibus gaudiis-  
que antepotens:

Ita commodo, quae cupio, eveniunt; quod ago, adsequitur, subit,  
subsequitur:

Ita gaudiis gaudia suppeditant.

Modo me Stasimus, Lesbionici servos, convenit: mihi dixit,  
Suum herum peregre huc advenisse. Nunc mi is prope conve-  
niundust: 5

Ut; quae cum eius filio egi, ei re pater sit fundus potior.

Eo. Sed hae sonitu suo mihi moram obiciunt incommode.

Lysiteles, audito Charmidis reditu, laetatur, sperans, huic rata fore  
quae sibi cum Lesbionico de nuptiis iam convenerant.

*Hic homo etc. Diocorides.* Haec de se ipso ait Lysiteles, manu pectus pul-  
sans, pro eo quod esset: ego sum homo etc. Haud aliter Crysalus servus  
in Bacchid. iv. 4. 1 et seqq.

*Hominum omnium praecipuos.* Omnium hominum primus.

*Voluptatibus gaudiisque antepotens.* Prae ceteris potens, expletus gau-  
diis et voluptatibus.

*Commodo.* Apto, prospere.

*Quod ago, adsequitur, subit, subsequitur.* Quae ago nulla difficultate  
post veniunt. *Adsequitur, subit, subsequitur.* Euripides.

*Gaudiis gaudia suppeditant.* Gaudia gaudiis cumulantur.

*Is...conveniundust.* Ad Charmidem oportet me adire.

*Ei re pater sit fundus potior.* Eius rei pater firmior auctor sit. Eam  
rem pater auctoritate sua ratam habeat, approbet.

*Hae, Διακούσι.* Subaudi fores

## ACTUS V. - SCENA II.

CHARMIDES, CALLICLES, LYSITELES.

CHARMIDES.

Neque fuit neque erit neque quemquam esse hominum in terra  
dum arbitror,

Quoi fides fidelitasque amicum erga aequiparet suom:  
Nam exaedificavisset me ex his aedibus absque te foret.

CALLICLES.

Si quid amicum erga bene feci aut consului fideliter,  
Non videor meruisse laudem, culpa caruisse arbitror. 5  
Nam beneficium proprium homini, quoi datur, praesumseris;  
Quod datum utendum est, id repetundi copia est, quando velis.

CHARMIDES.

Est ita, ut tu dicis. Sed ego hoc nequeo mirari satis,  
Eum sororem despondisse suam in tam fortem familiam,  
Lysiteli quidem, Philtonis filio.

Charmides, re cognita, immobilem Callicelis amici fidem laudat, et quiddam, se absente, de filiae dote pactum fuerat, ultro confirmat.

*Neque . . . . dum.* Particula *dum* negationis vim auget.

*Quoi fides etc.* Cuius fides erga amicum suum sit aequiparanda cum fide, quam Callicles mihi adhibuit. *Aequiparet.* Nentrorum *more.* Aequa sit.

*Exaedificavisset ex aedibus.* Paronomasia. Me ex aedibus eiecisset.

*Absque te foret.* Nisi tu fuisses; nisi opera tua me invisisset. Nos: *se non era di te.*

*Nam beneficium proprium etc.* Hunc et insequentem versum explanaturi, diversa omnino et male inter se cohaerentia commentii sunt critici. Equidem Bothii sententiae subscribo, qui probabilem inde sensum exculpit hoc modo: Tu beneficium, antequam conferas, existimaveris esse proprium homini, apud quem collocatur. Quod autem est datum tantummodo utendum, illius repetendi facultas tibi est, quando velis. Italice: *Prima di fare un beneficio, vuoi si giudicare proprio di colui, al quale si fa. E puoi ripigliarti, quando ti piace, quello che si dà solamente ad uso.*

*Praesumseris.* Praevideris, ante existimaveris.

*Fortem.* Locupletem.

LYSITELES.

Edim me nominat.

10

CHARMIDES.

Familiam optumam occupavit.

LYSITELES.

Quid ego cesso hos colloqui?

Sed maneam etiam, opinor: namque hoc commodum orditur loqui.

CHARMIDES.

Vah!

CALLICLES.

Quid est?

CHARMIDES.

Oblitus intus dudum tibi sum dicere:

Modo mi advenienti nugator quidam accessit obviam,

Nimis pergraphicus sycophanta; is mille numum se aureum

15

Meo datu tibi ferre et gnato Lesbónico aibat meo;

Quem ego nec qui esset, noram, neque eum ante usquam con-  
spexi prius.

Sed quid rides?

CALLICLES.

Meo adlegatu venit, quasi qui aurum mihi

Ferret abs te, quod darem tuae gnatae dotem: ut filius

Tuos, quando illi a me darem, esse adlatum id abs te crederet,

20

Neu qui rem ipsam posset intellegere, thesaurum tuum

Me penes esse, atque a me lege populi patrium posceret.

*Enim.* Sed enim, profecto.

*Occupavit.* Invenit.

*Maneam.* Manebo.

*Commodum.* Opportune.

*Vah!* Interiectio admirantis.

*Pergraphicus.* Peritissimus, callidissimus.

*Mille numum se aureum meo datu.* Mille numos aureos a me datos.

*Meo adlegatu.* A me missus.

*A me darem.* De meo darem.

*Neu qui.* Neque aliquo modo.

*Lege populi.* Ex lege, ex auctoritate publica.

*Patrium.* Tamquam paternum, ad patrem suum pertinentem.



CHARMIDES.

Scite edepol!

CALLICLES.

Megaronides communis hoc meus et tuos  
Benevolens commentust.

CHARMIDES.

Quin conlaudo consilium et probo.

LYSITELES.

Quid ego ineptus, dum sermonem vereor interrumpere, 25  
Solutus, nec, quod conatus sum agere, ago? Homines conloquar.

CHARMIDES.

Quis hic est, qui huc ad nos incedit?

LYSITELES.

Charmiden socerum suum

Lysiteles salutat.

CHARMIDES.

Di dent tibi, Lysiteles, quae velis.

CALLICLES.

Non ego sum salute dignus?

LYSITELES.

Imo salve, Callicles.

Hunc priorem aequum est me habere. Tunica propior pallio est. 30

CHARMIDES.

Deos volo consilia vostra *recta* recte vortere.

Filiam meam tibi desponsatam audio.

LYSITELES.

Nisi tu nevis.

*Benevolens commentust.* Amicus excogitavit.*Quod conatus sum.* Quod constitui, decrevi.*Qui huc ad nos incedit?* Itali: *che se ne viene qua alla nostra volta?**Priorem habere.* Antepone.

*Tunica propior pallio est.* Proverbialis locutio, qua significamus, majori curae illa nobis esse debere, quae ad nos magis pertinent: ex propinquis alios aliis nobis esse cariores. Graeci: *Τὸν ἐπιπρὸν ἔργων.* Itali: *Più stringe la camicia che la gonnella.*

*Recte vortere.* Secundare, fortunare.

CHARMIDES.

Imo haud uolo.

LYSITELES.

Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?

CHARMIDES.

Spondeo et mille auri Philippum dotis.

LYSITELES.

Dotem nil moror.

CHARMIDES.

Si illa tibi placet, placenda dos quoque est, quam dat tibi» 35

Postremo hoc, quod vis, non duces, nisi illuc, quod non vis, feres.

CALLICLES.

Ius hic orat.

LYSITELES.

Inpetrabit te advocato atque arbitro.

Istac lege filiam tuam sponden' mi uxorem dari?

CHARMIDES.

Spondeo.

CALLICLES.

Et ego spondeo item hoc.

LYSITELES.

Ob, salvete, adfines mei!

CHARMIDES.

Atque edepol sunt res, quas propter tibi tamen succensui. 40

*Mille auri Philippum dotis.* Mille aureos Philippeos in dotem.*Placenda dos.* Insolita locutio. Dos debet tibi placere. Nos: *la ti dovrà piacere anche la dote.* Haud aliter Epid. l. 1. 71: *Puppis perreunda est probe.* Prò vulgari: necesse est puppim perire.*Hoc, quod vis.* Puella, quam vis.*Illuc.* Dotem.*Ius orat.* Iustum, sequum petit.*Inpetrabit te advocato atque arbitro.* Nos: *Lo otterrà pel tuo patrocinio e per la tua mediazione.**Legē.* Conditione.*Atque.* In hoc loco habet vim adversativam, atque inservit transitioni, pro eo quod est *attamen*.

CALLICLES.

Quid ego feci?

CHARMIDES.

Meum conrumpi quia perpressus filium.

CALLICLES.

Si id mea voluntate factum est, est quod mihi succenseas.

Sed sine, me hoc abs te inpetrare quod volo.

CHARMIDES.

Quid id est?

CALLICLES.

Scies:

Si quid stulte fecit, ut ea missa facias omnia.

Quid caput quassas?

CHARMIDES.

Cruciatur cor mi et metuo.

CALLICLES.

Quidam id est? 45

CHARMIDES.

Quom ille ita est, ut esse nolo, id crucior; metuo, si tibi

Denegem, quod me oras, ne te erga me leviozem putes.

Miserum est, male promerita (ut merita) seni si ulcisci non licet. -

Non gravabor: faciam ita, ut vis.

CALLICLES.

Probus es. Eo, ut illum evocem. -

Aperite hoc, aperite propere, et Lesbonicum, si domi est, 50

Foras vocate, ita subitum est, propere quod eum conventum volo.

*Ut ea missa facias.* Ut ea omittas, obliuiscaris.

*Me oras.* A me petis.

*Ne te erga me leviozem putes.* Ne putes, te a me contemni.

*Ut merita.* Ut merentur.

*Seni.* Mihi.

*Subitum est, propere quod etc.* Urget res, propter quam volo eum cito adire.

## ACTUS V. - SCENA III.

LESBONICUS, CHARMIDES, CALLICLES.

LESBONICUS.

Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit foras?

CALLICLES.

Benevolens tuos atque amicus.

LESBONICUS.

Satine salve? dic mihi.

CALLICLES.

Recte. Tuom patrem rediisse salvom peregre, gaudeo.

LESBONICUS.

Quis id ait?

CALLICLES.

Ego.

LESBONICUS.

Tun' vidisti?

CALLICLES.

Et tute item videas licet.

LESBONICUS.

O pater, pater mi, salve!

CHARMIDES.

Salve multum, gnate mi.

LESBONICUS.

Si quid tibi, pater, laboris . . .

CHARMIDES.

Nihil evenit, ne time;

Bene re gesta salvos redeo. Si tu modo frugi esse vis,

In postrema hac scena Charmides veniam dat Lesbónico, eumque iubet Calliclis filiam uxorem docere. Cui Lesbonicus assentitur.

*Tumultuoso sonitu.* Subito strepitu.

*Satine salve?* Supp. agit. Nos: *Stai bene?*

*Si quid tibi.* An aliquid tibi etc.

Haec tibi pacta est Calliclāi filia . . . . .

LESBONICUS.

Ego ducam, pater,

Et eam, et si quam aliam iubebis.

CHARMIDES.

Quamquam tibi succensui.

CALLICLES.

Miseria una uni quidem homini est adfatim.

CHARMIDES.

Imo huic parum est 10

Nam si pro peccatis centum ducat uxores, parum est.

LESBONICUS.

At iam posthac temperabo.

CHARMIDES.

Dicis; si facias modo.

LESBONICUS.

Numquid causa est, quin uxorem cras domum ducam?

CALLICLES.

Optima est.

Tu in perendinum paratus sis, ut ducas. Plaudite.

*Pacta est.* Desponsa est.

*Miseria una etc.* Eo pertinent iocosa haec Calliclis verba ut significet, satis poenae daturum esse Lesbonicum ducendo uxorem.


*Temperabo.* A vitiiis abstinēbo.

*Numquid causa est, quin etc.?* An quidpiam impedit, quominus etc.?

*In perendinum.* In diem tertium.



May 2016 395















*Handwritten text, possibly a signature or initials, located in the upper right corner.*



*Small handwritten text or mark at the bottom right corner.*

